




Jesus. Maria. ... 6 8.

HAEC INTVS HABENTVR.

COMPENDIVM TOTIVS PHILOSOPHIAE,

ſophiæ, tam naturalis, quam moralis.


OPVS DE DIVISIONE


ordine, ac utilitate omnium ſcientiarum, in poeticen apologeticum.


COMPENDIVM LOGICES.

Omnia diligentiſsima cura nunc recens excuſa.

AVTHORE FRATRE HIERONYMO SA=
uonarola, de Ferraria, ordinis prædicatorum.








Venetijs, apud Iuntas.

M. D. XLII.

ETsi philosophiæ studiũ ab omnibus mortalibus, qui ratione uigent, summo animi desyderio, miraque cordis uoluptate appetatur: quippe quòd cæteris hominum studijs, tum perfectione, tum nobilitate præstat: plurimi tamen ab eius inquisitione, ob librorum in quibus traditur obscuritatem, atque prolixitatem, nec non innumerarum pene opinionum diuersitatem, retrahuntur. Ne quis igitur, tam nobili, tãque utili exercitio, quod humanæ uitæ solatium censetur, huiuscemodi occasione priuetur, en hocce opus cunctis offertur, in quo cum breuissime, tum clarissime cuncta ferè, quę ad utranque philosophiam spectant, naturalem scilicet ac moralem, pręcepta traduntur: unde Compendium totius philosophię inscribitur. Quod quidẽ à doctissimo uiro, Hieronymo Sauonarola, familiæ prędicatoriæ, primo editũ, nec non ab eodem, ex summorum philosophorum libris extractum, dehinc à uiris etiam doctis omni cum diligentia castigatum, ac locupletatum, nunc primum pro communi studiosorum utilitate, est in lucem traditũ. Et ne quid eius perfectioni deesset, sed omni ex parte consummatum haberetur, excusum est, cum annotationibus locorum in margine, unde sumptę sunt ipsius libri conclusiones, cunq; postillula, pro ordinãdis tũ libris, tũ librorum cõclusionibus ad singulos eorundẽ. Accipe itaque candide lector munus oblatum, quod tibi, cunctisque literarum amatoribus, cum ad philosophica capiẽda, tum ad sacras literas perdiscendas, moresque humanos componendos, haud modicam facultatem præstabit. Nam ueluti enchiridion quoddam, solatiumque itineris, quo ad patrios lares tendimus, semper tibi, tum domi, tum foris præsto aderit. Vale.

COMPENDIVM

PHILOSOPHIAE FRATRIS HIERONYMI de Ferraria, ordinis praedicatorum.



INCIPIT LIBER PRIMVS DE Ente in communi, & de ijs, quae ipsum sequuntur.

1 

MNES *homines natura scire desyderant.* *Prooemio meta.*

Omnes enim homines, sicut et aliȩ res suam perfectionẽ desyderant, & naturaliter ad propriam operationem inclinãtur, cupiuntque maxime coniungi suo principio. Perfectio autem intellectus est scientia, & intelligere ac scire est operatio hominibus propria, per quam etiam maxime suo principio coniunguntur: inest igitur homini naturale desyderium sciendi: huius etiam signum est sensuum dilectio. Non enim diligimus sensus propter hoc solum, quia sunt nobis utiles, & necessarij, sed etiã propter ipsum cognoscere: unde magis diligimus sensum uisus, eo quòd per ipsum res melius cognoscimus, & plures eorum differẽtias nobis demonstrat, quàm caeteri sensus.

Vbi ſu. *Homo arte & rationibus uiuit, cætera uerò animalia imaginationibus & memorijs.* 2

Sunt enim quædam animalia, quæ tantum habent ſenſum tactus, & phantaſiam, id eſt, imaginationem quandam confuſam, non autem memoriam, & hæc ſolū ſenſu & imaginatione confuſa uiuunt, quædam autem habent memoriam, quæ etiam participāt aliquid prudentiæ ex quodam naturali inſtinctu, & hæc ſi non habent auditum, non ſunt diſciplinabilia, ſi autem habent, ſunt diſciplinabilia, non tamen habēt experimentum, quod eſt ex collatione plurium ſingularium in memoria retentorum. Bruta autem non poſſunt talem collationem facere, unde hæc animalia uiuunt imaginationibus & memorijs. Homo autem poteſt facere talem collationē, ratio enim hominis inferior, eſt collatiua ſingularium & intentionum indiuidualium, unde ex multis memorijs unius rei colligit experimentum. Ex multis autem experimentis fit uniuerſalis quædam accæptio de omnibus ſimilibus, & ſic fit ars, unde homo uiuit arte & rationibus, per artem enim & rationem conuerſatur homo in uita præſenti.

Vbi ſu. *Homines experti plus proficiunt in operando, quàm ſcientes et artem habentes ſine experimento.* 3

Actiones enim ſunt ſingularium per ſe: uniuerſalium autem per accidens: nō enim per ſe homo ſanat, uel ſanatur, ſed ſortes: homo uerò et animal per ipſum ſortem, cum igitur ſcientia & ars ſint uniuerſalium, experientia autem ſingularium, pa-

tet

tet quòd experti plus proficiunt in operando quàm scientes.

4 *Scientes et artem habentes, sapientiores sunt expertis.* Vbi su.

Quia scientes causam cognoscunt, non autem experti, item quia scientes docere possunt, non autem experti, signum autem scientis est posse docere: item quia experti per sensum magis cognoscunt, quam per intellectum, scientes autem per intellectum: sensum autem non dicimus sapientem, sed intellectum, ergo &c.

5 *Scientiæ speculatiuæ sunt nobiliores actiuis et magis dignæ nomine sapientiæ.* Vbi su.

Speculatiuæ enim multũ homines nobilitant & faciunt eos admiratione dignos, non quidem propter aliquam utilitatem, sed propter hoc, quia melius sciunt dicere causas rerum, & subtilius inquirere omnia, hęc autem non faciunt actiuæ unde homines acquisitis necessarijs uacant studijs huiusmodi, & talibus hominibus dantur ex publico stipendia.

6 *Sapientia est circa primas causas & prima principia rerum.* Vbi su.

Sapientes enim cõmuniter ab hominibus appellantur ij, qui possunt omnia scire, ut coueniens est, & maximè difficilia, & qui habent de rebus certitudinẽ, & sciunt dicere causas rerum, & maximè primas, & qui habent scientiam, quæ est propter se, id est, propter scire, & nulli famulatur, sed magis ei aliæ famulantur, & qui sciunt bene

omnia ordinare & disponere, & bene omnibus persuadere: hęc autē omnia manifeste competunt consyderanti causas primas & prima principia rerum, sapientia ergo est circa talia.

Vbi su. *Sapientia est scientia speculatiua.* 7

Hanc enim quærunt homines propter scire, ut ignorantiam fugiant, propter ignorantiam enim admiratio hominibus accidit, & propter admirari cœperūt homines philosophari: qui enim admiratur, ignorare uidetur: ut ergo ignorātiam fugiat, quærit causam rei, de qua admirationem habet: unde non quærit causam propter aliquam aliam necessitatem, sed solum propter scire, cuius signum est, quia homines omnibus acquisitis, quę sunt uitę necessaria, hanc scientiam quęsierūt: sapiētia igitur est inuenta solū propter scire, est ergo speculatiua, cuius finis est cognitio ueritatis.

Vbi su. *Sapientia est libera.* 8

Quia est solum gratia sui, & gratia cognoscendæ ueritatis, & ad nullam aliam scientia ordinatur, sed magis omnes ad ipsam, quia consyderat ultimum finem, qui est causa causarū omnium.

Vbi su. *Sapientia non est propriè humana possessio.* 9

Natura enim humana multipliciter est serua, & impedita propter multas huius uitæ necessitates: est tamen quærenda, quia multum homo proficit, quantumlibet parum de ipsa capiat.

Vbi su. *Sapientia est honorabilissima.* 10

Est enim maximè diuina, & quia est maximè de Deo, & quia eam Deus maximè habet.

Omnes

11 *Omnes aliæ ſcientiæ ſunt magis neceſſariæ quàm iſta ſapientia.* *Vbi ſu.*

Magis enim proſunt ad neceſsitatē uitæ & minus propter ſe quęruntur: hac uerò nulla dignior eſt, quæ magis perficiat & beatificet hominem, cum ſit maximè de prima cauſa.

12 *Sapientia eſt ſcientia ueritatis.* *2. meta. t.c.3.*

Verſatur enim circa primã ueritatem, quia uerſatur circa prima entia & primas cauſas, quę maximè ueritatem habent, immo circa ipſam ueritatē: in unoquoque enim genere eſt unum primum, quod eſt maximè tale, & cauſa aliorũ, quòd ſint talia: in genere ergo entiũ, & uerorum eſt unũ primum ens, & una prima ueritas, quod uel quæ eſt cauſa eſſendi & ueritatis omnium rerum: unumquodque enim ſicut ſe habet ad eſſe, ita & ad ueritatem, & circa hoc primum ens ſapientia uerſatur, & circa primam ueritatem iſtam. *Vbi ſu.*

13 *Cognitio ueritatis partim facilis eſt, partim difficilis.* *t.c.1.*

Facilis quidē eſt, quia nullus ita eſt expers ueritatis, quin aliquid cognoſcat: & licet unus ſolus parum apponat ad ueritatem, tamen facile eſt, ut multi faciãt magnam ueritatis aggregationem, & maximè quia nullus eſt, qui erret circa prima principia, iuxta prouerbiũ, In foribus quis aberret: difficilis autem eſt, quia difficile eſt cognoſcere compoſita reſoluendo uſque ad ultimas cauſas, & componentia uſque ad compoſitionem perfectam. Impeditur enim homo quandoque ex

imperfectione reru, quę adeo paru habent de ueritate, & entitate, ut uix quid sint, apprehēdi possit, quandoque uerò ex imperfectione intellectus nostri, qui se ad immaterialia & manifestissima naturę habet, sicut nocticoracis oculus ad lucē solis.

Vbi su. t.c.14. *Consueta libentius audiuntur & discuntur.* 14

Consuetudo enim est altera natura: inclinat enim ad unum per modum naturæ, naturalia autem facilius recipiuntur. Consuetudo enim magnam uim habet: unde propter diuersas consuetudines diuersi diuersimodè disciplinas accęptāt. Quidam enim ut mathematici, uolunt in omnibus demonstrationes, alij exempla sensibilia, alij authoritates poetarum uel sapientum, alij uolūt, quod subtiliter & cum magna certitudine res inquirantur, quia sic sunt consueti audire & discere, quidam autem econuerso tristantur, si quid cum diligenti discussione inquiratur.

T.c.15. s.t.ibi. *Absurdum est quod homo simul quærat scientiam & modum sciendi, qui conuenit ei.* 15

Oportet enim primò quærere modū, qui scientiæ conuenit: non enim est facile, quod homo simul duo capiat, nam sæpe dum simul duo capere quærit, neutrum capit, oportet igitur prius discere logicam, quæ alijs scientijs comparata, est modus sciendi in omnibus, licet in se sit scientia.

T.c.16. *Modus sciendi optimus, qui est per diligentem et certam inquisitionem, non est in omnibus scientijs quærendus.* 16

Quædam enim sunt, in quibus non est omnimoda

moda certitudo propter materiam, ut in naturalibus, in quibusdam autem est, sed non est nobis nota, ut in immaterialibus, in mathematicis autem est certitudo nobis proportionata, unde in illis est hic modus quærendus.

17 *In omni doctrina, à notioribus nobis, est incipiendum.* 1. Phy. t. c. 1.

Sic enim facilior est disciplina, quia facilitèr magis nota ducunt in cognitionem eorum quæ sunt nobis ignota, uel minus nota, quæ tamẽ sunt secundum naturam, notiora.

18 *Magis indistincta & confusa sunt nobis magis nota.* Vbi su. t. c. 2.

Intellectus enim noster procedit de potentia ad actum: prius enim cognoscit unumquodque in potentia & postea in actu, & ideo procedit cognoscendo de potentia pura ad cognitionem indistinctam rerũ & cõfusam, usque ad perfectam & distinctam cognitionem. Prius ergo cognoscit indistincta & confusa quàm distincta.

19 *Communiora sunt magis indistincta.* Vbi su. t. c. 4.

Semper enim communiora continent minus communia indistinctè, sicut genus indistinctè & confusè, cõtinet omnes suas species & species indiuidua. Sed minus communia, distinctè continent magis communia, ut species genera.

20 *Ens est illud, quod concipitur ab intellectu tanquàm notissimum.* San. Tho. de en. proœ.

Est enim omnium communissimum cum de omnibus prædicetur, & omnia addant supra ipsum, unde oportet quod sit indistinctissimum & per consequens nobis notissimum, ideirco ab

ipso incipiendum est.

4 met.t. c.1. *Est aliqua scientia quæ speculatur ens, inquantum ens & ea quæ insunt ei, per se.* 21

Hæc enim non debent omnino ignota remanere, cum ex eorum cognitione aliorum cognitio dependeat: oportet ergo quòd aliqua scientia consyderet ens tanquã subiectũ, & ea, quæ ei insunt per se: scientia enim consyderat subiectum suum & proprietates eius.

Vbi su. *Huiusmodi scientiam oportet esse uniuersalem.* 22

Non enim scientiæ particulares cõsyderant de ente uniuersali, sed partes entis idest entia particularia: ens ergo inquantum ens non potest consyderari nisi à scientia uniuersali, quæ est metaphysica.

Vbi su. *Hæc scientia consyderat primas causas & prima principia rerum.* 23

Omnis enim scientia cõsyderat causas & principia subiecti sui, ista igitur scientia quærit causas entis inquantum ens & eius principia: hæc autem non possunt esse nisi primæ causæ uniuersales omnium rerum, & prima principia: primas igitur causas & prima principia consyderat.

Vbi su. t.c.2. *Ad consyderationem huius scientiæ pertinent omnia entia.* 24

De omnibus enim prædicatur ens: unde omnia continentur sub ente, & quamuis ens nõ prædicetur uniuoce, tamen prædicatur analogice: & hoc sufficit ad hoc, quòd omnia entia ad unam scientiam pertineant, scientia enim una est unius

subiecti:

subiecti: sufficit autem quòd sit unum analogia, principale enim ens est substantia. Alia uerò in tantum dicuntur entia, inquantũ ad substantiam referuntur, & de omnibus consyderat hæc scientia, inquantum sunt entia uel substantiæ.

25 *Prima principia complexa pertinent ad consyderationem huius scientiæ.* *Vbi su.t. c.1.*

Prima principia complexa sunt, quę omnibus entibus possunt conuenire, ut est illud, nõ contingit idẽ simul esse & non esse: & illud, unumquodque contingit uel affirmare uel negare: hæc igitur cum omnibus entibus conueniant, non pertinent nisi ad eum, qui consyderat ens inquantum ens.

26 *Hæc sciẽtia principaliter de substãtia determinat.* *Vbi su.t. c.2.*

Cum enim ens de omnibus prędicetur analogice, & omnia dicantur entia inquantũ sunt substantię uel referuntur ad substantiã, oportet quòd substantia inter entia sit principale ens: de principali autem, à quo alia dependent, est principaliter determinandum, de alijs autem consequenter.

27 *Hæc scientia est prima inter omnes alias & dignitate & natura.* *6.met.t. c.2.*

Quia non solum consyderat de omni ente, sed etiã principaliter de substantia, & principalissime de substãtia principalissima, quæ est Deus: & substantiæ separatę: quę sunt priores alijs & dignitate & natura.

28 *Illa pars huius scientiæ, quæ est de substantia sensibili, prior est ea, quæ est de insensibili, ordine doctrinæ.* *4.met.t. c.4.*

Subſtantia enim ſenſibilis eſt nobis notior quàm inſenſibilis, quia propinquior eſt ſenſui, a quo incipimus diſcentes, à notioribus autem nobis ſemper eſt incipiendum, ut dictum eſt ſupra.

vbi ſu. *Omnes partes huius ſcientiæ continuantur ad unum.* 29

Habent enim pro genere ens, & unum, in quibus uniuntur, ſicut etiam mathematica habet diuerſas partes, unã principalem, ut arithmeticam, & aliam ſecundariam, ut geometriam, & aliæ ſe habent conſequenter ad iſtas, ut proſpectiua, muſica, & aſtrologia, ideo primò de ente communi tractemus, & de ijs, quæ ipſum cõſequuntur, deinde tractabimus de ſubſtantia ſenſibili, ultimò autẽ de ſubſtantia inſenſibili, & maxime de Deo glorioſo, qui eſt in ſæcula benedictus Amen.

6.met.t. *De ente per accidens, non eſt ſcientia.* 30

6.4.6. Ens per accidens, dico quando duo ita coniunguntur, quod unum alteri accidit, ut muſicum eſſe album & hominẽ eſſe muſicum quia ergo hæc in infinitum poſſunt uariari, cum uni infinita poſſint accidere & infinitum inquantum huiuſmodi ſit ignotũ, ſequitur quod de hoc ente nõ eſt ſciẽtia, ſed de ijs, quæ ſunt ſemper aut frequenter, extra quæ eſt ens per accidens..

3.met.t. *Ens per ſe, non eſt genus.* 31

10. Nullum enim genus propriẽ de ſuis differẽtijs prędicatur: ens autem de omni re prędicatur: non igitur eſt genus.

S.tho. De ue. *Enti non poteſt addi aliqua natura extranea.* 32

q.1.ar.1. Naturam extraneam ab aliquo dicimus, quæ aliquid ſuperaddit ei per modum differentiæ uel accidentis.

accidentis. Ens autem non habet differentias, ut iam dictum est, & de omnibus essentialiter praedicatur. Omnia enim sunt essentialiter entia: nihil ergo extraneum sibi potest addi.

33 *Id quod additur enti, est modus essendi, quem non exprimit ens.* *Vbi su.*

Nam ens omnia significat indistinctè. Significat enim cõfusè quodlibet ens id est omne quod est quocunque modo. Cum igitur ad particularia entia uenimus, ut ad substantiam & quãtitatem, & caetera praedicamẽta, iam non addimus enti aliquid reale extraneum ab eo per modum differentiae uel accidentis ut dictum est, sed exprimimus modos ipsius entis & modos essendi rerum qui nõ exprimuntur nomine entis ut patet, unde modi isti non faciunt aliquid differre ab ente secundum rem, nec ipsi quoque differunt ab ente secundum rem, sed ratione tantum.

34 *Aliqui sunt modi generales entis, & aliqui speciales.* *Vbi su.*

Generales sunt qui sequuntur ens inquantum ens, in sua scilicet communitate: ut sunt res, unum aliquid, uerum, bonum. Ens enim exprimit affirmatiuè esse rei in se, quia ens sumitur ab actu essendi. Res uerò exprimit essentiã: uel quiditatem entis. Vnum uerò negatiuè exprimit modum essendi entis generalem qui est indiuisio. Vnum enim est ens indiuisum. Aliquid uerò exprimit modum generalem in ordine ad alterũ secundum diuisionẽ: dicitur enim aliquid quasi aliud quid. Verum autẽ exprimit modum generalem entis

ſecundum quandam cōuenientiam, quam habet omne ens ad intellectum. Bonū uerò ſecundum conuenientiam, quam habet ens ad appetitum. Modi autem ſpeciales non ſequuntur ens in ſua generalitate, ſed trahunt ipſum ad ſpeciale, ut ſunt decem prædicamenta, quę nihil aliud ſunt, quàm decem modi eſſendi ipſius entis: ut eſſe per ſe, eſſe quantum, eſſe quale, eſſe ad aliquid, agere, pati, eſſe in tēpore, eſſe in loco, eſſe ſituatū, & habere, de quibus omnibus in ſequētibus eſt tractandū.

Vbi ſu. *Res conuertitur cum ente.* 35

Quicquid enim eſt res, eſt ens, & econuerſo, nam res exprimit ens ex parte quidditatis & eſſentiæ: omne autem ens eſſentiam habet, quod enim nullam habet eſſentiam, nihil eſt. Res igitur & ens conuertuntur.

Vbi ſu. *Aliquid conuertitur cum ente.* 36

Omne enim quod eſt, diuiditur ab eo, quod nō eſt ipſum: oportet igitur quòd ſit aliquid, quia oportet quòd ſit aliud quid ab eo quod non eſt ipſum, omne igitur ens eſt aliquid, & econuerſo.

Vbi ſu. *Aliquid eſt poſterius re.* 37

Poſterius dico ſecundum rationem, quia prius eſt intelligere quod aliquid ſit, & quidditatē habeat quod importat res, quàm quod ſit aliud
4.met.t. quid ab altero, quod importat aliquid: abſolutū
c.3.ſ.t.1. enim eſt prius relatiuo.
q.11.ar. *Vnum conuertitur cum ente.* 38
1. Omne enim ens aut eſt ſimplex & ſic eſt indiuiſum actu & potentia; aut eſt compoſitum. Cōpoſitum

positum autem non est ens actu quandiu partes eius sunt diuise, ergo esse eius consistit in indiuisione: esse ergo cuiuslibet entis in indiuisione consistit, unum autē dicitur ens indiuisum, igitur quicquid est ens est unū & econuerso: & inde est quòd unumquodque sicut custodit suum esse, ita custodit suam unitatem.

39 *Vnum non addit aliquid reale, supra ens.* *Vbi su.*

Nam cum unum & ens conuertantur, si unum aliquid adderet reale supra ens, ita quòd esset unū per illud reale, quærendum est, quomodo illud reale sit unū: & si est unū per aliud reale superadditum, quęrēdum est de illo quomodo est unum: aut ergo oportet in infinitum ire, aut in hoc stare, quòd omne ens est unum per suam essentiam, & non addat unum supra ens, nisi rationem indiuisionis.

Vnum multipliciter dicitur. *5.met.t.*

40 Vno modo aliqua dicuntur unum per se, ut cōtinua & habentia unam formā, ut partes uini, & ea quæ sunt unum genere, uel specie, uel diffinitione, uel quorum intellectus est indiuisibilis ut simplicia puta unitas, & ut propriū & subiectum: alio modo secūdum accidens, ut accidens & subiectum dicuntur unum, & accidens cum alio accidente propter subiectum: & quum compositum dicitur de subiecto, &c. *c.7.8.9. 10.11.*

41 *Vnum & multa, diuersimode opponuntur.* *10.met.*

Cum enim unum dicatur multipliciter, & multa oportet multipliciter dici, quia quotmodis dicitur unum oppositorum, tot modis dicitur & *t.c.9.21. 5.t.prima. q.11.2.*

reliquum, oportet igitur quod diuersimodè opponantur: maximè autem duobus modis opponuntur. Vno modo per modum priuationis, secundum quod accipitur unum, quod cõuertitur cum ente, prout dicit indiuisionem. Sic enim opponitur multitudini, sicut indiuisum diuiso, alio modo sicut mensura mensurato, secundũ quod unum accipitur, prout est princpium numeri, opponitur enim sic numero, sicut mensura mensurato. Multum etiã opponitur aliquando pauco secundum quod multum importat quẽdam excessum.

s.t.prima. *Priuatio entis, quam dicit unum, funditur in ente.* 42

Vbi su. primum. Priuatio enim est in subiecto apto nato, hoc autem non potest esse nisi ens, quia nihil subterfugit rationem entis, quod quidem accidit enti ratione suæ communitatis, unde etiã cum unum de omnibus prædicetur, oportet quod multitudo sit quoddam unum.

s.t.prima. *Diuisio est in apprehensione nostra prius quam unũ.* 43

Vbi su. tertium. item super. 10.met.le. 4.co.3. Oportet .n. prius intelligere ens, deinde quod hoc ens non est illud: & hæc est ratio diuisionis. Ex hoc postea intelligimus unum, id est quod est in se indiuisum & ab alio diuisum.

Vnum est prius multitudine. 24

Vbi su. Nihil enim intelligimus habere rationem multorum, nisi per hoc, quod intelligimus unum non esse alterum, & per hoc postea diuersam unicuique attribuimus unitatem, & sic intelligimus postea illa esse multa, quasi plura quorum unumquodque habet unitatem, unde unum ponitur in diffini-

in diffinitione multitudinis.

45 *Aliquid est prius uno.* *Vbi su.*

Quia prius intelligimus hoc esse hoc, & hoc esse aliud quid ab hoc, quod est esse diuisum ab hoc: diuisio autem est prior uno, ut dictum est, unde aliquid est prius uno.

46 *Verum conuertitur cum ente.* *2.met.t.*

Cum enim ueritas sit adæquatio rei ad intelle- *c.4.*
ctum, unumquodque dicitur uerum secundum *5.t.prima.*
quod adæquatur, uel adæquari potest intellectui, *16.3.*
omne autem ens intellectui diuino adequatur: & potest adæquari intellectui humano, secundum quod ab intellectu humano potest unũquodque intelligi sicut est: unumquodque enim sicut est ita cognoscitur, uerum igitur & ens conuertuntur.

47 *Ens potest intelligi absque ratione ueri.*

Ens enim est primum intellectum, ut dictum *5.t.prima.*
est, potest ergo ratio entis absolui à ratione ueri, *Vbi su.*
ita ut intelligatur entis ratio non intellecta ratio- *tertium.*
ne ueri: nunquam tamen potest intelligi ens nisi assequatur ratio ueri, quia intellectio est per adæquationem intellectus ad rem, uel rei ad intellectum, adæquatio autem hæc est ratio ueri.

48 *Verum est posterius uno.* *5.t.de*

Prius enim est intelligere rem secundum se, *ue.q.11.*
quàm per comparationẽ ad alterum ens: autem dicitur unum secundum se: dicitur autem uerum per comparationem ad intellectum: igitur unum est prius uero.

b

s.t.prima 17.per totum. 6.met.t. c.8. *Falsum unumquodque dicitur per comparationem ad intellectum.* 49

Falsum enim & uerum sunt contraria, que habent fieri circa idem subiectum, unde falsa res est, quando non adæquatur intellectui, aut quando est apta nata facere falsam opinionem, ut aurical cum, & quando applicatur ei, cum quo non conuenit, ut cum dicitur hominem esse asinum, unde intellectus dicitur falsus, quando intelligit esse sicut non est, uel non esse sicut est, & homo dicitur falsus quando sequitur falsam opinionem & eam diligit.

s.t.prima. 5.3. *Bonuu conuertitur cum ente.* 50

Nam bonum unnmquodque est, secundum quod est appetibile, unumquodque autem in tantum est appetibile, inquātum habet aliquam perfectionem, in tantum autem est perfectum, inquātum est in actu: Actus autē omnis rei est esse. Ergo unumquodque in tantum est bonum, inquantum habet esse, ergo omne ens est bonum, & omne bonum est ens.

2.phy.t c.31. s.t.prima 5.4. *Bonum habet rationem causæ finalis.* 51

Omne enim agens agit propter finem, hoc autem non est nisi bonū. Ergo bonū est finis agētis

s.t.prima Vbi su. secundum. *Bonum est sui ipsius diffusiuum.* 52

Bonū enim est illud, quod est appetibile, ideo bonum trahit appetitum, nō autē trahit eum nisi ut communicet ei bonitatem suam & perfectionem. Hoc ergo modo dicitur seipsum diffundere unumquodque bonum.

Bonum

53 *Bonū eſt prius ente in cauſando, ſed poſterius abſolutè* *s.t.prima*

Nam cum ſint quatuor cauſæ, materia eſt propter formam, & ideo ſimpliciter forma eſt prior in intentione, forma autem ab agente introducitur, unde agens eſt prius forma. Agens autem mouetur à fine, qui eſt ipſum bonum, prima ergo cauſa entis eſt bonum, igitur eſt prius ente in cauſando non autem ſimpliciter, quia prius eſt, quod primò cadit in intellectu, hoc autem eſt ens, ut dictum eſt. *Vbi ſu.2.*

54 *Bonum eſt poſterius uero.* *s.t.prima*

Verum enim eſt propinquius enti, quia reſpicit eſſe tantum quod eſt intelligibile. Bonum uerò non ſolum reſpicit eſſe ſed etiam perfectiones ſupperadditas, quia ſic eſt appetibile, præterea bonum reſpicit appetitum & uerū intellectum. Intellectus autem eſt prior appetitu. Non enim appetitur, quod prius non cognoſcitur, igitur. *16.4.*

55 *Ratio boni conſiſtit in modo, ſpecie & ordine.* *s,t.prima*

Vnumquodue enim bonum eſt inquantum eſt perfectum. Ad perfectionem autem cuiuſque rei concurrit forma cum præcedentibus & ſequētibus ad ipſam, pręcedentia ſunt principia efficiētia uel materialia uel formalia. Et ſecundum hoc res dicitur habere modum uel mēſuram per commenſurationem principiorum eius, forma autem dicitur ſpecies uel numerus, quia formæ ſeu differentiæ ſunt ſicut numeri. Conſequitur uerò inclinatio ad finem, quę dicitur ordo ſiue pondus. Ratio igitur boni in his tribus conſiſtit. *5.5.*

Malum significat absentiam boni priuatiuè.

s.t.prima 48.1. Nam negatiuè absentia boni nō facit malum, aliter omnia creata essent mala, cum ab eis negētur multa bona, quæ sunt in Deo: priuatiuè igitur significat illam. 56

Malum est in bono.

Vbi su. ar.3. Nam cū sit priuatio, est in subiecto apto nato. hoc autem subiectum cum sit ens, oportet quòd sit bonum: est igitur in bono. 57

Malum summum non datur.

Vbi su. ar.4. Quia malum summū excludit omne bonum. igitur etiam subiectum: nullum ergo habet fundamentum, ergo omninò nihil est malum summū. 58

s.t.prima. *Substantia est ens, per se existens.* 59

3.5.ad. primum. prædi.c.de substantia. Substantia enim non est in altero tanquam in subiecto, sed ipsa est aliorum subiectum, unde dicitur à substando, quia omnibus accidentibus substat. Et secundum hoc prius conuenit singularibus esse substantiam quàm generibus & speciebus. Dicitur etiam substantia à subsistendo, & per se stādo: quia est ens per se idest cui per se cōuenit esse, nō in alio: & sic primò uniuersali substātię conuenit. Est enim hoc de ratione substantiæ inquantum substantia est. Dicitur etiam substantia aliquādo essentia ab essendo, unde quodquid est dicitur substātia rerum: & similiter forma quę dat esse, dicitur substantia.

4.met.t.c.2. *Accidens est ens in subiecto.* 60

7.met.t.c.2. Non enim est ens per se, sed est ens quia est en-

tis idest


tis idest substantiæ. Verum aliquando accidens propriè dicitur, ut quando dicitur de forma realiter inhærente subiecto, ut de albedine: aliquando autem nō ita propriè. Ut cum dicitur de aliquo, quod tantū secundū rationē inhęreat, ut dextrū, uel sinistrum in columna: & adhuc minus propriè, cum dicitur de substantia quod accidat alteri, utputa quod uestis accidat forti. Habet enim nomen accidentis, licet non sit accidens: dicitur etiam accidens ens per accidens, de quo locuti sumus supra in.xxx.conclusione.

61 *Quantitas est accidens cui primo inest diuisio in partes componentes.* 5.met.t. c.18.

Intellige autem de diuisione materiali. Omne enim quod sic diuiditur, uel est quantum discretum, ut numerus, uel continuum, ut linea, per se igitur quantum, est quod per se diuiditur. Per accidens uerò, quod per alterum diuiditur, ut albedo, motus, & tempus. Multum autem & paucum, longum, & breue, latum & strictum, profundum & altum, graue & leue, & similia non sunt quantitates, sed passiones eius.

62 *Qualitas est ens, secundum quod unumquodque denominatur quale.* 5.met.t. c.19.prædi. ca.5.

Hoc autem primo modo est uniuscuiusque differentia substantialis, secundum quam res dicitur qualis. Cum enim quęritur qualis est homo, conuenienter respondemus, rationalis, uel bipes. Verum hæc qualitas in substantijs idest dif-



ferentia ſubſtantialis ſubſtantiarum non eſt propriè ſecundum rem qualitas, ſed habet ſolum modum qualitatis, habitus autem, ſeu diſpoſitiones ſubſtantiarum, ſiue in anima, ſiue in corpore, ſiue in materia, ſiue in forma, potẽtię quoque naturales ad agendum uel ad patiendum, & ſimiliter paſſiões ſubſtãtię & ea que ſentiri poſſunt & percipi aliquo ſenſu exteriori. i. Viſu, auditu, olfactu, guſtu, tactu, quæ dicũtur paſſibiles qualitates, & ſimiliter figuræ rerum & formæ ſunt propriæ qualitates. Secundum iſtas enim unumquodque dicitur quale.

5.met.t. c.20.præ di.ca.4. *Ad aliquid eſt ens, cuius eſſentia eſt ad alterum.* 63

Vt duplum, dimidium, pater & filius, dominus & ſeruus &c. Verum hoc ens non uidetur aliquid reale ponere ſecũdum ordinem quem dicit, ſed ſolum fundamentum illius ordinis quod quidem non eſt niſi accidens. Subſtantia enim eſt per ſe, nõ autem ad alterum, ordinatur autem una ſubſtantia ad alteram per quantitatem uel principium quantitatis, uel per aliquid, quod habet modum quantitatis, ut duplum, & dimidium, quæ in quantitate fundãtur, ſimilitudo autem fũdatur in unitate qualitatis, ordo quoque loci ad locatum fundatur in eo, quod habet modum quãtitatis ideſt ſecundum quòd habent rationẽ menſuræ & menſurati. Similiter una ſubſtantia ad alteram ordinatur per actionem & paſsionem, ut pater ad filium & econuerſo, uel per id, quod habet modum actionis & paſſionis, ut habitus ad habituatum & hoc poteſt eſſe aliquando ſecun-

dum præteritam actionem, ut in patre, & filio, aliquando secundum præsentem, ut calefaciens, & quod calefit, aliquando secundum futuram, ut calefacturum, & calefactibile. Itaque ordo unius rei ad alteram fundatur uel in quantitate, uel in actione & passione, quia intellectus per hoc consyderat unam substantiam ad alteram ordinari, si ergo nulla est in re quātitas, uel actio & passio, unde intellectus ordinem accipit, relatio, quam intelliget, non erit realis, sed tantū ut relatio eiusdem ad idem, & speciei & generis. Si autem sit aliquod illorum ex parte unius extremi, tantum erit relatio realis ex parte illius solum, ut relatio scientiæ ad scibile. Si autem aliquod illorum sit in re ex parte utriusque extremi, erit relatio tota realis, quę quidem in re non ponit nisi fundamentū, & perficitur ordo ab intellectu: nec tamen potest dici, quod si intellectus non esset, nec ipsa relatio esset, quia semper fundamentum est tale, ut si intellectus sit, possit ad alterum actu ordinari. Remanet enim radix illius ordinis à qua relatio habet esse reale.

64 *Actio est ens, secundum quod aliquid agere dicitur.* *lib. sex. prin. ca. 2.*

Vt est calefactio & frigefactio, secundū quas aliquis dicitur calefacere, uel frigefacere.

65 *Passio est ens, secundum quod aliquid dicitur pati.* *Vbi. s. capi. 3. s. t. prima 79. 2.*

Vt est calefieri frigefieri dicitur autem passio aliquando quęcunque susceptio, ut susceptio scientiæ dicitur passio. Aliquando suscæptio eius,

quod est contra naturam, ut cum aqua suscipit calliditatem, & homo ægritudinem, uel aliquid triste. Sed de ijs subtilius tractabimus in ijs, quę dicemus de motu inferius.

5.tho.2. *Quando est esse in tempore.* 66

cō.g.c. 13. Esse autem in tempore nil aliud est, quàm mẽsurari à tempore, ut esse in die, esse in anno, & esse in præterito uel præsenti, uel futuro. Quid sit autem tempus, posterius dicetur. Quando autem materialiter dicit tempus, & rem tempore mensuratam: formaliter autem est id mensurari, quod in anima perficitur: unde quando, est ens, quod habet perfectionẽ ab anima, sicut dictum est de relatione.

Vbi.5. *Vbi est esse in loco.* 67

Est enim esse in domo, esse in cœlo, & in loco proprio, in quo nihil est nisi ipsum corpus locatum. Sed quid sit locus, dicetur infra. Vbi ergo realiter & materialiter dicit locum & locatum. Sed esse in loco quod est formale perficitur ab anima, ita quod ubi est ens reale, habens tamen perfectionem ab anima. Locus enim realis est, & similiter locatum. Sed illud esse in loco, nihil est intra locatum: sed per animam perficitur, unde realiter est aliquid in loco, tanquam in extrinseco. Sed esse illud intrinsecũ, idest esse in loco, perficitur in anima, sicut dictum est de quando.

Situs est esse sic in loco. 68

5.met.t. Dico autem sic: quia non est simpliciter esse in loco

loco: hoc enim est ubi (ut dictum est) sed est esse c.24.
in loco secundum aliquem modum, ut esse supinum uel stantem in loco. Situs ergo non solum dicit locum & locatum materialiter, sed & partes sibi inuicem correspondentes secundum aliquem ordinē. Modus ergo essendi in loco ipsius locati secundum partes est formale in situ. Nec est dicendum quòd formaliter situs dicat relationem. Esset enim in prędicamēto relationis. Nam non uidetur conuenienter dictum quòd aliquæ sint relationes, quæ non continentur in prædicamento relationis. Situs igitur dicit quendam modum essendi in loco, qui non est relatio, sed ad ipsum immediate sequitur relatio: quia ex hoc modo essendi sequitur ordo quidam partium in loco: unde etiā solet dici, quòd situs est ordo partium in loco, quia explicatur ab eo, quod est magis notum. Vnde est relatiuum secundum dici, non autem secundum esse, quia principaliter non dicit relationem, & ipsum quoque est ens habens perfectionem ab anima, ut patet ex dictis.

69 *Habitus est ens, uel esse, quo aliquid dicitur alterum habere.* 5.met.t. c.25.

Vt est esse armatum, esse calciatum, uel annulatum, uel uestitum & similia. Dicit enim rem habentem, & habitum materialiter, formaliter autem esse tale, quod etiam perficitur in anima, ut dictum est de aliis supra. Quanuis igitur habere & haberi uideatur dicere actionem uel paſ-

sionem, non tamē est actio, uel passio. Nec etiam relatio, sed uerum est, quod ad hoc esse, sequitur quidā modus actionis & pasionis, & quædam relatio, ut dictum est de situ, excępta enim substā tia, quantitate & qualitate, cætera prędicamenta perficiũtur ab anima. Pasio aũt & actio, quādo, ubi, situs, & habitus sunt relatiua secūdũ dici, nõ aũt secũdũ esse. Dicũt enim modũ essendi principaliter, qui non est ordo nec relatio, sed ad ipsum sequitur relatio, sed propter minimam entitatem, quam habent, & minimam distinctionem quę est inter illum essendi modum & relationem, quę immediatè sequitur ex illo, uisum fuit quibusdam, quod ista sex prędicamenta sint quędam relatiua.

5.meta. t.c.1.

Principium multipliciter dicitur. 70

Principium enim dicitur unde incipit motus uel magnitudo, & unde bene incipit aliquid, & in eo quod generatur: illud quod primo fit, ut cor in animali: & primum efficiens aliquid non inexistens & principium in disciplinis & potestas regis in regno.

Vbi.s.t. c.2.

Causa maximè quatuor modis dicitur.

Est enim causa efficiens, finalis, materialis, & formalis, & in plus se habet principium quā causa, quia aliquid est principium quod non est causa. Vt principium magnitudinis, unde incipit motus. Sed nulla est causa, quæ nō sit principium rei cuius est causa. 71

Te.c.4.

Elementum est ex quo componitur aliquid primò, in 72

quo

quo existit, & non diuiditur in partes diuersarum specierum.

Vt ignis, aer, aqua & terra. Et similiter literę, ex quibus componuntur syllabæ, uel dictiones, & prima principia indemonstrabilia dicūtur elementa, & est minus commune quam causa. elementum enim est causa materialis.

73 *In causis efficientibus non proceditur in infinitum.* 2.meta. t.c.6

Sic enim causa haberet ante se causam. Non ergo prima causa daretur. Ergo nec aliæ, quia causæ inferiores mouent in uirtute primæ.

74 *Nec in materialibus proceditur in infinitum.* Vbi.s.t. c.7.

Si enim hoc fieret ex hoc & illud ex alio, & sic in infinitum nunquam daretur effectus. Præterea materia quę est illud, ex quo aliquid fit, est media inter esse & nō esse, modo suscipiens esse, modo non esse. Impossibile est autem media esse infinita positis extremis, & positis infinitis medijs, impossibile est extrema inueniri.

75 *Nec in causis formalibus.* T.c.10.

A forma enim sumitur species & esse rei, quā significat diffinitio, oporteret ergo in diffinitionibus procedere in infinitum. Nihil ergo contingeret cognoscere. Res enim non cognoscitur perfectè, nisi eius diffinitio habeatur. Infinitum autem non potest intellectu comprehendi.

76 *Nec in causis finalibus.* T.c.8.

Sic enim nullus esset finis. Non enim daretur ultimum, in hoc autem est ratio finis, præterea cū omnia appetant bonum, & agant propter finem

finis habebit rationem boni, tolletur ergo ratio boni, & sic nullus conabitur operari, & sic nō erit aliquod agens per intellectum, tolleretur ergo intellectus practicus.

Vbi.5.t.c.13. *Species causarum non sunt infinitæ.* 77

Nihil enim contingeret scire. Scire enim arbitramur unumquodque, cum causas omnes eius cognoscimus.

5.metā. t.c.5. *Natura multis modis dicitur.* 78

Vno enim modo dicitur generatio nascentiū, seu natiuitas quasi nascitura. Alio modo principium huius natiuitatis. Tertio principium cuiuscunque motus intrinsecum ut materia & forma. Quarto modo essentia, uel quidditas rei. Dicitur etiam materia artificialium natura eorum.

T.c.6. *Necessarium est quod non contingit aliter se habere.* 79

Vt Deum esse, uel hominem esse animal. Dicitur etiam necessarium quod non contingit aliter se habere, si aliqua res ponatur, quod dicitur necessarium ex suppositione, ut cibus est necessarius animali si debet uiuere, uel quod non contingit aliter se bene habere, ut necesse est bibere medicinam. Aliquando etiam dicitur necessarium, quod uiolenter fit, sicut quandoque dicimus, Vis me hoc facere coegit.

T.c.13. 14. *Ens dicitur multipliciter.* 80

Nam primo diuiditur in ens per se & ens per accidens. Ens per accidens dicitur, uel cum accidens dicitur de accidente, uel accidens de subiecto uel econuerso. Secundo. Ens per se diuiditur in ens

in ens extra animam, quod significat figuras prędicamentorum, scilicet substātiam quantitatem &c. & in illa diuiditur, & in ens in anima quod dicitur ens uerum, & est illud ens quod significat ueritatem propositionis, sicut non ens illi oppositum significat falsitatem, unde consistit in compositione & diuisione & circa partitionem contradictionis, de quo ente non oportet hic agere, tum quia causatur ab operatione intellectus & sic pertinet ad scientiam de intellectu, tum quia consistit circa entia per se extra animam, circa quę intellectus facit compositionem & diuisionem: & sic non ostendit aliam naturam entis præter illa, licet quandoq; dicatur ens, isto modo quod non est ens illo modo, pro quanto intellectus consyderat aliquid quod nō est ens in se, ut quoddam ens, sicut negationē & huiusmodi, & tale dicitur ens rationis quod consyderatur à logico. Tertio diuiditur ens per actū & potētiam, quę diuisio cōpetit omnibus modis entis supradictis, quia in omnibus dicitur aliquid in actu, & aliquid in potētia.

81 *Vnum dicitur multipliciter.* *á.t.c.7. usque ad 12.*

Nam ultra modos superius dictos cum de uno ageretur, dicitur unum numero, unum specie, unum genere & unum analogia siue proportione, licet hęc diuisio sit magis logica: illa uerò superior metaphysica. Vnum numero dicuntur quorum materia est una: specie, quorū ratio est una: genere, quæ habent unum modum prædicandi: analogia, quando unum se habet ad illud, sicut

ſicut aliud ad aliud, quod contingit dupliciter, uel quia duo habent habitudinem ad unum, ſicut ſanum dictum de urina & medicina, dicũtur enim in ordine ad ſanitatem animalis, uel quia eſt eadem proportio duorum ad diuerſa, ſicut tranquilitatis ad mare, & ſerenitatis ad aerem.

T.c.17 *Potentia dicitur multipliciter.* 82

Primò quod eſt principium motus uel mutationis in alio inquantum aliud, quæ eſt ratio potentiæ actiuę: ſecundo quod eſt principium motus uel mutationis, ab altero inquãtum alterum, quę eſt ratio potentię paſsiuę: tertio quod eſt principium agendi uel patiẽdi, non quomodocũque, ſed bene, uel ſecundum quòd homo diſponit: quartò omnis forma & diſpoſitio, ſecũdum quam aliqua redduntur impaſsibilia uel immobilia omnino, aut nõ de facili, & tot etiã modis dicitur poſsibile, & oppoſita eorum ſcilicet impotentia & impoſſibile, licet poſſibile & impoſſibile dicantur etiam aliter ſecũdum habitudinem terminorum.

9.met.t.c.11.12. ſecundo de anima.t.c.5 *Actus etiam dicitur multipliciter.* 83

Dicitur enim de forma quæ eſt actus primus, & de motu ſiue operatione, quæ eſt actus ſecundus, & primo modo diuiditur in actum ſubſtantialem & accidentalem ſicut eſt quædam forma ſubſtantialis, quæ dat eſſe ſimpliciter in actu, & quædam accidentalis, quæ dat eſſe in actu ſecundum quid. Tot etiam modis dicitur eſſe in actu, & ultra illos, dicitur aliquid eſſe in actu perfecto, quando eſt totum in actu ut entia permanentia, & aliquid in actu imperfecto, qui ſcilicet habet admixtam

admixtam potentiam, ut infinitum, entia successiua & huiusmodi, ultra modos dictos ipsius actus, & ipsum esse rei dicitur actus, quia est actualitas rei, & diuiditur in esse essentiæ, & esse existentiæ, & etiam in esse substantiale & accidentale.

84 *Actus, simpliciter est prior potentia, non autem in eodem.* 9.met.t.c.13.

Primũ patet ex hoc, quia ad hoc quòd aliquid reducatur de potẽtia in actum, requiritur aliquid in actu existens, cum nihil reducat se de potentia in actum, unde potentia semper præsupponit actum, & est sermo de potentia passiua, nam actiua est actus quidam eo modo quo forma dicitur actus, secundum patet ex hoc, quia in his quæ fieri debent, unumquodque est prius in potentia quam in actu, de aliis partibus entis, scilicet substantia, quantitate, quot modis dicantur, patet ex supradictis cum de illis ageretur.

85 *Eadem dicuntur multipliciter.* 5.meta.t.c.13.

Quædam sunt eadem per se, quædam per accidens. Quædam eadem genere, quædam eadem specie, quædam eadem numero, quædam diffinitione, quædam proportione, & ferè tot modis quot modis dicitur unum & tot modis dicuntur diuersa, quæ sunt partes multitudinis sicut idem est pars unius.

86 *Differentia dicuntur multipliciter.* Vbi su.

Primò & propriè quando aliqua conuenientia in aliq̃ uno, aut numero, aut specie, aut genere

aut proportione, sunt diuersa. Secundo & communiter quando aliqua sunt diuersa, siue conueniant in aliquo uno siue non, & sic idem sunt differentia & diuersa.

Vbi su. *Similia dicuntur multipliciter.* 87

Primo quum aliqua plura patiuntur simul aliquid, siue patiantur idem, siue diuersa. Secundo quum patiuntur idem, sicut duo ligna quum comburuntur. Tertio quorum est una qualitas, sicut duo alba. Dicitur autem aliquid maximè simile alteri, quādo est simile illi secundum plures qualitates illius, aut secundum illam, quæ est illi maximè propria. Et tot modis dicuntur dissimilia.

Vbi su. *Opposita dicuntur multipliciter.* 88

s. Contrarie, contradictorie, relatiue, & ut habitus & priuatio. Et duobus modis cognoscuntur. Primo ex terminis motuum siue mutationū: qui semper sunt oppositi, scilicet terminus à quo & terminus ad quem, & ex hoc quòd non possunt inesse simul eidem subiecto. Prima horum scilicet cōtraria etiam multipliciter dicuntur. Nā principaliter dicuntur contraria, quæ plurimum differunt in eodem genere, ut album & nigrum: aut in eodem susceptibili, ut sanū & ęgrum: aut in eadem potestate, ut congruum & incongruum. Secundario uerò dicuntur cōtraria per habitudinem ad contraria dicta scilicet aut quia habent contraria in actu, aut quia sunt suscæptiua contrariorum, aut quia sunt factiua seu passiua contrariorum in potentia, aut quia sunt agentia uel patientia contrariorum in actu, aut quia sunt generationes &

corruptiones

corruptiones contrariorum, uel etiam habitus & priuationis.

89 *Diuersa specie multipliciter dicuntur.* Vbi su.

Primò quæ sunt in eodem genere nõ subalterna nec diuisa oppositis differentijs, ut scientia & albedo in qualitate, secundò quæ sunt in eodem genere, & diuiduntur per aliquas differentias siue oppositas siue non, ut bipes & quadrupes. Tertiò quæ diuiduntur per contrarias differentias siue ipsa sint contraria siue non, ut albũ & nigrum homo, & asinus. Quartò quæ sola specie differunt, ut species specialissimæ. Quintò quando aliqua accidentia sunt in eodẽ subiecto, & tamẽ differunt ab inuicem: quia plura eiusdẽ speciei, non possunt simul esse in eodem subiecto. Et per oppositum ad prædicta dicuntur eadem specie.

90 *Priora dicuntur multipliciter.* T.c. 16.

Nam quandoque dicitur aliquid prius altero secundum tempus quia est in priori tempore, aliquando secundum naturam, quia est prius intentum à natura aliquando secundũ naturam. Alio modo id est generatione naturæ quia prius generatur, sicut animal prius generatur quàm homo, & tamen homo est prius intentum à natura, aliquando secundũ locum, ut quod est propinquius alicui principio uel termino, aliquãdo secundum ordinem disciplinę, aliquando secundum dignitatem, aliquando secundum causam, quia causa est prior effectu, dicitur etiam prius à quo non conuertitur essendi consequentia, & si qui sint alij modi.

T.c.21. *Perfectum dicitur multipliciter.* 91

Primò secundum quantitatem cui nulla pars deficit de requisitis ad suam integritatem, secundò secundum uirtutem cui nihil deest de requisitis ad suam uirtutem uel bonitatem, tertiò secundum finem .i. quod est assecutum finem suum, & primo ac secundo modo dicitur aliquid perfectũ uel absolutè, ut mundus in primo modo & Deus in secundo, uel in aliquo genere, ut homo, medicus & huiusmodi, utimur etiam perfecto secundo modo translatiuè in malis ut cum dicimus perfectum furem & huiusmodi, & hi modi dicuntur secundũ se, sed in ordine ad aliud, dicitur aliquid perfectum uel quia facit aliquid perfectũ, aliquo priorum modorum, uel quia habet aliquid perfectè, sicut habens perfectam scientiã, uel quia imitatur uel repræsentat aliquid perfectè.

T.c.22. *Terminus dicitur multipliciter.* 92

Dicitur autem terminus ultimum cuiusque rei & primò dicitur terminus magnitudinis uel habentis magnitudinem ut punctus in linea, linea in superficie & superficies in corpore, secundò ultimum ad quod est motus uel actio, ut quantitas in motu augmenti, tertiò id cuius gratia aliquid fit, scilicet finis: quartò diffinitio rei dicitur terminus, & aduerte ꝙ si terminus comparetur ad principium tot modis dicitur, quot & principiũ, & amplius, quia omne principium est terminus & non conuertitur.

T.c.23. *Secundum quod & secundum se siue per se dicuntur multipliciter.* 93

Nam secundum q̄ dicitur primò de forma seu essentia rei secundum quam dicitur aliquid esse, secundò de subiecto cui primò natum est inesse aliquid: tertiò de causa: quartò prout significat positionem & locum: secundum se autem uel per se dicitur: primò quando diffinitio uel pars diffinitionis dicitur de aliquo: secundò quando aliquid ostenditur inesse alicui sicut primo subiecto, tertiò id cuius nō est aliqua causa: quartò prout aliquid inest alicui soli.

94 *Dispositio dicitur multipliciter.* T.c.24.

Dicitur autem dispositio ordo partium in habentibus partes, & dicitur primò secundum ordinem partium in loco, & sic est prædicamētum situs. secūdò prout ordo partiū attenditur secundum potētiam & uirtutem & sic est prima species qualitatis. tertiò prout ordo partium attenditur secundum speciem & figuram totius, & sic est differentia quantitatis.

95 *Habitus & habere dicuntur multipliciter.* T.c.25. 28.

Dicitur. n. habitus primò de eo quod est medium inter hominē uestitū & uestē, & sic est unū prædicamentū quid autem sit, dictū est supra. secundò de dispositione secundū quā aliquid disponitur bene uel malè, & sic est prima species qualitatis. habere autem dicitur aliquid primò quando habet aliud in sua facultate uel dispositione, sicut febris dicitur habere hominem. secundò secundum quod aliquid cui inest aliquid dicitur habere illud, sicut materia habet formam. tertiò

prout continens dicitur habere contentum. Quartò secundum quod prohibens aliquid operari uel moueri dicitur habere illud sicut fabulosè dicitur Atlas habet cœlum, sustinendo ipsum ne cadat. Similiter autem se habet esse in aliquo sicut habere, & modi essendi in aliquo consequuntur ad modos essendi.

T.c.26. *Paßio dicitur multipliciter*. 96

Primò quidē de qualitate secundum quam fit alteratio, & est tertia species qualitatis. Secundò de ipsis alterationibus quæ fiunt secundum illas qualitates, ut calefieri & huiusmodi. Tertiò specialiter de illis alterationibus quæ sunt nociuę, & ad malum terminatę, ut ægritudo. Quartò adhuc magis specialiter, de illis quæ habent magnitudinem nocumenti, sicut magnæ calamitates.

T.c.27. *Priuatio dicitur multipliciter*. 97

Primò ex parte aptitudinis quam importat quando aliquid non habet quod natum est haberi, quando non habet aliquid quod natum est habere, quando non habet tunc quum natum est habere, & secundum quod ablatio cuiusque rei per uiolentiam dicitur priuatio. Secundò ex parte negationis, negatio alicuius absolutè dicitur priuatio, uel cum habetur defectiuè, uel cū habetur parum, uel cū habetur malè, uel cum nullū habetur quod natū est haberi, & sic dicitur proprijssimè. 98

T.c.29. Ex *aliquo esse dicitur multipliciter*.

Quandoque primò & propriè, uel sicut ex materia, uel sicut ex primo mouēte, uel sicut simplex ex cōposito, uel sicut species ex partibus speciei, quando-

quandoque propriè sed non primò sed secundum partem, & hoc secundum quemcũque modorum prædictorum. Tertiò impropriè, quando inter illa est tantum ordo, ut nox fit ex die.

99 *Pars & totum dicuntur multipliciter.* T.c.30.

Pars quidem dicitur primò de parte quantitatiua siue aliquota siue non. Secundò de parte subiectiua. Tertiò de parte essentiali, ex qua scilicet constat natura rei, & quartò de parte diffinitiua. 31.
Totum autem dicitur primò de toto uniuersali, secundò de toto essentiali, tertiò de toto integrali siue quantitatiuo, dicitur & de toto diminuto quod dicitur colobon, quod nõ habet locum nisi in toto quantitatiuo, quod est dissimilium partium, cuius diminutio non aufert substantiam & & nomen totius sicut homo sine manu. T.c.32.

100 *Genus & diuersa genere dicuntur multipliciter.* T.c.33.

Genus quidem dicitur primò de continua generatione multorũ cõuenientiũ in eadem natura specifica, ut hominum genus. Secundo de principio generante, à quo est illa multitudo, tertiò de primo & cõmuni subiecto rerũ diuersarũ formarũ. Quartò de eo quod ponitur in diffinitione & dicitur in quid de diffinito & diuiditur differẽtijs quę sunt qualitates eius, diuersa autẽ genere philosophicè loquẽdo, dicuntur primò quorũ subiectũ primum .i. materia, est diuersa ita quòd nõ transmutantur inuicem nec in aliquod tertium, secundò, quę continentur sub diuersis prędicamentis.

101 *Falsum dicitur multipliciter.*

Dicitur enim primò de rebus, uel quando dici

tur esse quod non est, quod quandoq; est contingens, quandoque impossibile, uel de eo quod in se est aliquid, sed non est id quod apparet, ut somnium. secũdò dicitur de diffinitione & de illa quę nullius rei est, quæ dicitur falsa per se, quæ scilicet constat ex partibus repugnantibus, & de illa quę est alicuius quidem, sed non eius cui attribuitur, quæ dicitur falsa per accidẽs. tertiò dicitur de homine, primò de illo qui eligit sermones & rationes falsas & delectatur in illis, secundò de illo qui causat in alio rationes falsas ut appareat alius quã sit, & sit hypocrita dicitur falsus & proditor, & adulator.

San.t.1. q.7.per totum.

Finitum & infinitum dicuntur pluribus modis. 102

Dicitur enim finitum in quantitate, quod est terminatum siue in continua quantitate siue indiscreta in formis dicitur finitum, quia forma ad determinatam materiam coniuncta dicitur finita: & similiter materia sub determinata forma dicitur finita. Dicitur etiã finitum esse quod est determinatę essentię: infinitum autem, quod ad nullam essentiam determinatur. unde infinitum aliquando dicitur negatiuè pro non determinato, et hoc modo esse non determinatum ad essentiam & forma non determinata ad materiam, & materia non determinata ad formam dicuntur infinita. aliquando autem dicitur priuatiuè quod scilicet est aptum habere finem & non habet. & hoc est propriè in quantitate, de quo erit inferius sermo.

S.t.primo

Non sufficit coguoscere res in generali. 103

Cognoscere

Cognoscere. n. res in generali est cognoscere indistincte & confuse, quia specialia in generalibus continetur indistincte. oportet autem habere distinctam scientiam de rebus iccirco non sufficit nobis scire quid sit ens generaliter, & ea quę ipsum consequuntur, nisi ad proprietates cuiuslibet entis descẽdamus. Itaque de ente in communi, & de ijs, quæ consequuntur ens inquantũ ens hæc dixisse sufficiat. phy.t.c 2.3.4.

Explicit liber de ente, & de ijs quæ consequuntur ens inquantum sit ens.

Postilla breuissima super hoc opus pro ordinãdis tum libris inter se, tum conclusionibus librorum, & primò in primum librum qui est de ente & consequentibus ipsum, à communioribus enim incipiendum est.

Tria igitur tractat auctor in hoc libro. primò tractat de ipsa prima philosophia quæ est circa ens, usque ad conclusionem uigesimam. secundò de ipso ente & partibus eius à uigesima, usque ad 70. tertiò usque ad finem libri distinguit nomina communia quæ pertinent ad hanc scientiam. Quo ad primum duo principaliter intendit, scilicet circa quid uersetur hæc scientia, & quomodo se habet ad consyderationem ueritatis. primum horum declarat. 11. conclusionibus hoc ordine, quia primò præmittit dignitatem scientiæ

in cõmuni ex hoc quòd naturaliter appetitur ab omnibus in prima conclusione, secundò præmittit ordinem cognitionis ac diuersos gradus eius tã in brutis, q̃ in hominibus in secũda: tertiò cõparat illos gradus adinuicem, secundũ actionẽ in tertia, secũdũ cognitionẽ in quarta, & secũdũ nobilitatẽ in quinta: quarto deducit intentũ ex pręmissis. s. circa quid uersatur hęc sciẽtia quæ sapiẽtia dicitur in sexta, ostendens quòd est circa primas causas & prima rerum principia: quinto ex hoc declarat qualis sit hęc scientia ponẽs quatuor conditiones eius in septima, octaua, nona, & decima, quibus præfertur alijs scientijs in nobilitate, licet postponatur illis in necessitate, quod declaratur in undecima: secundum intentum declarat. 9. conclusionibus hoc ordine, nã primo ostendit ad hanc scientiam pertinere cõsyderationem ueritatis in uniuersali in conclusione duodecima, & quomodo homo se habet ad illam in tertiadecima: hoc enim determinare spectat ad hanc sciẽtiam ex eo quòd consyderat ueritatem in cõmuni, tertio quis est modus conueniens ad eius consyderationem in quartadecima, & qualiter oportet prius acquirere modũ sciendi quàm sciẽtiam, in quintadecima nõ tamen eundem in omnibus scientijs quod ostẽdit in sextadecima: quarto docet unde incipiendum est scilicet à communioribus in decimaseptima subiungens quæ sint ista communiora in decimaoctaua, decimanona, & uigesima, in qua concluditur ab ente incipiẽdum esse tanquam à communissimo, & hęc de primo. Quo ad secundum tria ostendit, primò supponit

esse

esse aliquam scientiã quę consyderat ens inquantum ens inquirens quæ & qualis sit, à conclusione uigesimaprima usque ad trigesimam, secundo agit de ante & passionibus quæ conuertuntur cũ ipso, à trigesima, usque ad quinquagesimamnonam: tertiò de partibus entis à. 59. usque ad. 70. Circa primum horũ primò supponit esse aliquã scientiam quæ consyderat ens inquantum ens, ut dictum est, in conclusióne uigesimaprima, secundò quòd nõ est aliqua sciẽtia particularis sed uniuersalis in uigesimasecunda & ne putaretur esse alia à scientia superius dicta quæ sapiẽtia siue prima philosophia dicitur, ostendit tertiò quæ consyderat hæc scientia, quo ad principia simplicia & causas, in uigesimatertia: quo ad materiam, in uigesimaquarta, & quò ad principia complexa, in uigesimaquinta: per hæc enim ostẽditur quòd est eadem cum superius dicta, quartò declarat de quo principaliter agit in uigesimasexta, quintò declarat ordinem eius ad alias scientias in uigesimaseptima, & partium eius inter se in uigesimaoctaua, & uigesimanona. Circa secundum scilicet ipsum ens quod est subiectũ quia diuiditur in ens per se & ens per accidens: primò remouet ens per accidens à consyderatione huius scientiæ, in conclusione trigesima: secũdò agit de ente per se, ostendens an sit genus sicut multi crediderunt in trigesimaprima ex quo habetur, ꝙ nõ est uniuocum sed analogum, & quia omne commune recipit additionem consequenter declarat, quid nõ possit sibi addi in trigesimasecunda, & quid possit scilicet modus quidã, in trigesimatertia, osten-

dens in trigesimaquarta qui & quot sunt isti modi entis. tertiò agit de passionibus eius communissimis quæ scilicet conuertuntur cum ipso, quarum prima est res de qua in trigesimaquinta. secunda aliquid, de qua per comparationem ad ens in trigesimasexta, & per comparationem ad rem in trigesimaseptima. tertia est unum, de qua plura docet. primò quomodo se habet ad ens, & quo ad conuersionem in trigesimaoctaua, quo ad additionem uerò in trigesimanona. secundò declarat tria pertinentia ad ipsum scilicet multiplicitatem in quadragesima: oppositionem in quadragesimaprima & fundamentum priuationis quam importat in quadragesimasecunda. tertiò comparatur tribus alijs scilicet diuisioni in quadragesimatertia. Multitudini in quadragesimaquarta, & ipsi aliquid siue secundæ passioni in quadragesimaquinta. quarta passio entis est uerum de qua ostendit primò quodmodo se habet ad ens, quo ad conuersionem in quadragesimasexta, & quo ad intellectum in quadragesimaseptima. secundò quomodo se habet ad unum in quadragesimaoctaua, & quia oppositorum est eadem disciplina, agit tertiò de falso in quadragesimanona. quinta passio & ultima est bonũ, de quo docet multa, primò quomodo se habet ad ens quo ad conuersionem in quinquagesima. secundò quomodo se habet ad ipsum quo ad prioritatem & posterioritatem, & quia hoc implicat rationem causandi, prius declarat quam causalitatem importat in quinquagesimaprima: & eius fundamentum in quinquagesima-

gesimasecunda, & postea comparatur enti modo dicto in quinquagesimatertia. tertiò agit de ipso per comparationem ad uerum. in quinquagesimaquarta. quartò declarat partes integrantes ipsum in quinquagesimaquinta quod intellige de bono creato, & de bono ut quod nō ut quo. demum ratione superius dicta agit de malo, & quid sit in quinquasimasexta. & in quo fundatur scilicet in bono in quinquasimaseptima ex quo deducit in quinquagesimoctaua quòd non datur summum malum.

Circa tertium scilicet partes entis, quia diuiditur per substantiam & accidens. prius agit de substantia in communi in conclusione quinquagesimanona. deinde de accidente in communi in sexagesima. quia uerò accidens diuiditur in nouem genera, consequenter agit de illis hoc ordine, quia primò agit de quantitate in sexagesimaprima, & de qualitate in sexagesimasecunda, quæ sunt entia absoluta, & quantitas prius inest substantiæ quàm qualitas. secundò de relatione quæ est respectiuum, in sexagesimatertia. tertiò de alijs sex principijs quæ important absolutum cum respectu quorum primum est actio quia causatur immediatè à qualitate, de qua in sexagesimaquarta. secundum passio quæ causatur ab actione de qua in sexagesimaquinta. tertium quando quod causatur ex actione & passione, impassibilia enim non sunt in tempore, de quo in sexagesima. quartum ubi: quod est minus commune quàm quando: de quo in sexa-

gesimaseptima: quintū est situs quod dicit modum ipsius ubi scilicet essendi in loco, de quo in sexagesimaoctaua: sextum habere quod conuenit solum hominibus & his quæ sunt instrumēta eius unde est minus commune cæteris omnibus de quo in sexagesimanona. Quo ad tertiū principale distinguit nomina pertinētia ad hāc scientiā hoc ordine quia primò distinguit nomina quæ significant causas & principia subiecti à septuagesima, usq; ad octuagesimam hoc modo quòd prius distinguit significantia causas communiter scilicet principium in septuagesima: causam in septuagesimaprima: & elemētum in septuagesimasecunda hæc enim tria se habent consequenter, & quia si causæ essent infinitæ non facerent cognoscere, cum infinitum ut sic, sit ignotum, ideo consequenter probat quòd non proceditur in infinitum in causis, in septuagesimatertia, septuagesimaquarta, septuagesimaquinta, et septuagesimasexta, septuagesimaseptima secundū quatuor genera causarum deinde unum nomen significans causam in speciali, scilicet naturam in septuagesimaoctaua: & alterum quod consequitur ad rationem causæ, scilicet necessarium in septuagesimanona: secundò distinguit illā quæ significāt subiectum, scilicet ens in octuagesima, & unum, in octuagesimaprima, & partes entis, scilicet potētiam in.82. & actum, in.83. comparans illa adinuicem in octuagesimaquarta: alias autem partes entis, scilicet substantiam quantitatem & huiusmodi, non diuidit, quia earum diuisio patet ex dictis: & significantia partes unius cum sibi oppositis

positis, ab octuagesimaquinta, usque ad nonagesimã in qua diuidit aliquid cõsequens rationem unius scilicet prius: tertiò diuidit ea quæ significant proprietates quasdam usque ad. 100. nec multum refert quomodo ordinentur quamuis sit ordo inter illa, addens duo significantia ens imperfectum, scilicet falsum in. 101. & infinitum in. 102 omittens accidens quod etiam significat ens imperfectum: quia eius diuisio patet ex superius dictis cum de illo ageretur. Demum in ultima continuat librum ad sequentes.

INCIPIT LIBER SECVNDVS DE PRINCIPIIS ENTIS MOBILIS.

1 CONSIDERANS ENTIA SPEcialia *prius debet tractare de substantiâ quàm de accidentibus.* 7.met.t. cap.4.

Substantia enim principalior est & prior natura & diffinitione, & tẽpore, & ratione & accidens neque cognoscitur, neque diffinitur sine substantia: prius igitur de substãtia tractandum est.

2 *Scientiæ diuersificantur secundum diuersum modum diffiniendi.* 6.met.t. c.2

Diffinitio enim est medium in demonstratione, & principium sciendi unumquodque, diuersi-

ſitas autem principiorum & mediorum diuerſificat ſcientiam. diuerſi modi ergo diffiniendi diuerſificant ſcientias.

T.c.2. S.t.ibi & primo phy.in proœ.

Tria ſunt genera ſcientiarum ſpeculatiuarum. 3

Quia tres ſunt modi diffiniendi diuerſi. Quidā enim diffiniūt cum materia ſenſibili, ſcilicet ſubiecta ſenſibilibus qualitatibus, ut naturalis philoſophus. Quidam diffiniunt abſque materia ſenſibili, ſed non abſque materia intelligibili ut mathematicus: qui conſyderat quantitates non conſyderans eas, ut ſubijciuntur qualitatibus ſenſibilibus, uel ut ſunt in corporibus ſubiectis iſtis qualitatibus, ſed ſecundum quod ſunt in ſubſtantia materiali, & quocunque ſe habeant ad iſtas qualitates non curat. Quidam autem diffiniunt abſque omni materia ut methaphyſicus, qui conſyderat ea, quæ ſunt ſeparata ab omni materia, ſiue ſint ſecundum ſe tota ſeparata ut Deus & intelligentiæ, ſiue ſint ſeparata ſecundum partem, ita quòd non depēdent ab aliqua materia, ut ens inquantum ens. Itaque tria ſunt genera ſcientiarum ſpeculatiuarum, ſcilicet metaphyſica mathematica & phyſica.

1.meta. t.c.2.

Notiora ſecundum naturam ſunt minus nota nobis. 4

Notiora enim ſecūdum naturam ſunt illa, quæ plus participant actum eſſendi, ut Deus & intelligentiæ, intellectus autem noſter à ſenſibilibus incipit propter ſuam imperfectionem. oportet enim quòd acquirat ſcientiam à ſenſu incipiēdo. unde ſenſibilia ſunt ei magis nota, quæ tamē ſunt

minus

minus nota secundum naturam, & insensibilia sunt ei minus nota: quæ sunt notiora naturæ.

5 *Qui uult de substantia tractare, debet à sensibilibus incipere.* 8.met.t. c.2.

Oportet enim à notioribus nobis in disciplinis procedere, ut per nota deueniamus in cognitionem ignotorum, sensibilia autem sunt magis nota nobis, ut dictum est, igitur ab illis oportet incipere.

6 *Subiectum philosophiæ naturalis est ens mobile.*

Naturalis enim de naturalibus tractat. Res autem naturales sunt illæ quæ in seipsis habẽt naturam. natura autem est principium motus & quietis ut infra declarabitur. philosophia ergo naturalis est de ijs, quæ habent in se principium motus, hæc autem sunt entia mobilia, ens igitur mobile est subiectum eius. 7.met.1. 1.c.1. 8.t.ibi. & primo phy.in proœ.

7 *Corpus mobile non dicitur congruè subiectum philosophiæ naturalis.* S.tho.1. phy.in proœ.

Quia nulla sciẽtia probat suum subiectum de aliquo tanquam passionem de subiecto, in philosophia autem naturali probatur de ente mobili corpus. probatur enim omne mobile esse corpus: unde corporeitas probatur de mobili tanquam passio de subiecto. Ens enim mobile prius est ipsa corporeitate, quia ens mobile est quod habet materiam & formam prius autem est

quòd substantia habeat materiam & formã, quã quòd habeat corporeitatem: unde corporeitas sequitur ad ens mobile sicut passio ad subiectum. ideo de ipso, demonstratur tanquam passio: propter quod non bene dicitur quòd corpus mobile sit subiectum, sicut non bene diceretur, quòd, risibile homo, esset subiectum in scientia de homine: licet possit dici, quòd per corpus mobile intelligatur idẽ quod ens mobile id est ens cõpositum ex materia & forma, ad quod postea sequitur trina dimensio, quæ de ipso probatur in. 6. libro: ideo beatus Thomas magis reprobat modum dicendi quàm illud, quod dicitur cum ait. Dico autem ens mobile, non corpus mobile, quia omne mobile probatur esse corpus, ac si diceret, & si defendi possit, non tamen congruè dicitur.

1.phy.t. *A principijs subiecti & scientiæ est inchoandum.* 8

c.1. Quia tunc arbitramur scire unumquodque: cũ causas eius cognoscimus, & principia usque ad elementa ab illis igitur inchoandum est.

T.c.42. *Principia rerum naturalium oportet esse contraria.* 9

43.44. Principia autem rerum naturalium uoco illa,
45.46. ex quibus primò res naturales factæ sunt, & ex
47. quibus componuntur: quia ergo nihil fit nisi ex opposito suo, ut ex non albo album, & non equo equus, icciroo opportet, quòd ea ex quibus res naturales fiunt sint contraria.

T.c.50. N*on est tantum unum principiũ rerum naturalium.* 10

Cum enim cõtrarietas sit in principijs ex quibus res naturales fiunt ut iam dictum est, & idem sibijpsi non sit contrarium, patet ꝙ non est tantũ

unum

unum principium rerum naturalium. Non ergo rerum naturalium est principium unū, sicut quidam dixerunt aquam uel aërem, ita quòd omnia ex aqua conficerentur, uel aëre, oportet enim plura esse principia.

11 *Non sunt infinita principia rerum naturalium.* T. c. 51.

Infinitum. n. inquantum huiusmodi est ignotum ergo principia rerum naturalium essent omnino ignota, res ergo naturales à nobis cognosci nō possent, ignoratis. n. principijs, necesse est ignorare ea, q̄ sunt ex ipsis, igitur nō sunt infinita.

12 *Non sunt tantum duo principia rerum naturalium.* T. c. 52.

Cum enim sint contraria, & unum contrariū non fiat ex reliquo. non. n. ex non albo fit albū, nisi quia subiectum non album fit album, & similiter ex nigro non fit album, quasi ex nigredine fiat albedo uel album, sed ex subiecto, in quo est nigredo: necesse est cōtrarietati principiorum aliquid subijci, ut ex uno fiat reliquum, & sic res naturales generantur, necesse est ergo duo esse cōtraria in generatione rerum, & unum subiectum sustentans contrarietatem illam, ergo non solum sunt duo principia naturalium rerum.

13 *Principia rerum naturalium sunt tantum tria.* a. t. c. 57. usq; ad t. c. 69.

Sunt enim duo contraria. s. priuatio formæ, & forma, q̄ dat esse rebus, & subiectum sustentans contrarietatem, ut unum contrarium fiat ex reliquo, quia omne, quod fit, fit ex suo opposito, id est, ex subiecto existente in opposito, id est, sub priuatione rei factæ uel fiendæ. Ex non equo. n.

fit equus.i.ex materia,quæ primò est sub priuatione formæ equi, hoc est, quæ est non equus fit equus,dum forma equi informatur. cũ ergo hęc tria sint sufficientia ad saluandum rationem omnium transmutationũ naturalium,& frustra fiat per plura q̃d põt ęquè fieri per pauciora bene,patet ꝙ nõ oportet ponere plura quã tria principia.

T.c.65. 66.67. *Duo sunt principia rerum naturalium per se, & unum per accidens.* 14

Materia enim & forma sunt per se,quia ex his fiunt res naturales & ex his componuntur. unde permanent in composito: priuatio autem formæ est principium per accidẽs.i.per alterũ,inquantũ scilicet coniungitur materię,quamuis ergo sit terminus,à quo per se incipit motus, non tamen est principium naturalium per se.hoc autem in artificialiũ similitudine faciliter intelligimus. Ex infigurato enim fit figuratum,principia autem per se figurati, sunt materia, ut puta lapis, & forma. quæ est figura,utputa imago Cæsaris. Infiguratum autem est per accidens: non enim ex infigurato componitur statua, sed ex lapide, qui quidem lapis & si etiã postquam est sub forma Cęsaris,sit priuatus multis formis alijs, quas posset habere,non tamen illæ priuationes sunt per se principia huius statuæ, sed per accidens inquantum coniunguntur lapidi,materia ergo rerum naturalium est primum substratum, quod omnibus formis substernitur,quod quantum est ex se est pura potentia nullam habens formam, tamẽ nunquam est sine aliqua forma, & cum habet unam.

Nãc mãę

unam, priuatur infinitis, & non potest cognosci nisi per analogiam ad formam, forma enim est q̃ dat esse & constituit speciem: materia autem suscipit hoc esse, quãuis ergo materia, dum est sub una forma habeat multas priuationes non tamẽ priuatio est principium rei nisi per accidens. i. inquantũ coniungitur materiæ. Duo ergo sunt principia per se, & unũ per accidens, q̃d est priuatio. T.c.69.


15 *Materia & priuatio differunt ratione.* T.c. 79.

Non enim realiter differunt, quia priuatio est non ens si autem differunt, differũt ratione, quia materia prima, & priuatum formis idem sunt realiter, sed materia inquantum materia habet aliquid, quod non habet inquantum priuata, quia cum forma sit quid diuinum & optimum, oportet quòd suũ contrarium quod est priuatio sit nõ ens, & malum. Non autem dicimus quòd materia sit mala. Item materia appetit formã tanq̃ propriam perfectionem, sicut turpe appetit esse pulchrũ. & fœmina esse uirum, imperfectum. n. semper appetit suam perfectionem, at priuatio non appetit formam. cũ sit suũ contrariũ, aliter appeteret sui ipsius destructionẽ, differũt ergo ratione.

16 *Materia est ingenerabilis & incorruptibilis.* T.c.82.

In omni enim generatione & corruptione requiritur subiectũ & materia contrarietatem sustentans, materia autem est primum subiectũ omnium, non ergo potest generari, neq; corrumpi, aliter oporteret esse aliud subiectum primum ex q̃ fieret materia, & sic esset aliquid prius primo.

17 *Ad physicum pertinet tractare de natura.* 2.phy.t.c.1.



Ad phyſicum enim pertinet tractare de rebus naturalibus, res autem naturales habent naturã, & non poſſunt cognoſci, niſi cognoſcatur natura, ideo ad phyſicum pertinet tractare de natura.

2. phyſi. *Natura eſt principium motus & quietis in eo in quo* 18
t.c.1.2.3. *eſt primò & per ſe, & non ſecundum accidens.*

Naturalia enim à non naturalibus, & artificialibus differunt, quia illa habent naturam, hæc autem non habent: ſed non apparet alia differentia inter iſta, niſi quia naturalia habent in ſeipſis principium motus & quietis per ſe, artificialia autem non habent per ſe principium motus & quietis inquantum ſunt artificialia, ſed ſolum per accidens inquantum ſunt naturalia ſecundũ materiam, ergo natura eſt principium motus et quietis, ſicut dictum eſt.

Tc. c. 6. *Naturam eſſe non eſt demonſtrabile.* 19

Naturã enim eſſe eſt per ſe notum, ad ſenſum enim cognoſcimus naturalia & motum eorum: non igitur poteſt demonſtrari.

T.c.7.8. *Materia eſt natura.* 20

9.10. Eſt enim principium motus paſſiuum, nihil enim eſt aptũ moueri per ſe, quod non habet materiam, ſufficit autem ad hoc, quòd aliquid ſit natura, quod ſit principium paſſiuum motus intrin ſecum, materia igitur eſt natura.

T. c. 11. *Forma eſt natura.* 21

12, 13, 14 Ab ipſa enim res naturales appellantur, non enim dicuntur ſimpliciter naturales prius quàm habeant formam. Prætèrea omnis generatio & natiuitas,

natiuitas. quæ dicitur natura, terminatur ad naturam, nō autem terminatur nisi ad formam, ergo forma est natura. Vnde cum dicitur etiam quòd res naturales generant sibi simile in natura non uerificatur nisi secundum similitudinem formæ, homo enim generat hominem similem sibi secundum formam.

22 *Forma est magis natura, quàm materia.* T.c.12.

Res enim naturales secundum materiam dicuntur in potentia tantum naturales, sicut & dicuntur esse tantum in potentia. At secundum formam dicuntur naturales simpliciter, cum scilicet forma est introducta in materia, sicut etiam tunc dicuntur esse simpliciter, ergo forma est magis natura quàm materia.

23 *Scientia naturalis consyderat tam de materia quàm de forma.* a.t.c.12. usq; ad t. c.26.

Scientia enim naturalis consyderat de natura rerum naturalium, hæc autem est tam materia quàm forma (ut dictum est) quæ ad se inuicem ordinantur, igitur de utraq; est consyderatio naturalis.

24 *Scientia naturalis non diffinit res naturales absq; materia sensibili.* T.c.19.

De ratione enim rerum naturalium est natura, quæ est principium motus. Natura autem & principium motus est tam materia quàm forma ergo in diffinitione rerum naturalium ponitur tā materia quàm forma. Materia autem hæc cum sit subiectum motus, quia est principium motus

 passiuum

passiuum,nõ potest esse nisi materia sensibilis,ergo naturalis nõ diffiniet absq; materia sensibili.

Essentia rerum naturalium est materia & forma cõiunctæ. 25

Non enim est sola materia,quia forma est magis natura earum,quã materia,quia eis magis dat esse naturale simpliciter,nec est sola forma,quia etiam materia est principium earum per se,ut dictum est,& ponitur in diffinitione earum nec est aliquid tertium,quia illud esset accidens, forma enim solum cum materia sunt principia per se & substantia compositi,ergo oportet quòd essentia earum sit materia & forma coniunctæ, ergo humanitas,non est tantum materia,nec tantum forma,nec aliquid tertium,sed est materia humana & forma,id est anima intellectiua coniunctę.

T.c.26. *Vsque ad animam rationalem pertingit consyderatio naturalis.* 26

Ad ipsum enim pertinet consyderare formam in materia. Anima autem rationalis aliqualiter est forma in materia ut infra ostendetur, ergo usq; ad ipsam pertingit,non tamen ultra se extendit,quia anima intellectiua est ultima formarum naturalium.

T.c.27. *Philosophus naturalis de causis consyderat, non tamen inquantum huiusmodi.* 27

Scientia enim naturalis est speculatiua & propter scire,non autem propter operationem, scire autem arbitramur, cum cognoscimus causam

rei.

rei, ergo consyderare debet causas rerum naturalium, non tamen inquantum causæ sunt, sed solum inquantum sunt principia motuum, quia causa inquantum causa, non dependet a materia, naturalis autem solum consyderat materialia.

28 *Causæ non sunt plures quàm quatuor.* d.t.c. 28. usq; ad T.c.32.

Sunt autem hę efficiens, forma, materia, & finis, nam ad interrogationem factam, per propter quid, semper respondetur causa, sed nihil aliud unquam respondetur quàm aliqua illarum quatuor, ergo nō sunt plures causæ, & hoc rationabile est, quia cum causa sit ad quam sequitur esse, & esse sit a forma: quæ suscipitur in materia, quæ fit ex potentia ente, actu ens, fit autem hoc ab aliquo agente, quod agit propter finem, manifestum est, quòd non reperiuntur plures causæ per se.

29 *Finis est causa potissima.* T. c. 31.

Est enim causa aliarum causarum, quia alijs causis causalitatem præbet, materia enim non esset causa, nisi haberet formam, & forma non esset causa nisi introduceretur ab agente: agens autem non ageret: nisi moueretur à fine, finis autem immobilis permanet, est ergo primum mouens, & prima causa.

30 *Modi causarum sunt plures.* T.c.33.

Est enim causa per se: & causa per accidens: causa prior: & causa posterior siue causa uniuersalis: & causa particularis. causa complexa & causa

incomplexa siue composita, & simplex, & demum causa in actu: & eam in potentia.

T. c. 70. *Physicus omnes istas causas consyderat.* 31

71. 72. Consyderat enim philosophus de generatione
73. 74. rerum naturalium: ad quam concurrunt omnes istæ causæ, scilicet materia, quæ fit in actu per formam & agens hoc faciens propter aliquem finem ergo de omnibus istis debet consyderare.

T. c. 70. *Ex omnibus istis causis demonstra scientia naturalis.* 32

Medium enim demonstrationis est diffinitio. Ad perfectam autem diffinitionem concurrunt omnes causæ, & ideo per omnes causas demonstrat, aliter nõ arbitraremur nos scire, nisi omnes causas sciremus.

a. t. c. 75. *Natura agit propter finem.* 33

usq; ad Tum quia semper agit eodẽ modo, & ut sem-
T. c. 88. per uel ut frequenter producit eosdem effectus. Quod enim fit à casu uel a fortuna est ut in paucioribus, tum quia naturaliter unumquodq; agitur, sicut natum est agi. sed naturalia: ut in pluribus: uel semper aguntur: sicut naturaliter sunt apta nata agi. sed sic aguntur propter aliquem finem: quem quærunt: ergo propter finem natura agit, tum quia ars, quæ imitatur naturam agit, propter finem. Item hoc apparet in formicis & apibus, & araneis, quæ sunt sine intellectu, nam propter finem agunt à natura ductæ. Item in natura est peccatum, sed hoc nõ esset nisi ordinaretur ad aliquem finem. Item agit per determinata media

ergo

ergo ſignum eſt, quod habet determinatum finem. Item ſi non ageret propter finem: ex omni ſemine poſſet quodcunq; indifferenter produci, quod eſt falſum. Item omnes res naturales habent in ſeipſis principium quo mouentur à determinato principio per determinata media, ad determinatum finem, non enim mouentur indifferenter per quodcunque in quodcunq; a quocunq;, ergo patet quòd natura quæ eſt in ipſis aliquẽ finem intendit.

34 *Neceſſarium in rebus naturalibus non tam eſt ex materia, quàm ex fine.* T. c. 87. *uſq; t. c. 92.*

Non enim res naturales ſolum ſunt tales ex neceſſitate, quia materia ſic requirit, ſed ẽt eſt neceſſarium quòd ſint tales propter finem, ſi enim talis finis debet ſequi neceſſe eſt talia media precedere, ergo eſt neceſſarium ex ſuppoſitione finis.

35 *Cauſe ſingulares in actu ſunt ſimul cum ſuis effectib.* T. c. 37.

Poſito enim uno correlatiuorum ponitur & reliquum: cauſa autem ſingularis in actu & effectus eius ſunt correlatiua, igitur ſunt ſimul, præterea ſi non eſſet cauſa in actu cauſandi, puta ędificans: non actu ędificaretur, ergo cauſa eſt ſimul cum effectu in actu: quod non ſemper accidit in cauſis quæ ſunt in potentia.

36 *In naturalibus oportet uniuſcuiuſque cauſam ſupremam requirere.* T. c. 38.

Tunc enim arbitramur nos ſcire cum cauſam ultimam ſeu ſupremam cognoſcimus uniuſcuiuſq; oportet igitur ad primam peruenire.

T.c. 38. *Causis debent proportionabiliter correspondere effectus.* 37

Vnumquodque enim relatiuum habet correlatiuum sibi propriè correspondens, causa autem & effectus sunt correlatiua, igitur sibi correspondent: ita quòd uniuersalibus causis debent respondere effectus uniuersales, & singularibus singulares: & similiter causis in potentia: effectus in potentia: causis in actu effectus in actu.

T.c. 51. 52. *Fortuna est causa per accidens in ijs, quæ sunt a proposito propter finem & in minori parte.* 38

Siquis enim fodiens sepulchrum inueniat thesaurum dicitur a fortuna inuenisse: fossio enim ipsa est causa huius inuentionis per accidens: quia nō fuit intenta propter inuentionem thesauri: sed ad sepeliendum mortuum, a proposito autem fit quod fit ab intellectu, fiebat ergo hæc fossio ab intelligentie quia ab homine in quantum erat intelligens opus suum & finem, & fiebat propter finem, id est ad sepeliendum mortuum. Quòd autem ex hoc fuerit inuentus thesaurus: non est: ut in pluribus: sed ut in paucioribus, fossio ergo hęc respectu thesauri est fortuna, & hoc idem in cæteris poteris consyderare, fortuna est ergo causa per accidens: ut dictum est.

T.c. 58. usq; ad T.c. 56. *Fortuna & casus non omnino idem sunt.* 39

Fortuna enim est solum in ijs: quæ fiunt a proposito, casus autem est causa per accidens in ijs: quæ fiunt propter finem in minori parte etiam

 si non

37 si non fiant a proposito: ut in irritionalibus & in inanimatis multa fiunt a casu, omnis ergo fortuna est casus: non autem è conuerso.

40 *Fortuna & casus reducuntur ad causam mouentem.* T. c. 65.

Omne enim per accidēs reducitur ad id: quod est per se, casus ergo & fortuna cum sint causę per accidens: reducuntur ad causas per se, hæ autem non sunt nisi natura & intelligentia: quia princi-
38 pium eorum: quæ sunt à fortuna & à casu est natura uel intelligentia: quæ sunt causæ mouentes, ergo reducuntur ad causam mouentem.

41 *Fortuna est nobis ignota.* T. c. 53.

Causæ enim per accidens sunt infinitę infinitis enim modis uariatur ens per accidens: cum infinita uni accidere possint absque ullo ordine. Infinitum autem inquantum huiusmodi est ignotum, igitur fortuna est ignota.

42 *Fortuna est cæca & absq; ratione.* T. c. 55.

Cum sit enim per accidens, de ea nulla potest esse ratio, neque ars: neque scientia: Vani ergo sunt omnes: qui uolunt prædicare futura: quæ sunt à casu & à fortuna.

43 *Bona fortuna est incerta.* T. c. 57.

Furtuna enim ut dictū est ignota est, & absq;
39 ratione, & de ea non est ars, sed bona fortuna est fortuna, ergo bona fortuna est incerta. Non est ergo credendum diuinationibus, quia nullam possunt de fortuitis reddere rationem.

Fortuna

T.c.54. *Fortuna est prope nihil.* 44

Ens enim per accidens est ens secundum quid & propriè nihil, sed fortuna est causa & ens per accidens, ergo est propriè nihil, ens enim per accidens non est ens simpliciter.

T.c.71. *Naturalia non sunt à casu, nec à fortuna.* 45

Quia ea, quæ sunt a fortuna sunt in minori parte, sed naturalia sunt semper uel. ut in pluribus, & eodem modo, & procedūt a suis causis quodam ordine, ut dictum est, igitur non sunt a casu, nec a fortuna. De principijs ergo entis mobilis & scientiæ naturalis ista sufficiant.

EXPLICIT LIBER SECVNDVS DE PRINCIPIIS *entis mobilis.*

Postilla in librum secundum.

POst scientiam uniuersalem quæ, scilicet est de ente uniuersali, sequuntur scientiæ speciales quæ sunt de diuersis generibus entis, inter quas prima ordine doctrinę est naturalis, ut declarabitur, ideo agit prius de illa, & primò quidem in comuni, siue quo ad comunia toti philosophiæ naturali usq; ad quintum librum, secundò in speciali de partibus eius; in reliquis libris. Et quia subiectum est primum cōsyderatum in scientia, ideo in hoc secundo libro qui est primus scientiæ naturalis agit de subiecto ipsius hoc ordine,

44 dine, primò quidem ſtabilis ſubiectum uſq; ad
concluſionem octauam, ſecundò agit de princi-
pijs illius per quę cognoſcitur, ab octaua uſq; ad
decimamſeptimam, tertiò de principijs ſcientiæ
quibus deuenitur in cognitionem ſubiecti, uſq;
ad finem libri. Quo ad primum antequàm ſtabi-
45 liat ſubiectum, præmittit ordinem totius ſcien-
tiæ naturalis ad alias partes philoſophiæ primò
quidem ad eas q̃ ſunt de accidentibus in prima
concluſione ſubiungens modum quo diſtingun-
tur huiuſmodi partes philoſophiæ in ſecunda, &
ex illo deducens numerũ earum in genere in ter-
tia, ſecunda declarat ordinem eius ad illas quæ
ſunt de ſubſtantijs immaterialibus, præmittens
in quarta fundamentum, & in quinta deducens
intentum ꝙ ſcilicet a ſenſibilibus incipiendum
circa quę eſt ſcientia naturalis. Demum ſtabilit
ſubiectum in ſexta, & remouet in ſeptima id qđ
à quibuſdam putatum eſt eſſe ſubiectum. Quo
ad ſecundum præmiſſo ordine huius libri qui eſt
de principijs entis mobilis ad reliquos ſequentes
in concluſione octaua, primò declarat quandam
conditionem ſeu proprietatem cõmunem prin-
cipiorum, ſcilicet contrarietatem in nona, ſecun-
dò ex illa deducit numerum principiorum, re-
mouens unitatem, in decima, infinitatem in un-
decima, dualitatem in duodecima, et in tertiade-
cima inferens trinitatem, qui eſt numerus eorum
in genere, tertiò declarat qualitatem eorum in
quartadecima, quartò naturam unius illorũ ſpe-
cialiter, ſcilicet materiæ quia eſt magis ignotum
declarat in quam eius naturam, & per reſpectum
ad priua-

ad priuationem quæ cũ uidetur idem in quintadecima & in se sextadecima. Quo ad tertiũ duo principaliter declarat iuxta duo quæ oportet primò cognoscere in aliqua scientia, quæ sunt subiectum, & medium, primò igitur declarat de quibus est scientia naturalis, quod est declarare subiectum, usq; ad conclusionem uigesimam septimam, secũdò ex quibus causis demonstrat, quod est declarare medium, usq; ad finem libri. Circa primum horum quia entia quæ consyderat naturalis sunt entia naturalia, nam ens mobile quod est subiectum est ens naturale, incipit à natura, et præmisso q; eius consyderatio spectat ad naturalem in conclusione decimaseptima primò diffinit ipsam in decimaoctaua ex qua diffinitione deducit in decimanona an sit demonstrabilis, secundò declarat quot modis dicitur in uigesima, & uigesimaprima, comparando postea illos modos inter se in uigesimasecunda, tertiò ex his deducit intentum, scilicet de quibus consyderat scientia naturalis, in uigesimatertia, & quomodo diffinit in uigesimaquarta, ex quo deducit quæ sit essentia rerum naturalium, siue entis mobilis, in uigesimaquinta ubi nota q; secundũ aliam opinionem quæ uidetur uerior & magis conformis doctrinæ Ari. in 7. meta. & diui Thomæ in pluribus locis, essentia rerum naturaliũ est aliquod tertium resultans ex materia & forma coniũctis quod non est accidens, sed substantia composita & differt realiter à partibus etiã simul sumptis, sed auctor sequitur hic opinionem quorundam, demum declarat terminum consyderationis eius

quod

quod sequitur ex dictis, in uigesimasexta. Circa secundum autem, scilicet medium præmisso q̃ naturalis consyderat de causis & quomodo in uigesimaseptima, primò determinat de causis docens quot sunt causę in uigesimaoctaua, quæ potissima inter illas in uigesimanona, & qui modi causarum, in trigesima, secundò quomodo physicus se habet ad omnes illas causas, & quo ad cõsyderationem, in trigesimaprima, & quo ad demonstrationem in trigesimasecunda, tertiò declarat duo quæ supponuntur in prædictis, scilicet naturam agere propter finem, cum in naturalibus sit causa finalis, & hoc declarat in trigesimatertia, et necessarium in naturalibus sumi etiã ex fine quod ostendit in trigesimaquarta, quartò declarat tria quæ sequuntur ex modis causarum, in trigesimaquinta trigesimasexta, & trigesimaseptima, ultimò de quibusdam causis immanifestis, scilicet fortuna et casu, quid sit primum in trigesimaoctaua, quid secundum in trigesimanona ad quam causam reducuntur in quadragesima quæ attribuantur fortunę in 41. 42. 43. 44. & demum quomodo se habent ad naturalia in quadragesimaquinta.

INCIPIT

INCIPIT LIBER TERTIVS DE MOTV IN COMMVNI, ET DE IIS, QVAE CONSEQVVNTVR IPSVM MOTVM.

3. physi. t.c. 1. A D PHILOSOPHVM NAturalem pertinet *tractare de motu.* 1

Motus enim ponitur in diffinitione naturæ, igitur ignorato motu, necesse est ignorare naturam, si autem non cognoscimus naturam, ergo nec res naturales, oportet ergo tractare de motu.

Te. c. 6. *Motus est actus entis in potentia in quantum huiusmodi.* 2

Quando enim mobile est adhuc in termino, a quo incipit moueri, nondum mouetur, similiter nec quando est in termino, ad quem peruenire ultimo debuit, tunc enim motum est, & non mouetur, tunc autem mouetur, quando est in actu, in quo prius non fuit, & simul tendit ad ulteriorem actum, ad quem adhuc est in potentia, illud ergo, quod mouetur, est in actu imperfecto et tendit ad ultimum actum, respectu igitur actus imperfecti est in actu, respectu autem ultimi actus est in potentia, si autem sisteret in actu imperfecto non diceretur moueri, sed quiescere. Tunc autem dicitur moueri cum existens in illo actu, tendit in actum ulteriorem, motus ergo eius est ille actus, dum mobile tendit ad ulteriorem actum

ad quem

ad quem est in potentia, motus ergo est actus entis in potentia inquantum huiusmodi.

3 *Motus est actus mobilis inquantum est mobile.* T. c. 16.

Est enim actus entis in potentia inquantum huiusmodi hoc autem non est nisi mobile inquãtum est mobile actu, id est inquantum actu mouetur, est ergo motus actus mobilis inquantum huiusmodi.

4 *Motus est in mobili.* T. c. 17.

Actus enim est in eo, cuius est actus, motus autem est actus mobilis, ergo est in mobili.

5 *Idem est actus mouentis & mobilis.* T. c. 18.

Idem est enim quod mouens agendo causat, & quòd mobile patiendo recipit, hoc autem dicitur actus utriusq;, mouentis quidem inquantũ aliquid agit. moti uero inquantum patitur, igitur utriusq; est idem actus.

6 *Actio & passio sunt idem motus realiter.* T. c. 10.

Idem enim realiter est actus agentis & mobilis patientis. Actio autem est actus agentis & passio patientis, ergo unus & idem actus est actio & passio, actus autem mobilis seu patientis ab agente est motus, actio ergo & passio sunt unus motus realiter: Differũt autem ratione, quia hic actus ut est ab agente dicitur actio, ut autem est in passo dicitur passio.

7 *Actio & passio realiter sunt in patientie tanquàm in subiecto.* a. t. c. 10. usq; ad t. c. 27.

Cum enim ſint idem motus realiter & ille motus ſit in mobili patet, quòd ambo realiter ſunt in mobili & paſſo. Eſt enim ab agente nō in agente, aliter moueretur agens eo motu, quo alterum mouet, eſt ergo in paſſo tanquam in ſubiecto.

T.c.24. *Ad philoſophum naturalem pertinet tractare de infinito.* 8

Infinitum enim conſequitur motum ſicut & quodlibet continuum. Continuum enim eſt diuiſibile in infinitum. Cum igitur philoſophus naturalis conſyderet de motu, ut dictum eſt & de alijs continuis puta magnitudine & tempore, patet quòd ad ipſum ſpectat tractare de infinito.

d.t.c.41 uſq; ad t.c.56. 5.t.prima t.3. *Infinitum corpus ſenſibile dari non poteſt.* 9

Omne enim corpus ſenſibile eſt mobile, cum habeat materiam, que eſt principium motus, ergo oportet omne ſenſibile corpus habere aliquē determinatum motum, ſed ſi eſſet infinitum non poſſet moueri non quidem motu recto, quia omnia loca occuparet, nec circulari, oportet enim in motu circulari quòd una pars transferatur in locum alterius, ſed hoc non eſt poſſibile in infinito, quia oporteret dicere quòd infinitum pertrāſiretur, nam ſi ab uno eius puncto protrahantur duæ lineæ diſtantes tm̄ oportebit protrahere, quòd diſtabunt in infinitum, nunquam ergo poterit una ad locum alterius peruenire, nec etiā partes eius mouerentur in eo quia non eſſet maior ratio quòd moueretur uerſus unam partem quam aliam, aut etiā circulariter, quia ſi eſſet corpus infinitum, in eo

non

non esset inuenire nec medium nec ultimum, ergo non potest esse corpus sensibile infinitum.

10 *Infinitum in multitudine non potest dari actu in natura.* s.t.prima t.4.

Loquitur autem nunc in rebus materialibus, & probatur conclusio hęc, tum quia omnis multitudo materialis est in aliqua specie numeri, cũ nihil sit in genere qđ nõ sit in aliqua specie, omnis aũt species numeri est actu finita, cũ numerus sit multitudo facta per unum, tum quia omnis multitudo est aliquid creatum loquendo de multitudine actu existẽte, de qua est sermo, omne autem creatum sub certa intentione creantis comprehẽditur & continetur sub certo numero, ergo datur tamen tale infinitum in potentia, quia augmentum multitudinis sequitur diuisionem continui, quod in infinitum est diuisibile.

11 *Infinitum est, cuius extra semper est aliquid accipere.* T.c.61. 63.

Infinitum enim aliquo modo sit & non possit actu esse, ut dictum est secundum magnitudinem oportet saltem quòd sit potentia, ut sit actu magnitudo finita diuisibilis in partes infinitas. Dicitur igitur hæc magnitudo actu finita, infinita in potẽtia, quoniam extra ipsam, uel extra id quod acceptum est si diuidatur, semper est aliquid accipere, est ergo ratio infiniti, quæ dicta est.

12 *Infinitum in diuisione facit, ut non detur tam parua magnitudo, quin minor possit dari.* T.c.59. 60. 67.

Cum enim nũquam cesset diuisio data q̃cunq;

magnitudine quantumcunq; minima, illa poterit diuidi in partes, quæ sunt minores toto, semper igitur quacunq; magnitudine data potest dari minor.

Vbi su. *In appositione infinita non oportet excedere quamcunque magnitudinem finitam.* 13

Sint enim duæ magnitudines decem pedum, & una diuidatur in infinitas partes proportionales, uerbi gratia diuidatur totum in medietates, & medietas in medietates & medietas iterum in medietates & sic in infinitum, & semper pars extracta apponatur alteri lineæ. Cum ergo semper aliquid remaneat diuidendum de altera linea, patet φ linea, cui fit additio nunq̃ erit uiginti pedũ ergo patet quòd per additionem infinitam non exceditur linea uiginti pedum, immo nec æquatur. In numeris autem nota quòd datur minimus numerus, ut binarius, non autem maximus, quia numerus causatur ex diuisione continui. Cum ergo semper sit diuidere, semper numerus poterit augeri in infinitum.

4. physi. t.c. 1. *Ad philosophũ naturalem pertinet tractare de loco.* 14

Ad philosophum naturalem pertinet tractare de motu, & de motu presertim locali, motus autem localis est in loco, ergo ad ipsum etiam pertinet tractare de loco.

T.c.24. 25. *Aliquid potest esse in seipso secundum partes.* 15

Totum enim aliquando denominatur propter partes, nam totus homo denominatur albus, licet non sit albus nisi secundum superficiem, quando

quando ergo una pars totius est in altera, dicitur etiam quòd totum est in seipso secundum partes.

16 *Nihil est in seipso primò & per se.* T.c.26.

Aliquid est in aliquo primò, quod est in eo nō secundum partes, sed secundum totum, ut quando uinum est in amphora, per se autem est, quando non est in altero, quia alterum, in quo est, est in illo, sed per seipsum, ut quando homo est in naui anima eius est in naui per accidens, quia est in corpore, quod est in naui: sed homo est ibi per se, nihil ergo est in seipso secundum totū per se, quia oportet esse distinctionem inter id quod est in altero, & in quo est alterum, aliter idem secundum idem esset id, quod est in altero, & in quo est alterum, pręterea modi, quibus dicitur aliquid esse in altero, ostendunt esse distinctionem inter illud, quod est in altero, & illud, in quo est alterum. Nam dicitur aliquid esse in altero sicut pars in toto, sicut totum in partibus, sicut species in genere, T.c.23. genus in specie sicut forma in materia, sicut materia in forma, sicut effectus in causa efficiente, sicut in causa finali, sicut in uase, et hic ultimus modus est maximè proprius.

17 *Nihil est in seipso primò, & per accidens.* T.c.27. 28.

Esset enim in seipso per hoc quòd aliquod corpus in quo est, esset in ipso & sic duo corpora essent in eodem quod est falsum. Nota aurem quòd si deus dicitur esse in seipso intelligendum est negatiuè, quia non est in altero.

18 *Locus non est forma, nec materia.* T.c.36. 38.

Materia enim & forma sunt partes rei locatæ locus autem non est pars sed separatus est à loco, non igitur est forma uel materia.

T. c. 37. *Locus non est spatium.* 19

Spatium, dicebant antiqui quantitatem separatam à substantia corporea, quæ dicitur trina dimensio, id est longitudo latitudo, & profunditas, quæ penetrabat corpora locata, & hic erat secundum eos locus eorum. Primò igitur sequebatur quòd accidens sit separatum à substantia, secundò quòd loci esset locus, quia si uas transfera tur, oportet quòd in alio loco collocetur. Cum igitur spatium eius sit locus aquę uel uini, patet ꝙ locus ille in alio loco locabitur. Prętereà quòd corpus nō sit simul cum alio corpore, non est ratione formæ, nec ratione materiæ, quę secundum se sunt indiuisibiles, sed ratione dimēsionum. Dimensiones igitur loci & corporis locati non poterunt esse simul, ergo locus non est spatium.

T. c. 39. 40. 41. *Locus est terminus immobilis continentis primum.* 20

Continens primum dico, quod nihil aliud cōtinet præter locatum. Aër enim totus est locus hominis cōmunis, sed continens primum est ille à quo aliquis homo continetur, ita quòd nihil aliud ab eo est contentum secundum ultimam superficiem, quę est terminus eius tangens corpus locatum. Ille igitur terminus dicitur locus, qui in se duo habet scilicet materiale, quod est ipse terminus continentis primum & formale, quod est respectus ad centrum terræ & ad polos mundi.

Cum

Cum ergo dicitur quòd est immobilis intellige quantum ad formale, semper enim manet distantia eadem respectu centri & polorum mundi, etiam si uarietur superficies, ut patet in naui, quæ est in fluuio, ubi aqua semper fluit & facit diuersam superficiem, unde locus est idem propter eandem formam, sicut quamuis partes hominis fluant, tamen manet idem homo propter eandem formã. Ex his sequitur quòd cuicunque corpori adiacet aliquod corpus continens ipsum exterius hoc est in loco simpliciter & per se, cui uerò non adiacet aliquod corpus non est simpliciter & per se in loco, quomodo autem sit in loco in sequenti conclusione declaratur.

21 *Vltima sphæra est in loco per partes.* T. c. 4. 44. 45.

Est enim in loco aliquo modo, quia mouetur localiter non autem est in loco sicut cætera corpora, quia non continetur ab aliquo. Non potest autem dici melius cum aliquo modo sit in loco, quia mouetur localiter, quàm quod sit in loco per partes. Totum enim non uariat locum in motu circulari secundum rem, sed solum secundum rationem nisi per partes, quia partes uariant locum etiam secundum rem. Dicatur ergo quòd est in loco per partes, quæ quidem sunt in potentia in toto. Non enim sunt actu diuisæ & designatę unde etiã partes non sunt actu in loco sed potentia tantum inquantum possunt designari uel intelligi designatę, est ergo in loco quomodo potest, omne autem corpus cui inest aliud corpus continens ipsum est in loco per se & in actu.

T. c.48. 49. *Omne corpus naturale fertur naturaliter in ſuum lo= cum proprium, & ibi naturaliter quieſcit.* 22

Locus enim proprius corporis eſt naturaliter proximus & ſimilis ei, & eius conſeruatiuus & quaſi totum reſpectu locati, Vnumquodq; autem naturaliter fertur ad ſuum proximum uel ſimile quod ipſum conſeruat, & naturaliter quieſcit pars in ſuo toto, igitur naturaliter tendit corpus naturale ad ſuum locum, naturaliterq; in eo quieſcit.

T. c. 50. *Ad philoſophum naturalem pertinet tractare de uacuo.* 23

Quia enim quidam crediderunt eſſe uacuum in natura per eaſdem rationes, quibus probatur locum eſſe, idcirco pertinet ad philoſophum naturalem tractare de uacuo, excludendo ipſum uacuum.

T. c. 50, 60. *Vacuum ſignificat locum, in quo non eſt corpus tangibile, quod eſt aptum natum ibi eſſe.* 24

Ita enim locuti ſunt de uacuo antiqui, & ita nos intelligimus loqui.

T. c.64. 65. 66. 67. *Vacuum non datur in natura.* 25

Si enim uacuum eſſet, maximè eſſet propter motum localem, ne dum aliquid mouetur localiter cōtingat duo corpora eſſe ſimul, ſed propter hoc non oportet ponere quia ſaluatur motus localis in corporibus cedentibus, ut in aqua, aëre & igne, ergo non eſt ponendum uacuum propter motum, quinimmo deſtrueret motum, nam mo-

tus na-

tus naturalis est ad locum sibi similem & proximum naturaliter, in uacuo autem nulla est proximitas, ergo ibi non potest esse motus naturalis, & per consequens nec uiolentus, quia remoto naturali remouetur uiolentus, eo quòd uiolentus motus est ille, qui est contra naturam, ergo posito uacuo remouetur motus omnis, non ergo est uacuum ponendum.

26 *Ad philosophum naturalem pertinet tractare de tempore.* T.c. 87.

Tempus enim sequitur motum, & est mensura motus, & diuiditur quoq; ad modum motus, unde sicut ad naturalem pertinet tractare de motu, ita etiam habet tractare de tempore.

27 *Tempus non est motus, nec mutatio.* T. c. 95.

Motus enim & mutatio sunt in eo duntaxat, cuius sunt motus & mutatio, uel in loco ubi fit, sed tempus est similiter in omni loco & in omni re, igitur non est motus nec mutatio.

28 *Tempus non est sine motu.* T. c. 97.

Non enim sentitur tempus nisi etiam motus sentiatur, grauiter enim dormientes, & fortiter contemplantes non sentiunt tempus, quia non sentiunt motum. Qui autem sentit motum, statim sentit etiam tempus. Tempus ergo non est sine motu.

29 *Tempus est aliquid motus.* T. c. 98.

Cum enim tempus non sentiatur sine motu, et cum sentitur motus similiter etiam sentiatur tem

 pus, ne-

pus,neceſſe eſt, uel quòd tempus ſit motus, uel quòd ſit aliquid motus,dictum eſt autem, quòd nõ eſt motus,ergò eſt aliquid motus ſcilicet menſura eius,ut infra dicetur.

T.c.133. *Tempus ſequitur motum localem.* 30

Vnumquodq; enim menſuratur primo ſui generis,inter omnes autem motus,primus eſt localis,ut infra probabitur. Tempus aũt eſt menſura motus, oportet igitur quòd tempus ſit aliquid motus localis,& ſequatur motum localem.

T.c.133. *Tempus ſequitur motum localem primi mobilis.* 31

Cum enim tempus ſit menſura motus oportet quòd ſequatur illum motum, à quo alij motus cauſantur,quia unumquodq; menſuratur primo ſui generis, motus autem primi mobilis eſt primus & cauſa omnium aliorum,ut inferius oſtendetur,ergo ad ipſum ſequitur tempus.

8.phy.t.c.59 s.t.prima 110.ari.3. *Motus localis nihil intrinſecè parit in mobili.* 32

Per motum enim localem non acquirimus niſi locum uel eſſe in loco, locus autem eſt aliquid extrinſecum,& eſſe in loco nihil aliud dicitur realiter,q̃ locum & locatum,ut dictum fuit in primo libro concluſione,67.aliter ſequeretur, quòd quando aliquid moueretur localiter, infinita accidentia in eo continuè generarentur & corrumperentur,ut in ſole,luna & ſtellis,quod nullo modo uidetur eſſe uerum,nihil igitur ponit intrinſecè in mobili.

4.phyſi.t.c.104. *Mobile in toto motu eſt idem ſubiecto & diuerſum ratione.* 33

Nam

Nam cum nihil intrinsecè acquirat, patet quòd realiter subiectum non uariatur in motu locali, de isto enim semper loquimur, sed cum semper sit in alio & alio ubi, patet ꝙ uariatur secundum rationem, quia semper habet diuersos respectus seu dispositiones, loca enim quæ uariat, sunt diuersa realiter, sed subiectum intrinsecè non uariatur realiter.

34 *Motus localis est successio diuersorum ubi.* *Cap.2.d.6.q.1.*

Vbi enim ponit locum & locatum, quando uniuntur ad inuicem, sed sicut humanitas ponit animam & corpus, id est materiam & animam intellectiuam realiter, quando sunt unita, & unio non est nisi ens rationis, ita ubi dicit locatum & locum unita, & unio non ponit aliquod tertium ens reale sed ens rationis, successio ergo istorum ubi, est motus. Cum enim motus sit actus entis in potentia inquantum huiusmodi, motus localis nihil aliud erit, nisi mutata esse, idest esse in hoc uel in illo loco, ad quem id mobile peruenit inquantum adhuc ad aliud ubi, tendit, unde continua successio istorum ubi, est motus localis. *ar.3. primũ cõ. Aliam partem secundæ conclu.*

35 *De motu non habemus nisi unum indiuisibile.* *s. tho.4. phy. t. c. 131.*

Cum enim in quadã successione cõsistat, oportet quòd pars præterita & pars futura non sit, illa enim fuit, hæc autem nondum est, unde semper remanet mobile in uno mutatum esse, uel in uno ubi, quod est indiuisibile motus, unde partes motus non remanent sicut partes lineæ. Cum ergo dicatur quòd motus sit diuisibilis, & de numero

Prius & posterius in motu non differunt nisi secundum rationem a motu. Vbi. s.
39

Prius enim in motu: quantum ad id: quod est non est nisi prior pars motus: quæ non differt realiter à motu, & similiter posterius est posterior pars, sed differunt ratione, quia motus secundum se est actus entis in potentia inquantum huiusmodi. Quòd autem in eo sit prius & posterius est ex ordine partium magnitudinis.

40 *In tempore est prius & posterius proportionabiliter secundum motum.* Vbi. s.

Iam enim dictum est: quòd tempus non separatur a motu & cum sentitur motus simul etiam sentitur tempus, unde etiam eodem ordine sentitur tempus & motus. Dicimus etiam priorem partem motus esse factam in priori parte temporis & posteriorem in posteriori, est ergo in tempore prius & posterius sicut & in motu.

41 *Tempus sequitur motum secundum rationem prioris et posterioris.* T.c.100.

Non enim sequitur motum absolutè, quia nõ sentimus tempus quando sentimus motum absolutè, nisi enim in motu determinares prius & posterius: nunquam sentires tempus ratione ergo prioris & posterioris sequitur motum.

42 *Tempus est numerus motus.* T.c.101.

Nunquam enim sentimus tempus, nisi quando numeramus partes prioris & posterioris motus. Cum ergo tempus sit aliquid motus: ut iam dictum

dictum est: patet quòd non est nisi numerus motus: cum numerando motum statim sentiamus tempus.

Vbi sup. *Tempus est numerus motus secundum prius & posterius.* 43

Si enim acciperemus unum nunc: quod esset principium posterioris & finis prioris: nunquam diceremus fieri tempus: quia partem priorem & posteriorem motus non sentiremus, tunc autem sentimus tempus cum numeramus unum motũ post alterum, est ergo numerus motus secundum prius & posterius in motu.

T.c.102. *Tempus & motus non differunt realiter.* 44

Cum enim tempus sit numerus: iam non est numerus: quo numeramus, quia ille est in anima solum, est ergo numerus numeratus, id est res numerata. Cum ergo non sit nisi numerus motus, patet quòd est motus numeratus. Non differunt autem realiter motus numeratus, & numerus motus numerati. Item etiam cum prius & posterius in motu non differant realiter à motu, et tempus sit prius & posterius numerata in motu, patet quòd tempus à motu realiter differat.

T.c. 131. *Tempus sine anima habet esse imperfectum.* 45

Sicut enim motus non habet esse nisi secundum unum indiuisibile eius extra animam, & perfectio eius accipitur ab anima consyderante, ita & tempus quod est idem realiter cum motu, non habet nisi unum indiuisibile extra animam, perfectionem autem habet ab anima nume-

numerante & ordinante prius & posterius.

46 *Anima non existente non oportet non esse tempus.* *Vbi su.*

Nam anima non existente poterit esse motus, qui & si non numeretur actu, erit tamen aptus natus numerari ab anima, quæ poterit esse, est ergo sine anima utcunque, id est imperfectè. Si autem anima non posset esse nec posset esse tempus quia non posset esse numerus, nam motus non esset numerabilis] si nihil esset, quod posset numerare.

47 *Instans non differt à mutato esse realiter.*

Instans enim ita se habet in tempore sicut mutatum esse in motu, sicut enim mutatum esse est terminus motus, ita etiã nunc est terminus temporis, ergo à cõmutata proportione, ita se habet nunc ad mutatum esse, sicut tempus ad motum, tempus autem non differt realiter à motu, ergo nũc nõ differt realiter à mutato esse, igitur in tantum mutatum esse dicitur mutato instans, inquãtum terminat partes motus, prout sunt in anima numeratæ.

48 *Nunc temporis idem est subiecto in toto tempore & diuersum ratione.* T.c.103. 104.

Cum enim sit idem nunc quod mutatum esse & mutatum esse sit ipsum mobile secundum quod est sub tali, uel tali dispositione. quod quidem manet in toto motu idem subiecto & diuersum secundum rationem, patet quòd instans est idem quod ipsum mobile realiter. Mobile igitur secundum se non est mutatum esse, sed

secundum

ſecundum quod eſt ſub tali diſpoſitione, qua terminat partes motus inquantum eſt motus, at ſecundum quod eſt ſub tali diſpoſitione.ut terminat partes motus inquantum eſt ab anima numeratus,ſic eſt ipſum inſtans.Cum igitur ſit ſemper idem realiter in toto motu & diuerſum ratione, ſecundum quod eſt ſemper ſub alia,uel alia diſpoſitione locali,patet quòd inſtans eſt idem realiter in toto motu & differt ratione,quia fundamentum reale ipſius inſtãtis ſemper manet idem ſed ratio eſt diuerſa.

T.c.105. *Tempus non eſt ſine nunc,nec nunc abſque tempore.* 49

Tempus enim & nunc ſe habent,ſicut motus & mobile,ſed motus non eſt ſine mobili nec ecõuerſo,ergo nec nunc ſine tempore,nec econuerſo.

Vbi ſu. *Tempus eſt continuum ipſi nunc.* 50

Sic enim ſe habet nunc ad tempus ſicut mobile exiſtens ſub una diſpoſitiõe in motu ad ipſum motum, mobile autem ſic ſe habens coniungit partes motus,ſcilicet priorem cum poſteriori ita quòd ambæ continuantur ad ipſum mobile ſic ſe habens,tanquam ad unum terminum communem,ergo nunc eodem modo continuat & coniungit partes temporis,igitur eſt continuum ipſi nunc.

T.c.107. *Nunc non eſt pars temporis.* 51

Sicut enim mobile non eſt pars motus, ſed eſt indiuiſibile motus tanq̃ terminus continuans motum,ita & nunc eſt indiuiſibile in tempore et non eſt pars temporis,ſed eſt in tempore ſicut pũctus in linea.

Tempus

52 *Tempus potest dici longum uel breue.* T.c.108.

Continuo enim competit longitudo ac breuitas: tempus autem est continuum eo quod est idem realiter quod motus qui est continuus, ergo potest dici longum uel breue, & eadem ratione potest dari in tempore minimum secundum multitudinem ut unum uel duo puta unus annus aut duo, non tamen minimum secundum magnitudinem quia cuiuslibet temporis dati est accipere partes in quas diuiditur sicut & in motu.

53 *Tempus dicitur multum uel paruum.* *Vbi su.*

Est enim numerus cui conuenit multum & paucum.

54 *Tempus neque tardum est neque uelox.* *Vbi. s.*

Velox & tardum competit alicui secundum quod mensuratur tempore. Velox enim dicitur quod in paruo tempore magnum transit spatium, tardum uerò, quod in magno tempore paruum transit spatium, si ergo temporis diceretur tardum, uel uelox seipsum determinaret, & mensuraret quod est falsum ergo.

55 *Tempus per comparationem ad temporalia est unum & idem.* T.c. 110.

Non enim diuersificatur secūdum diuersa mobilia, aut temporalia, omnia enim temporalia possunt uno & eodem tempore mensurari, hæc enim dies mensurat omnia, quæ sunt uel mouentur in hac die, igitur respectu temporalium tempus est unum.

Vbi su. *Tempus est diuersum secundum diuersas partes motus.* 56

Nam cum sequatur motum, uel sit realiter ipse motus, oportet, quòd sicut prima pars motus est diuersa à media & ultima, ita & prima pars temporis sit diuersa à prima & ultima ergo diuersificatur secundum diuersas partes motus.

T.c. 111. *Tempus non iteratur idem numero, sed specie.* 57

Cum enim sit motus et diuersificetur sicut motus, et motus nunquam iteretur idem numero, sed specie tantum, sequitur etiam quòd tempus non iteretur idem numero, sed specie.

T.c. 112. *Tempus aliquando mensuramus per motum.* 58

Nam semper mensuramus per aliquid notius eo quod mensuratur, aliquando etiam motus est notior nobis ipso tempore, ergo. Vnde etiã motum sæpe mensuramus ex magnitudine uiæ, & magnitudinem uiæ ex motu, ut cum dicimus tuus motus fuit magnus, quia hæc est magna uia, & hoc tempus fuit magnũ, quia hic fuit magnus motus & aliquando econuerso.

T.c. 114. *Tempus mensurat esse & durationem motus determinando ad aliquam partem motus, quæ totum mensurat.* 59

Esse enim motus, in successione consistit sicut & eius duratio, tempus autem mensurat successionem & quia unumquodque mensuratur aliquo sui generis, sicut cubitus uiæ mensurat totam, uiã

idcirco

idcirco optimè tunc tempus mensurat motum, cum determinat aliquam eius partem, per quam numerando mensurat totum, est enim numerus motus.

60 *Quies mensuratur tempore.* T.c.118. 119.

Est enim quies priuatio motus, & priuatio cognoscitur per habitum, ideo quies mensuratur tempore, quo mensuratur motus, nam ex mensura motus cognoscitur mensura quietis mobilis inquantum mobile, hoc enim est mensurabile tempore, quies ergo per accidēs, id est per alterū mensuratur tempore. Idem dico de quiescente, non enim oportet quòd omne quod est in tempore, quod est mensurari tempore, moueri, tempus enim non est motus sed numerus motus. In hoc autem numero potest esse mobile quod non mouetur, quia est aptum natum moueri, & ut sic mensuratur tempore, quia est aptum natum moueri, in hoc uel in illo tempore.

61 *Res quæ non sunt motus non mensurantur tempore nisi inquantum motui subduntur.*

Non enim mensurantur secundum esse suū uel substantiam nisi inquantum successio ei coniungitur, quia tempus est numerus & mensura motus per se, ratione igitur motus mensurat alia.

62 *Res esse in tempore est ipsas mensurari tempore.* T.c.115. 116.

Non enim esse in tempore est idem quod esse simul cum tempore, quia eadem ratione esse in aliquo, esset idem quod esse simul cum eo, hoc

autem modo cœlum esset in grano milij, quia est simul cum eo, nec res potest dici esse in tempore sicut accidens uel passio est in subiecto, uel pars in toto, hoc enim modo prius & posterius & instans sunt in tempore oportet ergo dicere quod res sunt in tempore tanquam in mensura, quia mensurantur tempore sicut decem homines in numero denario tanquam numerati ab ipso.

T.c.117. *Omnia, quæ sunt in tempore concluduntur sub tempore.* 63

Cum enim sint in eo tanquam in numero & mensura, & nihil sit in numero quod non includatur sub eo, hoc modo, quia potest semper maior numerus accipi, oportet quod omnia, quę sunt in tempore cōcludantur sub tempore, ita quod semper est accipere maius tempus quam eorum duratio.

Vbi. s. *Omnia, quæ sunt in tempore patiuntur & tabescunt sub eo.* 64

Longitudine enim temporis res deficiunt senescunt & corrumpuntur & tempus dicitur causa horum defectuum, tunc quando non apparet manifesta causa illorum, & hoc competit ei, quia est numerus motus, de cuius ratione est quod faciat distare mobile à prima sua dispositione, & sic causatur defectus, uel corruptio quædam, & quamuis aliquando motus ad perfectionem ducat, hoc tamen non est de ratione eius inquantum est motus sed inquantum est finitus, unde omnia quæ sunt in tempore dicuntur aliquo modo deficere sub eo, quamuis hoc in diuersis diuersimode inueniatur.

Ea,

65 *Ea, quæ sunt, semper non sunt in tempore.* T.c.118.

Cum enim eorum duratio sit infinita non potest concludi sub tempore & ideo nō erit in tempore, quia omnia quæ sunt in tempore, concluduntur sub tempore, vt dictum est supra.

66 *Corpora cælestia quantum ad substantiam nullo modo sunt in tempore nisi per motum localem.* S.tho.eo tex.

Non enim augmentantur, uel corrumpuntur, uel alterātur proprie, substantia enim eorum est semper, cuius signum est, quia non tabescunt etiam in longissimo tempore, nō igitur in tempore sunt nisi inquantum mouentur localiter.

67 *Substantiæ separatæ non sunt in tempore.*

Non enim mensurantur tempore cum nō moueantur proprie, nec quiescant, & cum sint semper, quæ autem sunt in tempore mensurātur tempore, in tempore igitur non possunt esse.

Necessaria non sunt in tempore, nec impossibilia. T.c. 20.

68 Necessaria enim semper sunt & non possunt claudi sub tempore, impossibilia aūt nunq̄ sunt, unde à nullo tempore clauduntur, quia eorum non esse non clauditur tempore, neutra eorum ergo in tempore sunt.

69 *Ea quæ non sunt impossibilia esse sunt in tempore.* Vbi su.

Sunt enim in tempore, quia mensurantur tempore, eo quod eorū generatio claudatur sub tempore, non esse enim eorum usq; ad esse mensuratur tempore.

T.c.129. *omnis mutatio est in tempore.* 70

Quia omnis mutatio mensuratur tempore. tardum enim, & uelox mensurantur tempore, & similiter esse in quo inuenitur prius & posterius secundum successionem, omnis autem mutatio est uelox uel tarda, & in ea inuenitur prius & posterius secundum successionem partium, igitur est in tempore, & similiter omne quod mutatur uel quiescit est in tempore.

T.c. 130. *Tempus ubique est.* 71

Cum enim tempus non solum mensuret motum, sed etiam quietem, & omnia corpora mobilia inquantum mobilia, & cum omnia corpora sint mobilia, patet quòd tempus est in omnibus corporibus tanquam mensura in mensuratis. Et hæc de motu, & consequentibus motum sufficiant.

EXPLICIT LIBER TERTIVS de motu & ijs, quæ motum consequuntur. Comp. phi.

Postilla

70

Poſtilla in tertium librum.

COnſyderatis principijs tam ſubiecti ꝗ̃ ſcientiæ, ſequitur conſyderatio de ipſo ſubiecto, ſiue de paſſione prima illius quæ eſt motus, de quo in hoc libro, & ſimul de conſequẽtibus ad ipſum, ſcilicet infinito, loco, & tempore, Quo ad ipſum motum in communi pręmiſſo ꝙ eius conſyderatio ſpectat ad naturalem in 1. conclusione, primò diffinitur duabus diffinitionibus
71 quibus declaratur natura eius, altera in concluſione. 2. altera in. 3. ex qua deducit in. 4. quod eſt ſubiectum eius. Secundò quomodo ſe habet ad actum mouentis in 5. tertiò quõ ſe habet ad actionem & paſſionem in 6. ex qua deducit in 7. in quo ſunt hæc ſubiectiuè. Quo ad infinitum quod ſequitur motum intrinſecè, præmiſſo ꝙ ſpectat eius conſyderatio ad naturalem in 8. primò declaratur quæſtio an eſt, in infinito quidem ſecũdum magnitudinem in 9. in infinito uerò ſecundũ multitudinem in 10. ſecundò declarat quæſtionem, quid eſt in 11. Tertiò declarat duo quæ dicuntur de infinito, alterum de infinito ſecũdum diuiſionem in 12. alterum de infinito ſecundum appoſitionem in 13. Quo ad locum qui ſequitur motum extrinſecè tanquàm menſura mobilis præmiſſo quod debet conſyderari à naturali in 14. declarat primò quomodo aliquid poteſt eſſe in ſeipſo in 15. & quomodo non in. 16. & 17. hæc enim deſeruiunt ad inueſtigandum diffinitionem loci. Secundò uenatur ipſam diffinitionem,

prius oſtendendo quid non eſt in 18. & 19, poſtea quid eſt in 20. Tertio declarat quomodo aliquid eſt in loco, & ſpecialiter ultima ſphæra de qua eſt dubium in 21. quarto aſſignat rationem cuiuſdã proprietatis loci in 22. Et quia uacuum reducitur ad locum, conſequenter determinat de illo, & primo oſtendit ꝙ eius conſyderatio ſpectat ad naturalem ſicut alia prædicta in 23. Secundo aſſignat quid nominis eius, nõ. n. habet quid rei in 24. Tertio ex hoc oſtendit non dari ipſum in rerum natura in 25. Quo ad tempus quod ſequitur motum ut menſura eius præmiſſo ꝙ eius conſyderatio pertinet ad naturalem in 26. incipit ab eius diffinitione & declarato quomodo ſe habet ad motum in 27. & 28. oſtendit primo ꝙ eſt aliquid motus, ſcilicet conſequens ipſum in 29. ſecũdo inueſtigat quem motum conſequitur in communi quidem in 30. in ſpeciali uero in 31. tertio interponit cõparationem inter motum localem & ſuum mobile in 32. & 33. deducens ex dictis, quid ſit motus localis in 34. & ex hac diffinitione quid habemus actu de motu in 35. quarto inueſtigat aliam particulam diffinitionis eius, ſcilicet prius & poſterius, oſtendens quomodo ſunt in magnitudine, lóco, motu, & tempore ordine quodam, ſcilicet in ſecundo horum per primum & ſic de alijs in 36. 37. 38. 39. 40. & quomodo tempus ſequitur motum penes hæc in 41. Ex dictis colligens duas diffinitiones temporis, alterã incompletam in 42. alteram perfectam in 43. inferens in 44. identitatem eorũ inter ſe, licet quidam alij teneant ea diſtingui realiter. Demum cõ

para-

parat ipsum ad animam ostendens quomodo po
test esse uel non esse sine illa in 45. 46. Et quia nunc
est terminus temporis consequenter agit de ipso,
declarans primo quid sit in 47. secundo eius uni
tatem in 48. tertio assignat rationem trium quæ
sibi attribuuntur in 49. 50. 51. Assignat deinde
rationem eorum quæ dicuntur de tempore, quæ
quidem sunt in triplici differentia, quædam enim
important passiones quantitatis, ut esse longum
breue & huiusmodi de quibus agit in 52. 53. 54.
Quædam pertinent ad unitatem & diuersitatem
ipsius temporis, de quibus in 55. per respectum
ad temporalia, et in 56. 57. per respectum ad mo-
tum, quoddam uero ad eius cognitionem, de quo
in 58. ultimo agit de tempore per respectum ad ea
quæ sunt in tempore primo ostendens quomodo
mensuratur tempore, quo ad motum quidem in
59. quo ad quietem in 60. quo ad alia in 61. sub-
iungens quid est talia esse in tempore in 62. secun
do ponit duas conditiones eorũ in 63. 64. tertio
declarat quæ non sunt in tempore in 65. 66.
67. 68. quarto quibus competit esse
in tempore uniuersaliter lo-
quendo in 69. 70. dedu
cens tempus esse
ubiq; in 71.

f 5 LIBER

LIBER QVARTVS PHYSICORVM DE SPECIEBVS ET PARTIBVS, ET DIVISIONE MOTVS.

5.physi.t. c.1. 2.5.

TRansmutans dicitur tripliciter. 1

Quædam enim per se transmutant, ut cum ædificator ædificat, quædam per accidens, ut cum album ædificat, quædam secundum partem, ut cum aliquis percutit pugno & eadem potest fieri diuisio de trãsmutabili, & de termino transmutationis.

T.c.3.4. *Mobile per se est alterum ab utroque termino.* 2

Nam mobile mouetur, termini autem non mouentur, est igitur alterum ab illis, dico autem per se, quia posito quòd frigidum moueatur ad calidum & frigidum sit terminus à quo, est tamen per accidens & non per se.

T.c.4. *Mutatio magis denominatur à termino ad quem q̃ à termino, à quo.* 3

Terminus enim à quo per motum aufertur, unde motus uidetur ei repugnare & cum tendat ad terminum ad quem conuenientiam uidetur habere cum eo, magis igitur ab eo denominatur.

T.c.6. *De mutatione per accidens non est scientia.* 4

In infini-

In infinitum enim potest uariari, quia infinita uni possunt accidere, de infinitis autem non est ars, neq; scientia, igitur de mutatione per accidẽs scientia esse non potest.

5 *Mutationis tres sunt species.* T.c.7.

Mutatio enim aut est ex subiecto affirmato in subiectum affirmatum, aut ex subiecto in non subiectum, aut ex non subiecto in subiectum: nulla autem est quæ sit ex non subiecto in non subiectum, quia omnis mutatio est inter opposita, non subiectum autem, & non subiectum nõ sunt opposita. Tres igitur tantum species eius sunt.

6 *Mutatio, quæ est ex non subiecto in subiectum uel ex subiecto in non subiectum, dicitur dupliciter.* T.c.7.

Hæc enim mutatio est generatio uel corruptio quę dicuntur simpliciter & secundum quid: simpliciter autem dicitur illa generatio quæ est in substantijs in qua quidem subiectum est in potentia tantum, secundum quid autem generatio dicitur, quæ est in accidentibus, in qua subiectum est ens in actu, & similiter dicendum est de corruptione.

7 *Generatio non est motus.* T.c.8.

Si enim generatio esset motus, quod generatur, moueretur, sed quod generatur non est. Nam est in potentia ens & non actu, nec simpliciter ens, quomodo ergo mouebitur, non est igitur generatio motus.

Corru-

T. c. 8. *Corruptio non est motus.*

8 Omni enim motui contrarium est uel quies uel motus, generatio autem est contraria corruptioni, & non est quies, nec etiam motus, ut probatum est, ergo nec corruptio est motus.

T. c. 9. *Mutatio de subiecto in subiectum est motus.* 9

Motus enim est mutationis spēs, & cum non sit in subiectis negatis, ut probatum est, quia nec generatio nec corruptio sunt motus, ergo in affirmatis erit, scilicet de subiecto in subiectum.

T. c. 10. *Motus non est in substantia.*

10 Motus enim est de contrario in contrarium. Contrarietas autem non est in substantia, cōtraria enim proprie sunt ea quæ sunt sub eodem genere maxime distantia, ita quod intra illa concludantur omnia alia, quæ in illo genere continentur, & ab uno extremo non fiat transitus ad alterum, nisi per aliqua, quæ sunt in medio cum quadam continuatione, id est cum intensione & remissione formæ, ut est album & nigrū, inter quæ omnes alij colores includuntur, in substantijs autem non inuenitur hoc & maxime transitus per media, presertim cum illa continuatione, unde in eis non est proprie contrarietas, nisi secundum communem radicem contrarietatis, quæ est excellentia & defectus, & per consequens nec motus erit in eis.

T. c. 10. *Motus non est in ad aliquid.* 11

Nullus enim motus terminatur ad relationem per se,

per se, quia relatio aduenit rei nulla omnino mutatione facta in re. In quocunq; autem genere est per se motus, nihil de illo genere potest aduenire alicui nisi per motum, sed aliquis fit similis alteri & aequalis quando non mutatur, solum in illo altero mutatione facta, non potest igitur esse motus in ea. Vnde nec etiam est motus in situ, nec in habere proprie loquendo, quia omnia dicunt quendam ordinem, qui est relatio.

12 *Motus non est in actione & passione.* a.t.c.10. usq; ad t.c.18.

Cum enim actio & passio conueniant in una substantia motus, si motus per se esset ad actionẽ et passionem, sequeretur quod motus esset ad motum, & terminus motus per se esset motus, quod est inconueniens, quia sic procederetur in infinitum, nõ ergo est motus in eis ex quo etiam sequitur quod motus non est in quando, quia tempus non differt realiter à motu.

31 *Motus est per se in qualitate.* T.c. 18.

Hic enim manifestissime est contrarietas proprie dicta & maxime in tertia specie qualitatis, de qua quidem locuti sumus in decima conclusione. nihil ergo prohibet motus esse proprie in qualitate, quia est de contrario in contrarium & de affirmato in affirmatum.

Motus est per se in quantitate. T.c. 18.

14 Nam motus per se etiam terminatur ad quantitatem, quia et si contrarietas non inueniatur ita proprie in quantitate, sicut in qualitate, tamen quantitas aliquam habet contrarietatem, inter

quam

quam est motus, in ea enim non est maxima distantia secundum communem rationem quantitatis, quia sic in infinitum potest augeri & minui sed in determinatis speciebus rerum naturalium quantitas determinatur, quia uerbi gratia, datur aliqua minima quantitas, citra quam non potest subsistere natura humana, & aliqua maxima supra quam non potest inueniri, sub omnibus autem medijs inueniri potest, & secundum hoc attenditur in quantitate contrarietas & per consequens potest ibi esse motus.

T.C. 18. *Motus per se est in ubi.* 15

Nam in ubi est etiam contrarietas, licet nõ ita propriè sicut in qualitate, unde maxima distantia non attenditur hic secundum communem rationem loci, sed per comparationem ad motum rerum naturalium, ita quòd illi sunt termini maximè distantes, à quorum unũ mobile incipit moueri, & ad alterum terminatur, siue motus naturalis sit, siue uiolentus. In isto enim motu nõ inueniuntur termini magis distãtes, est ergo motus in ubi.

T.C. 10. *Motus sunt tantum tres species.* 16

Motus enim reducitur ad prædicamentum sui termini, à quo denominationem habet & speciem, sed motus est tantum in tribus prædicamentis, ut probatum est, ergo tres sunt tantum species, seu denominationes motus, uidelicet in qualitate, qui dicitur alteratio, quæ etiã sub se habet species, ut calefactio albatio &c. & in quantitate

tate qui dicitur augmentatio, uel diminutio & in ubi, qui dicitur motus localis, qui est uel circularis uel rectus.

17 *Immobile multipliciter dicitur.* T.c. 20.

Primò dicitur immobile, quod nullo modo est aptum natum moueri ut deus, secundò quod incœpit moueri sed cum difficultate mouetur & tardè, ut claudus, tertiò quod cum difficultate incipit moueri, ut lapis magnus, quartò quod potest moueri & non mouetur, quando est aptum natum moueri secundum eam partem secundum quam est aptum natum moueri, & eo modo quo est aptum natum moueri, & hoc modo dicitur immobile priuatiuè & dicitur quiescere, & per hunc modum quies contrariatur motui.

18 *Motus dicitur unus tripliciter.* d.t.c. 32 usq; ad t.c. 42.

Primò dicitur unus genere, & illi motus sunt unus genere, qui sunr in eodem prædicamento. Secundò specie & sunt illi motus, qui sunt eiusdem speciei. Tertiò numero, ad quam unitatem requiritur unitas mobilis & temporis & uiæ, uel magnitudinis. quo ad motum localem, & termini, quo ad omnem motum, nam motum esse unum numero est ipsum esse continuum, et sic quę requiruntur ad eius continuitatem, requiruntur ad eius unitatem naturalem, continuus autem esse non potest nisi illa omnia concurrant, requirũtur igitur ad eius unitatem.

19 *Contrarietas in motu propriè attenditur secundum terminos.* d.t.c. 46. usq; 49.

Nam

Nam ad hoc quod ſint contrarij proprie requiritur, quod à contrarijs terminis ad cõtrarios terminos accedant. Motus enim qui eſt ab albedine in nigredinem contrariatur illi, qui eſt à nigredine ad albedinem, propria enim ratio motus eſt quod ſit mutatio quędam à termino affirmato ad terminum affirmatum, oportet autem contrarietatem aliquorum accipere ſecũdum propriam ſpeciem & rationem eorum, ergo ſecundum terminos attenditur.

Mutationes in rebus habentibus proprie contrarietatem contrariæ iudicantur ſecundum terminos ad quos. 20

T. C. 51. Mutationes autẽ uoco in his rebus generationem et corruptionem ſecundum quid, id eſt in accidentibus, ut cum ex non albo fit album, tunc dicitur mutatio cum albedo introducitur, nam & ſi pręcedant diſpoſitiones quædam, tamen in inſtanti fit eius introductio & generatur albus, ideo autem contrarietas attenditur ſecundum terminos, ad quos in huiuſmodi, quia termini ad quos ſunt affirmatiui & poſſunt eſſe contrarij. Termini autem à quibus ſunt negatiui, unde ſecundum eos non attenditur contrarietas, ſi ergo termini ad quos ſunt contrarij, & mutationes ſunt contrariæ, ut albatio, id eſt mutatio ad albedinem, & denigratio, id eſt mutatio ad nigredinem.

T. C. 51. *Mutationes in ſubſtantijs ſunt contrariæ quando una accedit ad unum terminum, à quo altera recedit.* 21

Genera-

Generatio enim contraria corruptioni hoc modo, generatio nanq; procedit à non esse ad esse, & corruptio ab esse ad non esse, generatio autem & corruptio sunt ipsæ mutationes in substantijs, isto igitur modo contrariantur huiusmodi mutationes.

22 *Motui contrariatur quies.* T. c. 53.

Quies enim est priuatio motus, ut dictum est, prima autem radix contrarietatis est habitus & priuatio, igitur quies contrariatur motui.

23 *Non omnis motus est cõtrarius omni quieti, nec econuerso.* T. c. 54.

Quieti enim secundum qualitatem non cõtrariatur motus localis, immo stant simul.

24 *Quies in termino à quo, est contraria motui qui est ab illo termino.* T. c. 54.

Aut enim est contraria quies, quæ est in termino ad quem, motui, qui est ad illum terminum, aut sicut dicit conclusio, non primum, quia talis quies est, ad quam tendit motus & est perfectio motus & fit per motum et cum motu, ergo oportet quod illa sit ei contraria, quæ est in termino, à quo motus incipit & mobile recedit.

25 *Mutationi contrariatur non mutatio.* T. c. 55.

Non enim contrariatur ei quies, quia quies est priuatio motus propriè loquendo, oportet ergo tale contrarium esse non mutationem.

26 *Quies uiolenta est contraria motui naturali.* T. c. 56. 57. 58.

Quia quies in termino à quo, eſt contraria motui ab eodem termino & ſimiliter, dicendum eſt de quiete naturali & motu uiolento, ergo.

T. c. 61. *Quies uiolenta non generatur.* 27

Quia generaretur à motu uiolento, qui eſt tardior in fine, ſed generatio per motum eſt uelocior in fine, ergo per uiolentum non generatur quies, ſed fit per defectum uirtutis agentis uel aliud impediens.

T. c. 62. *Motui magis contrariatur motus q̃ quies.* 28

Quia quies in termino à quo, quæ contrariatur motui, qui eſt ab eodem termino, habet aliquam ſimilitudinem cum eo, quoniã illud quod mouetur non ſtatim abijcit terminum, à quo, ſed aliqualiter dicitur quieſcere in eo in principio motus antequam peruenerit ad terminum ad quem licet non propriè in eo quieſcat, ſed motus non habet ſimilitudinem aliquam cum ſuo contrario motu, magis igitur contrariatur motus motui, q̃ quieti.

T. c. 54. *Quies quieti contrariatur.* 29

Cum enim quies contrarietur motui & motus motui ſit contrarius, neceſſe eſt etiam quietes contrariari.

T. c. 54. *Quietes illæ ſunt contrariæ, quæ ſunt in contrarijs terminis.* 30

Terminos enim contrarios requirunt priuationes contrariæ. Cum igitur quietes contrariæ ſint, priua-

priuationes contrariȩ, patet ꝙ contrariæ quietes sunt in contrarijs terminis.

31 *Illa se tangunt, quorum ultima sunt simul.* T.c. 22.

27 Dico autem ea esse simul secũdum locum quæ sunt in eodem loco proprio, non autem si sint in loco communi, quia aliter omnia, quæ sunt in aẽre uel in cœlo essent simul. Separata autem illa dicuntur, quæ non sunt in eodem loco proprio, itaꝗ illa, quæ se tangunt habent hoc modo ultima
28 simul. Sic enim consueuimus dicere aliqua se tangere.

32 *Illa se habent consequenter, quorum unum est post alterum, & inter ipsa nullum est medium eiusdem generis.* T.c. 25.

Medium autem uoco illud in quod primò illud quod mouetur est aptum natum peruenire ꝙ in ultimum, unde ad minus est inter duo extrema. Dicimus ergo illa consequenter se habere, inter quæ nullum est medium eiusdem generis, etiã si sit aliquod medium, ut domus dicitur se consequenter habere ad domum, quando nulla do-
29 mus est inter ipsas, & si nullum omnino sit medium inter ea, dicuntur habita.

33 *Continua sunt, quorum unus est terminus.* T.c. 27.

30 Hic enim terminus est, qui continuat partes adinuicem, ita quòd est principium unius partis & finis alterius. Ideo continuus motus est ille. in quo non est interpolatio temporis aut magnitudinis.

6. phy. t. c. 1. *Nullum continuum ex indiuisibilibus componitur.* 34

Si enim continuum componeretur ex indiuisibilibus, oporteret esse hoc altero trium modorum, scilicet uel per cōtactum indiuisibilium uel per continuationem, uel per consequenter se habere, sed non potest esse secundum primos duos modos, quia indiuisibilia non habent ultima, & si se tangerent, necesse esset, quòd nō in ultimis se tangerent, sed totum tangeret totum. At hic contactus non facit continuationem partium, quia partes continuæ requirunt diuersum sitū, nec potest esse per consequenter se habere, quia si indiuisibilia consequenter se haberent, cum non possint se tangere, esset inter ea aliquod medium, sed illud non potest esse indiuisibile, quia eadem ratione, quæreretur de isto medio, qualiter cum altero indiuisibili faciat continuum, ergo erit diuisibile, sed diuisibile inter extrema indiuisibilia positum si dicitur facere continuum oportet quòd sit eiusdem generis cum extremis. Non enim linea continuat instantia temporis, nec tempus puncta, medium ergo inter puncta erit linea & inter instantia tempus, & similiter dicendum est de cæteris continuis, si autem sit inter indiuisibilia tale medium patet ex dictis quòd non se habent consequenter, ergo nec faciunt continuum per consequenter se habere, nullo ergo modo ex indiuisibilibus componitur continuum.

T. c. 2. 3.

d. t. c. 5. usq; ad t. c. 10. *Motus non componitur ex indiuisibilibus.* 35

Et si enim motus sit continuus, nō tamen permanent

manent partes eius sicut partes magnitudinis, ideo fit de eo specialis ratio. Nam oportet, quòd si magnitudo non componitur ex indiuisibilibus, quòd nec motus componatur, quia motus diuiditur, sicut & magnitudo, sit ergo magnitudo composita ex diuisibilibus a. c. d. id est ex a. & c. & d. & sit motus compositus ex indiuisibilibus e. f. g. Cum igitur prima pars motus respondeat primæ parti magnitudinis, & secunda secundæ, & tertia tertiæ, ut dictum est in superiore libro conclusione 38. e. respondebit ipsi a. & f. ipsi c. & g. ipsi d. si ergo a. est pars diuisibilis, diuidatur in duas partes, puta in a. & in b. Cum igitur e. toti respondeat a. oportet etiam quòd respõdeat cuilibet parti. ergo oportet primariam partem motus, quæ est e. diuidere, non ergo indiuisibilis erat, sed diuisibilis, & potest etiam diuidi magnitudo in multas partes quibus omnibus respondebit motus, qui est e. & eadem ratio est de aliis partibus, patet ergo quòd si magnitudo non est ex indiuisibilibus composita: nec motus, cum ergo magnitudo non possit componi ex illis: ut patet ex præcedenti conclusione, ergo nec motus.

36 *Tempus non componitur ex indiuisibilibus.* *d. t. c. 10. usq; ad t. c. 18.*

Si enim componeretur ex indiuisibilibus, sequeretur quòd indiuisibile diuideretur. Moueatur enim mobile a. uelocius quàm mobile. b. secundum proportionem sexquialteram, ut puta a. uelocitate ut tria & b. ut duo, & moueantur in eodem tempore. Cum igitur eadem sit proportio

inter magnitudinem & motum, patet quòd in eodem tempore mouebitur a. super magnitudine maiori quàm sit magnitudo super quam mouetur. b. secundum proportionem sexquialteram dictam. sit ergo magnitudo ipsius. a. c. d. e. f. diuisa in tres partes, id est in c. d. & in d. e. & in e. f. & magnitudo b. sit g. h. i. diuisa in duas partes, id est in g. h. & in h. i. quia ergo tempus est mensura motus: patet quòd partib. motus correspōdent ptes temporis & partes motus, partib. magnitudinis, sit ergo tempus: in q̄ duo ista mobilia mouentur k. l. m, motui ergo a. respōdent tres ptes tē poris: sicut sunt tres ptes magnitudinis, & tres ptes motus, si ergo tēpus ex indiuisibilibus cōponitur sint istæ tres partes. k. l. m. indiuisibiles, quę correspondent tribus partibus motus a. Sed cum partes motus b. sint duæ, eis correspondebunt totius istius temporis partes duę, id est duę partes ęquales, quia sicut diuiditur magnitudo & motus, & tempus, ut probabitur statim, sed hæc diuisio non potest fieri nisi indiuisibile diuidatur, ut puta ipsum l. quod erit media pars indiuisibilis temporis, ergo indiuisibile diuiditur, quod erat probandum, sed hoc est impossibile, ergo tempus non componitur ex indiuisibilibus, ex his omnibus sequitur quòd tā motus quàm tempus, et uniuersaliter omne continuum sunt diuisibilia quod intenditur in conclusionibus prædictis.

T. c. 10. *AEquè uelox minorem magnitudinem in minori tempore pertransijt, & maiorem in maiori & æqualem in æquali.* 37

Cum

Cum enim regulariter moueatur: oportet esse quod dicit conclusio, ut etiam experientia docet, & hoc est per se manifestum.

38 *Velocius in æquali tempore mouetur in maiori spatio, quàm tardius.* T.C.11.

Velocius enim dicitur illud mobile quod plus mouetur q̃ tardius, quanto autem aliquid plus mouetur, tanto magis accipit de spatio, igitur uelocius iu æquali tempore in maiori spatio mouetur q̃ tardius.

39 *Velocius in minori tempore maiorem magnitudinem potest pertransire quàm tardius.* T.C.12.

Sit enim à mobile uelocius & b. tardius, & moueantur super magnitudinem d. in eodem tẽpore, puta in hora, h. ergo non perueniet usq; ad finem magnitudinis in hora, posito quòd a. in hora ad finem perueniat, quia b. tardius mouetur, unde requirit maius tempus, ergo perueniet ad aliquem punctum infra. Sit ergo illud e. cum ergo magnitudo non componatur ex indiuisibilibus inter e. & d. erit linea, uel magnitudo media, diuidatur ergo in puncto f. si igitur a. in hora peruenit usque ad d. in minus quàm in hora perueniet usque ad f. sed b. in hora peruenit usque ad e. & f. est maior magnitudo quàm sit e. ergo uelocius in minori tempore maiorem magnitudinem pertransiuit.

40 *Velocius pertransit æquale spatium in minori tempore quàm tardius.* T.C.13.

 Si enim

Si enim pertransijt maius spatium in minori tempore quàm tardius, multo magis credibile est quòd pertransijt ęquale in minori tempore quàm tardius.

d.t.c.24 usq; ad t.c.30. *Motus non est in instanti.* 41

Instans uoco, quod secundum seipsum est totũ præsens. quod oportet esse indiuisibile si enim esset diuisibile, una pars esset præterita & altera futura, & sic non esset secundum seipsum pręsens, unde necesse est quòd sit terminus præteriti & principium futuri, aliter tempus non esset continuum, si igitur motus esset in instanti, cum quolibet motu quantuncuuq; ueloci dari possit, uel sit imaginabile dari uelocior, & uelocius pertranseat eandem magnitudinem in minori tempore, q̃ tardius, ut dictum est, sequitur quòd instans sit diuisibile, posito quòd in instanti aliquid moueatur uelocius q̃ alterum in eodem instanti motum, præterea si in illo instanti tardius mouetur, uel pertransit aliquam magnitudinem, partem illius magnitudinis pertransibit tardius in minus q̃ sit instans, ut patet ex superioribus dictis, non ergo est motus in instanti.

T.c.30. *Quies non est in instanti.* 42

Quies enim est priuatio motus in subiecto apto nato moueri, sed nihil est aptum natum moueri in instanti ergo.
T.c.31. Præterea idem est quiescere, quod similiter, se habere nunc sicut prius, quod
T.c.31. non potest esse nisi in diuersis instantibus, ut patet, ergo. Præterea cum id quod mouetur in aliquo toto tempore in quolibet illius temporis

moueatur

moueantur, in quo natum est moueri, & similiter quod quiescit in aliquo toto tēpore in quolibet illius temporis quiescat in quo natū est quiescere, si aliquid moueretur uel quiesceret in instā
41 ti simul moueretur & quiesceret, est enim idem instans terminus temporis, in quo mouetur & temporis, in quo quiescit, nec ergo motus, nec quies datur in instanti, sed omne quod mouetur & omne quod quiescit necesse est moueri & quiescere in tempore.

43 *Omne quod mouetur est diuisibile.* T. c. 32.

Non est enim possibile quòd illud quod mouetur, dum mouetur sit in termino a quo, totum, nec totum in termino, ad quem, sic enim non moueretur, sed uel inciperet moueri, uel motum esset nec etiam simul in utroq; , quia idem esset simul in duobus locis, nec in neutro, quia loquimur de termino proximo, in quem statim intrat, cum incipit moueri, ergo est partim in termino, à quo & partim in termino, ad quem, habet ergo partes, & hoc patens est in motu locali, & in motu augmenti, & decrementi, quia participat etiam de motu locali. In motu autem alterationis non
44 ita apparet, quia aliquid simul totum alteratur, sed hoc etiam uerificatur in hoc motu, quia partes propinquiores agenti sunt intensius alteratæ q̄p remotiores, unde remotiores sunt in termino à quo respectu propinquarum, quæ sunt in termino ad quem iam habentes perfectam alterationem, uel qualitatem perfectè intensam, quam expectant partes remotiores, & similiter hoc salua-

tur in generatione & corruptione si eis adiungatur præuia alteratio, in generatione enim mobile est in termino à quò, id est in non esse & partim in termino ad quem propter dispositionem, quã habet ad illum terminum, & in corruptione econuerso se habet. unde saluatur hęc conclusio in istis motibus aliqualiter, licet non ita propriè sicut in motu locali, quod autem habet partes, diuisibile est, igitur omne quod mouetur diuisibile est.

T. c. 86. *Indiuisibile secundum quantitatem impossibile est moueri per se.* 44

Dico autem per se, quia per accidens potest moueri punctus ad motum magnitudinis, sed

T. c. 87. 88. per se moueri non potest. Si enim mouetur, in aliquo tempore mouetur, ergo in illo tempore esset partim in termino, à quo & partim in termino ad quem, nõ enim potest esse totum in aliquo istorum terminorum ut dictum est, ergo indiuisibile diuiditur. Præterea oportet quòd si moueatur, quòd in uno instanti sit totum in termino à quo & in alio in termino ad quem, in tempore ergo medio erit partim in uno, & partim in altero, & sic erit diuisibile. Præterea transiret prius

T. c. 89. locum minorem seipso uel æqualem sibi quàm maiorem, ergo erit aliquid minus indiuisibili, aut numerabuntur puncta lineæ ab indiuisibili moto, & sic componeretur linea ex punctis.

T. c. 90. Præterea cum omne, quod mouetur moueatur in tempore, et omne tempus sit diuisibile, in quo libet tempore in quo aliquid mouetur, est accipe

re minus

re minus tempus, in quo moueatur aliquid minus mobile sicut in minori tẽpore mouetur pars quàm totum, si ergo indiuisibile mouetur, erit accipere minus tempus, in quo aliquid minus ipso mouebitur, ergo aliquid est minus indiuisibili, patet ergo quòd indiuisibile non potest moueri.

45 *Motus diuiditur secundum diuisionem magnitudinis & temporis.* T.c. 99. 34. 35.

Diuiditur enim primò secundum diuisionem magnitudinis motæ, id est secundum mobile per accidens, sicut qualitates. Albedo enim extensa in magnitudine diuiditur ad diuisionem magnitudinis, & similiter mobile, quia est diuisibile & habet partes, cum simul moueatur totum & partes, patet quòd cuilibet parti correspondet motus, sicut & mobile, diuiditur etiam secundum magnitudinem, per quam fit motus, quia totus motus est in tota magnitudine, & in media medius, & in tertia parte tertia pars motus, & sic de aliꝭs, ut dictum est supra, & quia omnis motus est in tempore, ut supra dictum est, & in maiori tempore maior motus, & in minori minor, sequitur quòd etiam secundũ tempus diuiditur motus.

46 *Similiter se diuidunt tempus & magnitudo.*

Ponatur a. mobile uelocius, & b. tardius, & magnitudo quam a. pertransit in hora sit c. d. certum est ergo quòd b. in eadem hora non perueniet ad d. sed infra d. utputa ad e. Quia ergo in minori tempore uelocius æqualem magni-

magnitudinem pertransijt q̃ tardius a. peruenͥet ad e. In minori tempore q̃ sit hora in quo quidem tempore b. non peruenit ad e. sed infra e. ut puta ad f. quia tardius mouetur. Ad f. autem perueniet a. adhuc in minori tempore q̃ sit tempus in quo peruenit b. ad f. in quo quidem tempore non perueniet b. ad f. sed ad aliud infra f. utputa ad g. ad quod perueniet a. adhuc in minori tempore, et sic patet, quòd hoc modo tempus diuidit magnitudinem & magnitudo tempus per mobile uelocius & tardius.

T.c. 37. 38. 39. *Motus & tempus, & magnitudo, & moueri, & illud, in quo est motus diuidunt se inuicem.* 47

In maiori enim tempore est maior motus & maior pertransitur magnitudo & maius moueri, & plus acquiritur de termino ad quem, & in minori minus, & in maiori motu est plus de tempore, de magnitudine, de moueri, & de termino, & in minori minus, & ita de alijs dici potest, igitur omnia ista se inuicem diuidunt.

d.t.c. 18. usq; ad t.c. 22. itē d.t.c. 60. usq; d.t.c. 66. *Si magnitudo per quam sit motus est finita & motus est finitus sic tempus est finitum, & mobile finitum & è conuerso, si autem sit infinita & tempus & motus sunt infinita, & è conuerso in motu recto.* 48

Sit ergo magnitudo pertranseunda finita, utputa decupedalis, & tempus infinitum & designetur in magnitudine unum pedale, hoc pedale igitur non pertransitur tempore infinito, sed finito, quia totum decupedale pertransitur tempore infinito, & in minori tempore pertransitur pars

q̃ totum

q̄ totum, eadem autem ratione & aliud pedale pertransibitur tempore finito & sic aliud pedale usque ad decimum. Decem ergo erūt partes temporis finitæ sicut sunt decem pedalia, sed partes finitæ numero & magnitudine non possunt constituere infinitum, ergo tempus, in quo totū pertransitur non erat infinitum, est enim hoc tempus, quod componitur ex istis decem partibus, non est enim rationabile aliud assignare. Et eadem est ratio si ponatur magnitudo infinita uel motus, uel mobile, per ablationem enim partium finiti & per comparationem ad partes infiniti ostendetur semper in unoquoque horum, ut dictū est, igitur ita se habet, ut dicit conclusio.

49 *Nullus motus unus & idem numero existens est infinitus.* d.t.c. 91. usq; ad t.c. 94.

Generatio enim & corruptio, & similiter alteratio & augmentum & decrementum habent determinatos terminos in natura & ideo nō procedunt in infinitum, sed difficultas est in motu locali, si autem motus localis unus numero existēs essent infinitus, nunq̄ mobile posset peruenire ad terminum suum, cum infinitum non possit pertransiri, nihil autem mouetur, ad quod impossibile est ipsum peruenire, ergo nec motus localis est infinitus, potest tamen esse infinitus tempore, s. per reiterationem, non omnis quidem, sed tantum motus circularis ut dicetur infra.

50 *Omne quod mutatur, quando iam mutatum est, est in termino ad quem.* d.t.c. 40. usq; ad t.c. 43.

Mutari enim est deficere à termino à quo, & mutatum

mutatum esse est ab eodem termino defecisse. Quando igitur iam mutatum est, si non in termino ad quem, cum etiã non sit in termino à quo, erit in medio. Cum autem est in medio adhuc tẽdit ad terminum ad quem, sequeretur ergo si est in medio, quando iam mutatum est, quòd simul esset iam mutatum, & mutaretur quod est impossibile, est igitur tunc in termino ad quem.

T.c.44. 45. *Tempus, in quo primò & per se est mutatum esse, est indiuisibile.* 51

Dico aũt primò & per se. quia loquor de tempore, id est de eo quod est aliquid temporis, in q̃ est mutatum aliquid primò & non propter partem eius, nam aliquid est mutatum in die, quia est mutatum in aliqua parte diei. Sed non est mutatum primò & propter se in die, sed per partem, si igitur hoc tempus sit diuisibile diuidatur in duas partes, aut ergo in utraque parte mutatur, aut in utraque parte mutatum est, aut in una mutatur, & in altera mutatum est, sed quocunq; modo dicatur, sequitur quòd non sit mutatum in toto primò, nam si in utraq; mutatur, ergo in toto non est mutatum. Si autem in utraq; mutatum est, ergo ante in prima, quàm in secunda. Et sic per partes mutatum est, & non in toto primò, si uerò in una mutatur & in altera mutatum est, ergo non primò in toto mutatum est. Si autem dicis quòd in neutra est mutatum, nec mutatur in aliqua earum non est ergo tempus eius. Tempus igitur in quo est mutatum esse primò est indiuisibile.

Non est

52 *Non est dare primum mutatum esse, nec primum instans, in quo aliquid est mutatum primò, ita quòd non prius fuerit mutatum.* *a.t.c.46. usq; ad t.c.50.*

Nam mutatum esse est terminus motus, sicut enim instans terminat tempus præcedens & consequens, si tempus sequitur, ita & mutatum esse terminat motum præcedentem & sequentem, si sequitur alius motus, aliter erit finis ultimus, quãdo autem mobile est in termino à quo non potest dici mutatum esse, sit ergo in instanti a. id quod mouetur in termino à quo, & certè oportet quòd in aliquo alio instanti sit mutatum, sit ergo illud b. inter a. autem & b. datur tempus medium, ut ex superioribus patet, si igitur in tempore isto medio non mouetur usque ad b. nec potest dici quòd in b. instanti mouetur, quia probatum est motum non esse in instanti, nec quòd in eo sit mutatum, quia mutatum esse est terminus motus, & nullus præcessit motus, sed hoc est contra casum, quia positum est, quòd in b. esset mutatum, igitur in tempore medio mouebatur, sed in quolibet motu sunt infinita mutata esse, eo quòd continuum non componitur ex indiuisibilibus & semper est diuisibile, ergo ante mutatum esse, quod fuit in instanti b. præcesserunt infinita mutata esse, non ergo fuit primum mutatum esse, nec b. primum instans, in quo fuit mutatum esse, & eadem ratio est, si accipiatur quodlibet aliud instans, & quodlibet aliud mutatum esse.

Omne

a.t.c. 55. usq; ad t.c.59.

Omne, quod mutatum est, prius mouebatur. 53

Ista conclusio patet ex superiori, quia semper inter quodlibet mutatum esse & terminũ à quo datur motus in medio, sicut inter istans, in quo mobile erat in termino à quo & instans quodcunq; in quo mutatum est datur temporis medium in quo uerum est dicere quod mouetur, unde in quocunq; instanti uerum est dicere, quòd aliquid mutatum est, uerum est dicere etiam quòd prius mouebatur.

a.t.c. 52. usq; ad t.c.55. Item t.c. 58.59.

Omne quod mouetur prius mutatum est. 54

De motu enim non datur nisi unum indiuisibile, sicut etiã de tempore non est nisi instans. Et hoc est uerum in omnibus succeßiuis, quando igitur aliquid est in termino à quo non est uerum dicere quòd tunc mouetur, sed quod incipit moueri ergo erit uerum dicere in quolibet instanti post primum, in quo incipit moueri, quòd hoc mouetur, sed inter quodlibet instans acceptum post primum & ipsum primum datur tempus medium, in quo mouetur & motum est, ut patet ex precedentibus, quia non datur primum mutatum esse: ergo in nullo instanti uerum est dicere quòd aliquid mouetur, quin sit etiam uerum dicere, quòd prius mutatum est, non tamen dico propter hoc, quòd in instanti aliquid mouetur. sed quòd in instanti, quod est in medio motus, uerificatur hæc propositio, hoc mobile mouetur. Si enim in nullo instanti uerificaretur, nunq̃ esset uera.

Ex duobus p̃.

Omne quod mouetur mouebatur. 55

Omne

Omne enim quod mutatum est mouebatur. Sed omne quod mouetur, mutatum est, ut ex dictis patet, ergo omne, quod mouetur prius mouebatur. sicut ergo non datur primum mutatum esse, ita nec prima pars motus. Et hoc propter diuisionem motus in infinitum.

56 *Non est dare primam partem quietis.* T.c. 72. 73.

Quies enim est in tempore, & omne tempus in infinitum diuiditur siue sit præteritum, siue sit futurum, ergo non dabitur prima pars eius, & cõsequenter nec prima pars quietis, sicut etiam non datur prima pars motus.

57 *Illud quod mouetur, dum mouetur in nullo instãti est in eadem dispositione, sicut prius se habebit.* T.c. 74. 75.

Sic enim quiesceret. Quiescere enim est sic se habere nunc sicut prius, in quolibet ergo instanti est in aliqua dispositione, sed non potest esse in eadem dispositione in duobus instantibus, quia aliter motus non esset continuus, quiesceret enim ut dictum est, igitur in nullo se habet, sicut prius.

58 *Motus possunt ad inuicem comparari si sunt eiusdem speciei.* 7. phy. a. t.c. 21 usq; ad t.c. 34.

Comparatio enim proprie requirit speciem specialissimam, quæ ponit unam formam æqualem in re, sicut patet de specie humana, omnes enim animę intellectiuæ sunt eiusdem natura & æqualis perfectionis naturalis, genus autem non ponit unam formã si accipiatur physicè, quia genus physice non sumitur à forma aliqua, quæ sit una in rerum natura, nisi secundum rationem lo-

gicam uel mathematicam, animal enim non ponit unam formam in re. sed multas differentes secundum diuersas perfectiones naturales. Vnde secundum physicum habet æquiuocationem quandam coniunctam, quia non omnibus æqualiter
s. tho. su t. c. 26. conuenit secundum materiam & formã, & quia multa æquiuoca hoc modo assimilantur generi,
T. c. 31. quia scilicet uidentur ponere unum & ponunt re uera multa, ideo propter istam assimilationẽ multæ æquiuocationes latent. Corpus enim uidetur esse genus, & est æquiuocum physice, ideo secundum genus non fiunt comparationes, sed secundum speciem et sic motus, si sunt eiusdem speciei, comparari possunt.

T. c. 35. *Si aliqua potentia mouet aliquod mobile per aliquod spatium in aliquo tempore, medietatem mobilis mouebit in eodem tempore in duplo spatio.* 59

Velocitas enim motus est ex uictoria potentiæ mouentis supra mobile, oportet ergo quòd crescat motus uel minuatur, uel æquetur secundũ diuersitatem proportionis & comparationem mouentis ad mobile, quia ergo potentia est in duplo maior ad medietatem mobilis sequitur quòd in eodem tempore moueat ipsum per magnitudinem in duplo maiorem, & per eandem rationem talis proportionis, oportet ꝙ per idem spatium moueatur in medio tempore quia maior uelocitas diminuit de tempore, & similiter quòd medietas potentiæ medietatem, mobilis moueat per idem spatium in ęquali tempore, et dupla potentia idem per duplum spatium mobile in eodem tem-

dem tempore, uel per idem ſpatiū im medio tempore, non tamen oportet diuidere potentiam, ſi non diuidatur mobile, quia poterit eſſe quòd media potentia nihil mouebit, uel quia nullum habebit exceſſum ſupra mobile, uel adeo parū, quòd non aget. Non enim omnis exceſſus ſufficit ad agendum. Iſta ergo ſufficiant de ſpeciebus & diuiſione & proportione motus.

EXPLICIT LIBER QVARtus de ſpeciebus & partibus motus.

Poſtilla in librum quartum.

POſt determinationem de motu in communi ſequitur determinatio de partibus eius, quod fit in hoc libro, in quo agitur de diuiſione motus in partes ſuas quo ad partes ſubiectiuas uſq; ad concluſionem 34. & quo ad partes quantitatiuas in reliquis. Quo ad diuiſionem motus in partes ſubiectiuas primò agit de ipſa diuiſione motus uſq; ad concluſionem 18. Secundò de unitate & contrarietate motus in reliquis. Circa diuiſionem igitur primò diſtinguit motum per ſe à motu per accidens, diſtinguens transmutans, transmutabile & terminum transmutationis in concluſione prima, comparando mobile ad terminos in 2. & terminos inter ſe in tertio demum excludendo motum per accidens

à ſcientia in 4. Secundò diſtinguit mutationem in cõmuni in tres ſpecies ſuas in 5. & diſtinctis duabus illarum in 6. declarat ſingulas in 7. 8. 9. Tertiò uolens diſtinguere motum propriè dictũ qui eſt tertia ſpẽs mutationis præmittit in quibus prędicamentis non eſt, in 10. 11. 12. ſecundũ tria prędicamenta quæ excluduntur à motu, & in quibus eſt in 13. 14. 15. ſecundum alia tria & ordinem eorum, & demum in 16. diſtinguit ipſum in ſpecies ſuas, & quia oppoſitorum eſt eadem diſciplina, diſtinguit conſequenter immobile in 17. Circa unitatem uerò & contrarietatem motus q̃ eſt quędam diuerſitas eius, primò declarat ipſam unitatem in 18. Secundò contrarietatem motuũ propriè dictorum in 19. & mutationum in 20. 21 Tertiò declarat contrarietatem motus & quietis in communi quidem in 22. 23. in ſpeciali autem quo ad motum propriè dictum in 24. quò ad mutationem in 25. quo ad quietem uiolentam in 26. ſubiungens quomodo fiat in 27. & demum comparat contrarietates dictas in 28. Quartò declarat contrarietatem quietum inter ſe, in cõmuni in 29. in ſpeciali in 30. Quinto declarat quoſdam terminos, qui deſeruiunt tam ad prædicta q̃ ad ſequentia, ſcilicet, quid eſt tangere in 31. Quid conſequenter ſe habere in 32. & quid continuum in 33. Quo ad diuiſionem autem motus in partes quantitatiuas, primo agit de ipſa diuiſione motus. Secundo de finitate & infinitate eius. Tertio de ordine partium eiuſdem, & ultimo de comparatione motuum. Circa diuiſionem primo præmittit motum eſſe diuiſibilem ex hoc ꝙ nõ componitur

ponitur ex indiuisibilibus, quòd ostendit ex ratione continui in 34. ex ratione ipsius in trigesimo quinto, & ex ratione temporis in 36. Secundo præmittit quasdam regulas circa æqualiter & inequaliter uelocia in 37. 38. 39. 40. Tertio præmittit motum & quietem non fieri in instanti. in 41. 42. Quarto pręmittit diuisionem mobilis in 43. ex qua deducit indiuisibile non moueri per se in 44. Demum agit de ipsa diuisione motus, ostendens quomodo diuiditur in 45. quomodo diuiditur tempus mensurans ipsum in 46. & omnia quę simul concurrunt ad motum in 47. Circa finitatem & infinitatem, quæ sequũtur rationem continui sicut diuisibilitas. Primò ostendit quomodo competunt motui tempori, & mobili, in 48. Secundò an detur motus infinitus, in 49. Circa ordinem partium motus, qui sequitur diuisionem eius, primò pręmittit duo necessaria ad intentum, scilicet in quo termino est, quòd est mutatũ in 50. & quale est tempus mensurans mutatum esse, in 51. Secundo ostendit an in motu sit accipere primum an non, in 52. Tertio declarat ordinem eorum quæ sunt in motu, in 53. 54. 55. Quarto ostendit idem de quiete in 56. subiungens in 57. documentum ad cognoscendum, quando aliquid mouetur, & quandò quiescit. Circa comparationem demum motuum, primò ostendit qui motus possunt comparari in 58. Secundo quomodo comparantur, ponens plures regulas simul in ultima.

INCIPIT LIBER QVINTVS DE PRIMO MOTORE ET PRIMO MOBILI.

7.phy.t.c.2.1. *NEcesse est omne, quod mouetur ab altero moueri.* 1

Si enim aliquid mouetur & nō ab altero, oportet quòd à seipso moueatur primo & per se, id est non secundum partem, sed secundum totum, quia si solū moueretur secūdum partem, sic moueretur ab altero, quia pars moueret partem. Cum igitur omne mobile sit diuisibile, signetur in medio huius mobilis, quod seipsum primò mouet punctus, in quo fiat diuisio partium, & arguatur sic, illud mobile, quod seipsum mouet, non quiescit ad quietem alterius, nec mouetur ad motum alterius, aliter motus eius ab altero dependeret, & sic moueretur ab altero, sed si quiescat una pars mobilis assumpti, de necessitate quiesceret totum, aliter si moueretur altera pars, illa quiescente non moueret seipsum primum. quod est contra positum, ergo mobile assumptum quiescit ad quietem alterius, scilicet ad quietem partis, ergo non mouet seipsum primo. Et quia nullum est totum continuum, quod non quiescat ad quietem partis, patet quod nullum mobile datur, quod non moueatur, &

quiescat ad motum, uel quietem alterius & sic nullum mouet seipsum primò, ergo omne mobile mouetur ab altero. Causa igitur quod nihil moueatur à seipso est, quia non datur aliquod primum, quod non moueatur ad motum partis, & quod non quiescat ad quietem partis, cum omne mobile sit in infinitum diuisibile. Praeterea si aliquid mouet seipsum non potest esse quod totum moueat totum, quia sic idem respectu eiusdem esset agens & patiens: sic calefaciens calefieret eodem penitus motu, numero, & idem esset in actu & in potentia respectu eiusdem; quia mouens inquantum huiusmodi est in actu, & mobile in potentia, haec eadem inconuenientia sequerentur, si pars moueret totum, uel si totum moueret partem, quia sic pars moueret seipsam, si enim mouet totum, ergo & quamlibet partem, & si totum moueret, ergo & quaelibet pars, & sic pars seipsam mouebit. Nec potest dici quod pars mouet partem, quia sic aut pars, quae mouet alteram, etiam mouetur ab illa, aut si non mouetur ab illa, mouetur à seipsa aut est immobilis, primum non potest dari, quia cum uno tantum motu totum moueatur, sequeretur, quòd eodem motu numero utraque pars moueretur, & moueret respectu eiusdem, & sic idem respectu eiusdem esset in actu & in potentia, quod est impossibile. Et praeterea si daretur, quòd una pars moueat alteram, & altera moueatur ab altera, habebimus illud. quod mouetur, ab altero mouetur. 8.physi.t.c.40.41.42.

Secundum quoque stare non potest, primo,

quia sequeretur quòd hoc totum non moueret seipsum, sed ratione partis, quæ mouet seipsam, secũdo quia eadem inconuenientia sequerentur ad partem, quę superius dicta sunt, quia pars est etiã quoddam totum, & ideo quærendum erit si mouet seipsam, ita quòd totum moueat totum primò, quòd probatum est esse falsum, igitur oportet dare tertium, id est quod una pars, quæ mouet sit immobilis, & sic illa quæ mouetur ab altero mouetur. Præterea hoc patet in omnibus, quæ mouentur, nam clarum est, quòd ea, quæ uiolenter mouentur, ab altero mouentur. Et similiter patet hoc in animalibus mouentibus seipsa, quia scilicet una pars mouet scilicet anima, & altera mouetur, id est corpus, In grauibus quoque, & leuibus inanimatis hoc manifestatur, quia à seipsis non possunt moueri, non solum propter ea, quæ dicta sunt, sed etiam, quia uidemus quòd ea, quæ mouent seipsa ad omnem partem possunt moueri & sunt animata, quòd in grauibus & leuibus minimè reperitur. Et ideo dicendum est quod mouentur per se à generante, quod eis dedit aptitudinem ad motum illum, id est grauitatem, uelocitatem. Et per accidens remouente prohibens quando impediuntur ne sint in loco proprio, unde motus eorum non est à forma imperante motum, sicut in animalibus, nec ab ea tanquam ab impellente, sicut manus impellit lapidem, sed est à forma impressa à generante, quia motus ille consequitur illam formam ex necessitate, unde generans, qui impressit eam, dicitur mouere, sicut manus lapidem, quem proiecit, unde forma, cum sit quædam

6. physi. t. c. 28. 29. 30. 31. 33.

quædam aptitudo ad motum, dicitur principiũ passiuum aliquando illius motus, aliquando dicitur principium formale, quia est forma, ad quam cõsequitur motus. Et quia forma est actus aliquando dicitur principium actiuum licet minus propriè, patet ergo quod motus grauium & leuium dependet ab altero, ergo ab altero mouẽtur, & sic patet, quod omne, quod mouetur, ab altero mouetur. 5.tho. super 2.physit.t.c.1.

2 *Omne mouens seipsum habet unam partem immobilem.* 8. phy. t.c.42.

Cum enim totum non possit seipsum primò mouere: oportet quod diuidatur in partes, quarum una sit immobilis: ut patet per ea, quæ dicta sunt.

3 *Mouens seipsum primò non potest habere nisi duas partes.* T.c.43.

Cum enim diuidatur in partes & una sit immobilis: si potest habere plures partes, sint, uerbi gratia tres. a.b.c. & a. sit pars immobilis, quæ moueat b. quod deinde moueat c. & c. nihil moueat: sed tantum moueatur, si igitur ab hoc toto remoueatur a. remanebit b. c. immobile quia b. non potest moueri: cum suum mouens sit remotum nec esset porest mouere: quia cum sit in medio non mouet nisi motum, ergo c. non mouebitur. & sic b.c. remanent immobilia, si autem remoueatur c.a. toto: adhuc a. b. mouet seipsum quia a. mouet b. ergo oportet dicere; quod illud totum

totum a. b. c. non mouebat seipsum, primo: sed ratione partis a. b. quia remoto c. adhuc mouet
T.c.44. reliqua pars seipsam. Et sic primo illa pars mouet seipsam. Eadem autem est ratio de tribus partibus: & de pluribus, ergo mouens seipsum primò non potest habere nisi, duas partes, & si dicis quod est diuisibile in infinitum, & sic nihil erit: quod primò moueat seipsum: quia ablatâ parte aliqua partis: quæ mouetur: quod remanet adhuc mouebitur ab altera parte: quæ scilicet est mouens, ergo illud totum non mouebat seipsum primo. Cum ergo possit auferri: & remaneat motus nihil mouebit seipsum primo. Respondendum est, quod & si partes possint in infinitum diuidi in potentia: non tamen in actu: quia non retinent suam speciem, quamuis ergo mouens seipsum primo habeat infinitas partes in potentia: tamen non habet nisi duas in actu: quæ si diuiderentur: non permanerent. Anima enim & corpus sunt partes: quæ si diuiderentur: non permanerent in sua specie.

T. c.42. *Istarum partium una saltem alteram tangit.* 4

Mouens enim & motum sunt simul, aliquando ergo se inuicem tangunt si sunt duo corpora: quorum sit unum mouens: & alterum motum, & aliquando unum tangit alterum: & non tangitur ab eo, quando scilicet mouens est incorporeum, tale enim mouens potest quidem tangere corpus sua uirtute: mouendo ipsum: non autem contingitur ab ipso, duo autem corpora se inuicem tangunt, ergo &c.

5 *Mouens seipsum mouetur à seipso ratione totius.* Vbi. s.

Nulla enim suarum partium mouetur à seipsa, ideo mouetur à seipso non ratione partis, sed ratione totius, uerum mouetur & mouet ratione partis, quia una est pars: quæ mouetur, & altera mouet.

6 *Necesse est esse aliquid primum mouens immobile.* T. c. 34.

Si enim non esset deuenire ad aliquod primū: oporteret in mouentibus & motis procedere in infinitum, quod est impossibile, quia sic nihil moueretur, nam secundum mouens non mouet, nisi uirtute primi: eo quod non mouet, nisi moueatur, si ergo non datur primum mouens: sequitur quod nec sequentia primum moueant, & sic nihil mouebitur si nihil mouet. Præterea cum secundum mouens semper sit instrumentum primi quod non mouet: nisi moueatur, & non mouet nisi in uirtute principalis, si non datur primum, sequitur quod nihil moueatur, ut dictum est. Præterea si non daretur primum mouens, sed omne: quod mouet, mouetur ab altero: sequitur quod omne mouens sit corpus: quia nihil mouetur nisi corpus, sed corpus non mouet: nisi simul moueatur cum moto: quia omne corpus mouet tangendo, ergo infinita corpora simul mouebuntur. Cum autem ultimum mobile uel aliqd' istorum mobilium transeat ab uno termino ad alterum terminū in tempore finito: sequitur quod omnia ista mobilia & mouentia moueantur tempore finito: cum simul moueantur. Cum igitur omne mouens corpus moueat uel per contactum, uel continu-

T. c. 35.

T. phy. 4. t. c. 3. usq; ad t. c. 9.

continuationem si supponamus cum hoc sit contingens quod omnia ista mobilia & mouentia sint unum per contactum, uel continuationem, utputa quod totum uniuersum sit unum, erit totũ hoc infinitum corpus, et mouebitur tempore finito, quod fuit improbatum superius, omne enim quod mouetur, oportet quod aliquid pertranseat impossibile est autem infinitum aliquid pertransire in tompore finito, quia si motus sit circularis non poterit moueri hoc motu, corpus in infinitũ, ut supra diximus, si autem sit rectus sursum, uel deorsum aliquid pertransibit hoc corpus infinitũ
T.c.10. tempore finito. Quod autem omne corpus mo-
11.12. ueat tangendo patet: quia oportet mouens et mo
8.phy, tum esse simul: ut patet inducẽdo per omnes mo
t.c. 36. tus. Præterea si omne mouens mouetur: & non
37. est deuenire ad unum primum immobile, aut ergo id, quod mouet mouendo mouetur per se, aut per accidens, si per accidens, ergo potuit non moueri dum mouet. & sic non omne mouens mouetur, quod esset est rationabile, quia quando duo in aliquo termino coniunguntur per accidens: si alterum eorum inuenitur sine altero rationabile est, quia et hoc alterum inuenitur sine illo, album enim & dulce accidentaliter coniunguntur in lacte, si ergo albedo inueniatur sine dulci, rationabile est esset: quod dulce inueniatur absque albedine. Cum igitur mouere & moueri conueniant in uno & moueri inueniatur absq; mouere: quia multa mouentur, quæ non mouent, rationabile est esset quod mouere inueniatur absq; moueri, & sic aliquid mouebit, quod non mouebitur. Si

autem

autem mouendo mouebitur per se: aut mouetur T.c. 39.
per se, & ex necessitate secundum eandem speci- 40.
em motus: aut secundum aliam, si secundum ean
dem: sequitur ergo ex necessitate quod qui docet
docetur, & qui ædificat: ędificatur, quod est ab-
surdum: si uero secundum aliam: cũ species mo-
tus sint finitæ, oportebit tandem: ad eandem de-
nenire, nam si aliquid mouetur localiter ab eo q̃d
alteratur & hoc mouetur ab eo quod augmenta-
tur: cum species motus sint finitę: ueniemus ad
aliquid: quod localiter mouetur mouendo pro-
ximum sibi mobile secundnm aliquam speciem
motus. Cum ergo prima causa plus moueat quã
secunda, sequitur quod hoc primum mouens qđ
mouetur: localiter moueat ultimum mobile, qđ
esset localiter mouetur: & sic mouens localiter
ex necessitate mouetur localiter, & eadem est ra-
tio de alijs speciebus motus, & sic sequitur idem
quod prius, scilicet quod ædificator ædificetur: et
ædificet: & docens doceatur, quod est inconue-
niens, oportet igitur dicere, quod est aliquod pri-
mum mouens: q̃d mouendo non mouetur. Ex
his ergo sequitur: q̃d in rebus aliquid est: quod nõ T.c. 21.
mouetur, & aliqua sunt quæ aliquando quiescũt 22.23.24
& aliqua sunt: quæ mouentur. ut patet ad sensum 25,26.
non ergo uerum est: quod omnia semper moue-
antur: nec quod omnia semper quiescant, nec q̃d
ea: quæ mouentur: semper moueantur: & ea quæ
quiescunt, semper quiescant, quia ad sensum ap-
paret aliqua quandoque quiescere, & quandoq;
moueri, nec etiam est uerum quod omnia ita se
habeant: quod quandoque quiescant; & quan-
doq;

doq; moueantur, quia primũ mouens nunq̃ mouetur: & primum mobile semper mouetur.

S.t.1.q. 46.ar.1. *Motum esse æternum efficaciter probari non potest.* 7

Si enim efficaciter potest probari maximè hoc probarent rationes Aristotelis: qui sunt excellentissimi ingenij. sed rationes: quas adducit faciliter soluuntur ab ijs qui tenent sententiã fidei de creatione mundi. ergo non potest efficaciter probari quòd motus uel mundus sit æternus. Rationes quippe non possunt esse demonstrationes: quia concluduntur falsum, quod non potest cõcludi nisi ex falso, nec habent efficaciã: quia faciliter soluũtur. Itaq; ponã rõnes primo, quibus uidetur hoc ꝓbari. Et secundo loco ponemus solutiões. Arist. ergo adducit talẽ rõnẽ de motu. Si motus incipit ante motũ primũ nõ fuit alius motus, aut ergo fuerunt mobilia: aut non ante illum primum motũ uel illud principium motus. Si non fuerunt, ergo ad incipiendum motum oportuit producere mobilia. Sed hęc productio est motus, & motus requirit subiectum, ergo ante illum primum motũ fuit motus & mobile, & sic non potest dari primus motus, quia de isto secundo etiam motu faciam eandem rationem. Si autem dicis quod ab æterno fuerunt mobilia & mouentia & non mouerunt ab æterno, sed in tempore: oportet dicere, quod quando incœperunt mouere, se habuerunt in alia dispositione q̃ prius, oportet enim quod mouens, quando incipit mouere se habeat in alia dispositione ad mobile quàm prius se haberet, qa si se ha-

8. phy. t.c.4. usq; ad t.c.10. — rõ 1.

si se haberet in eadem dispositione ad ipsum, sequeretur, quod nunquam moueret, itaque quod mouentia non mouerent mobilia, erat aliqua causa, oportuit ergo remouere illam causam antequam inciperent mouere, sed remotio huius causæ, & approximatio alterius dispositionis ad mobilia, & mouentia est per motum, ergo ante primum motum datum, datur alius motus prior, & potest ratio eadem fieri ad hunc motum præcedentem, ergo oportet quod motus nunquam incœperit, similiter etiā probat, quod non terminabitur, quia daretur ultimus motus, si ergo post illum corrumperentur mobilia, cum corruptio fiat cum motu, sequitur quod post illum motum sit motus. Si aūt non corrumpuntur, sequitur quod se habebunt post illum ultimum motum in alia dispositione quàm prius, & hoc fit per motū, ergo motus erit post sequitur ergo quod nec incœperit motus, nec ter-
r.2 minabitur. Adducit etiam rationem de tempore T.c.10.
hoc modo, omne instans in tempore est principi- 11, 12.
um futuri, & finis præteriti, ergo quocunque instāti dato, oportet quod ipsum præcedat & sequatur tempus, nullum ergo instans est ita finis temporis, quod non etiam sit principium, & nullum ita principium, quin sit finis. Si enim ante aliquod instans non præcederet tempus, ergo oportet concedere quod ipsum, quod dicimus ante præcedit illud instans, sed ante & post non sunt sine tempore, ergo instans primum præcedit tempus, & similiter si esset ultimum instans post ipsum non esset tempus, sed tamen esset ipsum posterius,

quia

quia aliter non possemus dicere post ipsum. sed posterius est tempus uel cum tempore. ergo post ultimum instans erit tempus. Et sic patet quod tempus semper est in suo principio & in suo fine. ergo nec incipit, nec desinit. sed tempus est numerus motus. ergo nec motus incipit, nec finietur.

s.t.prima Vbi su. 1.8. cœ. t. c. 20. Item a.t. c. 128. usq; ad finem lib.

Præterea potest sic argui ad probandum æternitatem mundi, cœlum habet uirtutem ut sit semper ergo non quandoq; est, & quandoq; non est. r.3 Nam cœlum est incorruptibile, ergo est æternum. Præterea cœlum est ingenitum, ergo non habet principium sui esse, ergo nec finē. r4 Præterea si fuit productum de nouo, ergo deus, qui produxit se habuit alio modo q̄ prius, uel per naturam, uel per actionem, uel per uoluntatem, ergo præcessit aliquis motus, ergo aliquod mobile. r.5 Et sic sequitur idem quod prius. Præterea posita causa sufficiente non impedita, necesse est quod sequatur effectus, sed prima causa est & fuit semper sufficiens ad hunc effectum, ergo cum Deus fuerit ab æterno, sequitur quòd & mundus sit æternus. r.6 His ergo & similibus rationibus facilè respondetur secundum sententiam fidei.

s.t. prima q.95.ar. s.t.prima 46.

Si prius intelligatur quod creatio non est motus, nec generatio, sed simplex emanatio, ita quod inter creatorem & creaturam non ponitur motus medius, qui requirat subiectum uel materiam. Sed in creatione aliquando producuntur tam materia q̄ forma, quia mundus uel res creata emanat totaliter à creante. Ad primam igitur rationem dicimus, quod ante primum motum non erant mobilia, & fuerunt producta per creatiōem, & ideo non

non sequitur quòd motus præcesserit, quia creatio non est motus, nec sequitur quod motus durabit in æternum per rationem factam, quia potest dici ab eo, qui terminat motum, quod cessante motu adnihilabuntur mobilia, quæ adnihilatio non est motus, sicut nec creatio, aut etiam quod durabunt sine motu, & nõ erit alia dispositio mobilis post motum. sed ante, quia facta illa dispositione postea cessat motus, & sic nullus remanebit motus post ultimum, licet secundum sententiam fidei aliqualiter semper motus erit, quia dato quod cesset motus cœli tamen creaturæ rationales remanebunt in quibus erunt motus úsque in sempiternum. Ad secundam autem dicendum est quod supponit quod debet probare. Nõ enim omne instans est principium & finis temporis nisi in motu sempiterno, prima ergo propositio supponit motum semper & sempiternum esse, quod debet probari. Si enim motus incœpit, non erit omne instans principium & finis temporis. Et cum dicitur quod primum instãs præcedit ipsum ante uel prius. Dicitur quod illud ante uel prius est imaginarium non reale. Ad tertiam dicendũ est quod illud, quod habet uirtutem ut sit semper non quandoq; est, quandoq; nõ est, quando iam productum est in esse. Vnde aliquid incorruptibile habet principium sicut & aliquid necessariũ habet causam suæ necessitatis. Ad quartã dicendum est quod cœlum est ingenitum, quia non habet contrarium, non tamen est increatũ. Ad quintam dicendum est, quod deus in creando non se habet alio modo q̃ prius in sui substantia, uel intellectu

s.t. prima 46. Item 8. phy. tc. 13.

s.t. prima de cœlo t. c. 20. t.c. 140.

tellectu,uel uoluntate,aut actione.Sed quod producitur recipit esse quod prius non habebat. Dei autem substantia & actio,quę est ipsa sua substãtia non mutantur,& similiter non mutatur eius intellectus,quia intelligit ea,quæ prius intellexit & uult quæ prius uoluit,ut mundum esse creandum nunc uoluit ab æterno,& sic semper uult qđ tunc creetur & fuerit creatus. Res ergo mutatur, non scientia dei,uel noluntas eius, unde etiam si creasset mundum ab æterno & incœpisset moueri in tempore,non sequeretur quod fuisset motus sed res mota fuisset. Ad sextam dicendum est qđ deus non agit necessitate naturæ, sicut agentia naturalia de quibus concludit argumentum sed agit uoluntate sua & intellectu.unde creauit mũdum quando sibi placuit,licet potuisset ante creare,& si dicis quare creauit mundum non ab æterno,potest dici quod hoc fecit, ut simul ostenderet suam bonitatem creando, & sufficientiam ostendendo quod non indigebat creaturis, quando eas non creauit ab ęterno,hoc autem dicimus saluo semper archano diuinæ sapientiæ, quia homo non potest diuina secreta cognoscere nisi per reuelationem,patet ergo quod non potest efficaciter probari motum uel mundum esse æternum, & quamuis hæc fuerit opinio Aristotelis,qui conatus est hoc probare quantum potuit,tamen nõ credidit se Aristoteles hoc demonstrasse, cum aperte dicat in Topicis, quod est problema neutrum mundum esse æternum,uel non,& inducat opiniones antiquorum,ad hoc probãdum,quod non est demonstrationis.

Mundum

8 *Mundũ habuisse principium ratione efficaciter probari non potest.* S.t.1.q. 46.ar.2.

Cum enim principiũ demonstrationis sit diffinitio, et quidquid est subiecti, quod abstrahitur ab hic & nunc, patet quod ex hac parte hæc propositio non recipit demonstrationem, nec etiã recipit ex parte uoluntatis dei, quæ hominibus est incognita & ratione inuestigari non potest, unde mundum incœpisse, est articulus fidei.

9 *Motus circularis solus potest esse semper continuus.* 8. phy.

Si enim aliquis potest esse semper continuus? hic est localis, nam motus localis est primus inter omnes motus, quia præsupponitur in omni motu, augmentum enim præsupponit alterationem, alteratio autem motum localem, quia oportet quod alterans applicetur alterabili, ergo. Præterea motus localis est alijs perfectior, quia minus remouet à mobili, & mobile minus ab eo uariatur, uel deterioratur, quia non ponit in eo aliquid intrinsece ergo. Mobile etiã motus localis est perfectius secundum se cæteris mobilibus, nam mouens seipsum proprie mouet se isto motu id est locali. igitur motus eius cæteris motibus est perfectior & prior & causa aliorum. Et ideo si alicui motui attribuitur proprietas hęc debet attribui motui locali, alij enim motus sunt de contrario in cõtrariũ determinate et proprie, & ideo cũ perueniunt ad unum illorum contrariorũ quiescunt, sed motus localis nõ est proprie inter cõtraria, si secundum se consyderetur. Inter motus autẽ

.t.c.64. a.t.c.66. usq; ad t.c.61.

T.c. 62. 63.

T.c.64. 65.

locales rectus non potest esse semper continuus, quia hoc esset per reflexionem, quia per lineam rectam non potest esse, cum iam probatum sit, quod non detur magnitudo infinita, sed si per reflexionem continuaretur. sequeretur quod motus contrarij essent continui, quia motus rectus ad unum terminum, & reflexus ad oppositum terminum sunt contrarij per eandem uiam. Praeterea si continuarentur, sequeretur quod statim cum inciperet moueri à primo termino à quo, possemus dicere quod mouetur ad illum eundem terminum, quia cum aliquid in principio mouetur dicimus quod mouetur ad illum, uel illum terminum, id est ad illum, in quo finietur motus. Et sic aliquid moueretur motibus oppositis, id est simul ab aliquo termino ad eundem terminum, unde oportet dicere, quod in reflexiõe cadit quies in medio, quia utitur uno termino, ut duobus in actu, scilicet ut principio, & ut termino motus, nihil enim est principium, uel terminus motus in actu nisi quies, unde etiam in lapidibus proiectis sursum sensibilem percipimus quietem in reflexione, in medio enim motus non est quies, quia non utitur aliquo signo uno ut duobus in actu, sed in potentia tantum. Aliter Zenonis ratio concluderet, quod nihil moueretur, quia cum sint in magnitudine infinita puncta, & infinita non contingit pertransire, sequeretur quod nihil posset pertransiri si mobile de necessitate omnia puncta numeraret, & uteretur unoquoque illorum, ut duobus actu, sed non utitur ut duobus uno nisi in potentia, & ideo mobile non pertransit magnitudinem propter partes.

T.c. 68.

partes, quaſi pertranſeat totum, quia pertranſit partes, ſicut imaginabatur Zeno partes enim nõ ſunt cum ſint ſolum in potentia, & ideo mobile nullam partem pertranſit, & ad nullum ſignum in medio dicitur peruenire in actu, quia nullo terminatur motus, ſed quia pertranſit totum in actu idcirco etiam pertranſit partes, quæ includuntur in toto, itaq; cũ mobile utitur uno ſigno, ut duobus, neceſſe eſt quod non continuetur motus, & ſic motus reflexi non poſſunt eſſe continui, quia oppoſita non continuantur ad inuicem. At in T.c. 73.
motu circulari non eſt eadem ratio. Si enim hoc motu aliquid moueatur ab eodem ad idem, non oportet, quod tranſeat per eadem media ſicut fit in motu recto, & in alijs motibus, ſed ſemper trãſit per diuerſa media per circulũ & uenit ad idem ſignum à quo incœpit moueri, & iterum mouetur eodem modo, unde poteſt continuare ſemper T. c. 75.
motum propter quod eſt ſimplicior recto, & perfectior, cum ſolus poſſit eſſe perpetuus, rectus autem ſi non eſt reflexus, non eſt ſemper continuus, & ſi eſt reflexus, non eſt continuus nec ſimplex. Et ideo eſt maximè regularis, quia motus rectus ſi eſt ſecundum naturam eſt uelocior in fine. Si T.c.76.
autem eſt uiolentus eſt uelocior in principio, ſed motus circularis nunquã magis uel minus appropinquat principio, uel fini & ideo poteſt eſſe ſemper continuus & regularis, & maxime unus & T.c. 52.
ſimplex. a. t.c. 45 uſq; ad t.c. 52.

10 *Primum mouẽs nec per ſe mouetur nec per accidens.*

Si enim ponatur quod motus ſit æternus, opor

tet dicere quod primum mouens ſemper eodem modo ſe habeat, ſi mouet motu ſempiterno et nõ moueatur aliquo modo. Videmus enim quod ea quæ mouentur per accidens, quia non ſemper ſe habent in eadem diſpoſitione non ſemper mouent, ſicut anima non ſemper mouet animal quia non ſemper eſt eodem modo diſpoſita ſecundum cognitionem & appetitum, & uidemus etiam quod motus eius dependet ab altero, puta ab alteratione cibi & aëris, per quam diuerſimode afficitur, & diuerſimode mouet, primum autem mouens non dependet ab aliquo. Si autem motus incipit & mobilia, ut tenet fides, ſequitur etiam qnod non moueatur omnino, quia iam probatum eſt, quod eſt deuenire ad unum mouens immobile, unde non poteſt dici, quod moueatur per ſe. Illud autem, quod mouetur per accidens, mouetur ad motum alterius, ſicut anima ad motum corporis mouetur. Sed ſi deus fuit ab æterno abſq; crearuris, patet quod nullo modo a creaturis dependet, ſed omnino eſt ab eis eleuatus ſecundũ ſuam ſubſtantiam, unde non mouetur ad motum alicuius, ſed eſt omnino immobilis.

a.t.c.46. uſq; ad t.c.48.

Primum mouens eſt perpetuum. 11

Si enim ponatur motus perpetuus, oportet aſſignare cauſam huius perpetuitatis, non poteſt autem eſſe niſi primum mouens. Nam ſi generatio eſt perpetua, cauſa huius perpetuitatis non eſt aliquid, quod generatur, quia nullum ipſorum ſemper eſt, nec etiam omnia generata ſimul,

quia

quia unus effectus non dependet ex infinitis causis,& non sunt omnia illa simul,sed successiue, ideo oportet ponere causam huius perpetuitatis aliquid super omnia generata,hoc autem est primum mouens,si autem ponatur ꝙ mundus incœpit,sicut tenet ueritas fidei, sequitur omnino quod deus uel primum mouens sit perpetuum, quia si incœpisset,certe non produxisset seipsum in esse. Si autem fuisset ab alio productum, iam non esset primum mouens ergo &c.

12 *Primum mouens habet potentiam infinitam.* T.c.78. s.t.ibi.

Si enim ponatur quod motus est infinitus, & æternus,oportet assignare aliquam causam huius infinitatis primam. Sed prima causa est causa per se,quia causa per accidens præsupponit causam per se,causa autem determinatur ad effectus per se, quia causa & effectus debent adinuicem proportionari,ergo causæ primę infinitatis motus respondebit infinitas motus per se, infinitus autem motus per se est ille,qui est infiniti mobilis,quia quantitas motus est a mobili,& a magnitudine, super quam est motus,uel a reiteratione si est circularis, quantitas autem, quæ est a mobili est per se, quia est a subiecto proprio,illa autem, quæ est a magnitudine est per accidens,id est per alterum quod est extrinsecũ, & similiter illa,quæ per reiterationem, quia iteratio accidit motui,effectus ergo proportionatus primę causæ infinitatis motus,est motus infinitus per se,qui, scilicet est infiniti mobilis si contingat esse, sed hoc mobile si contingat

esse non potest moueri nisi à potentia infinita, ergo primum mouens, quod est prima causa huius motus habet potentiam infinitam. Si enim moueretur a potentia finita, in tempore finito, non poterit aliquod signum datum trāsire, sed in tempore infinito. Accipiatur ergo mobile infinitum quod sit a. quod debeat transire signum b. per uirtutem potentiæ finitæ, quę sit c. in tempore infinito quod est d. & ex alia parte sit potentia alia finita, quæ sit e. & sit unius gradus, potentia uero c. cum sit finita sit centum graduum, & moueat f. mobile finitum, & faciat ipsum transire signū b. in tempore finito utputa in hora, igitur si ab a. sumatur aliud mobile, quod sit g. quod erat pars æqualis ipsi f. & apponatur ipsi f. & crescat potentia e. uno alio gradu, motus erit æqualiter uelox propter eandem proportionem sed tamen ipsum f. g. in duplo maiori tempore transibit signum b. quam faceret prius, quia est in duplo maior, transibit ergo in duabus horis. Si ergo gradatim ipsi e. addatur potentia, & ipsi f. g. addatur maior quantitas q̃ prius usq; ad centum gradus potentiæ, & ad centum æquales partes ipsi f. subtractas ab a. mobili infinito, quod nunquam cō sumitur, fiet potentia e. æqualis potentiæ c. & sic sequitur quod non requiritur maior potentia ad mouendum infinitum infinito tempore, quam ad mouendum finitum in tempore finito, immo minor requiritur ad infinitum, quia si adhuc fiat additio ad potentiam, & mobile finitum, crescet potentia e. supra potentiam c. & sic minor potentia mouebit maius in maiori tēpore quàm maior

quod

quod est inconueniens, & ideo oportet dicere qđ sicut mobile est infinitum, ita etiam habeat infinitam resistentiam, & quod requirat infinitam potentiam. Si ergo ponitur motus infinitus, oportet quod prima causa per se huius infinitatis sit potentię infinitæ, si autem sit infinitus motus per accidens poterit moueri à potentia finita, quę tamen habet uirtutem à potentia primi motoris, quę est causa per se infinitatis. Si autem ponamus ꝙ mundus & motus incœperunt, & à prima causa, quæ est primum mouens, emanuerunt per creationem, etiam ex hoc sequitur, quod sit potentię infinitæ, quia educere aliquid de non esse ad esse ex nihilo, requirit potentiam infinitam. Nam tanto maior uirtus requiritur in agente, quanto potentia est magis remota ab actu, & ideo requiritur ꝙ uirtus agentis ex nulla præsuppofita potentia, quale est agens creans, sit infinita, quia nulla est proportio nullius potentiæ ad aliquam potentiam, sicut non entis ad ens, potentiam igitur dei esse infinitam probamus, siue mundus sit æternus siue non.

s.t.prima q.45.ar. 5.tertium.

13 *Primum mouens est incorporeum.* **T. c. 86.**

Si enim est uirtutis infinitæ, oportet quod totaliter eleuatus sit à magnitudine, nam si esset in magnitudine, aut in magnitudine infinita, quod est impossibile, quia hæc non potest dari ut superius probauimus, aut in magnitudine finita & hoc etiam non potest esse, quia sequeretur quod motus, quo moueret esset in nō tempore. Nam si esset uirtus in magnitudine non ageret per intel-

lectũ,quia inferius probabitur quod intellectus etiam humanus est a magnitudine separatus,ageret ergo toto conatu, ergo in non tempore moueret. Si enim moueret in tempore,sit illud tempus centesima pars horæ, & accipio potentiam finitam, quæ mouet aliquid in hora,& addo illi potentiæ,& facio eam maiorem, certum est autem,quod quanto magis addam illi potentiæ de uirtute mouendi,tanto plus minuetur tempus. Addam ergo centum gradus uel etiam plus,ergo mouebit in centesima parte horę,uel etiam in minori tempore,& tamen erit potentia finita,ergo in minori tempore mouebit potentia finita q̃ꝫ infinita,quod est impossibile,oportet igitur concedere.quod si potentia primi mouentis infinita est in magnitudine quod moueat in non tempore , quod etiam est impossibile, ergo oportet dicere quod potentia infinita non potest esse in magnitudine. Et sic primum mouens est incorporeum.

s.t.ibidem q. 2.

Non sequitur autem si sit incorporeum quod moueat in non tempore,tum quia mouet per intellectum secundum exigentiam finis & rei motæ. Mouens enim per intellectum non agit toto conatu suo sicut mouens per naturam, sed secũdum formam concæptam,tum etiam quia si ageret toto conatu,non posset mobile suscipere totam uirtutem eius,quia est causa uniuersalis & æquiuoca respectu rei corporeæ,sed si uirtus eius esset in corpore,tum esset proportionata mobili.& causa uniuoca,& sic susciperet totam eius uirtutem, & moueret in non tempore. Cum ergo hoc sit impossibile, oportet etiam dicere quod est impossibile

possibile aliquam uirtutem infinitam esse in magnitudine finita, potentia etiam finita non potest esse in magnitudine infinita, si daretur, quia sic potentia, quæ esset in magnitudine finita æquaretur potentiæ, quæ est in magnitudine infinita. Nam si uirtus, quæ est in magnitudine infinita, sit mille graduum, & alia potentia sit unius gradus, poterunt mille partes finitæ, uel etiam plures addi potentiæ finitæ unius gradus, & sic crescet, & fiet æqualis, uel maior q̃ potentia quę est in corpore infinito, & in minori tempore mouebit, quod est impossibile. Et si dicitur quod si nullum corpus habet potentiam infinitam, quod nō poterit durare tempore infinito. Dicendum est quod si corpus habet esse, quod est subiectum transmutationi non durabit tempore infinito, quia subiacet tempori, unde oporteret quod haberet potentiam infinitam ad conseruandum se. Si autem esse eius nō est subiectū trāsmutationi & tempori sicut esse cœli, nō oportet, qđ habeat potentiā infinitā ad hoc quod sit incorruptibile, sed sufficit quod habeat formam coniunctam tali materiæ, quę non potest alteri formæ subijci, ita quod non habeat potentiam ad opposita, id est ad esse & non esse, in cœlo enim non est alia transmutatio pręter localem, & ideo est incorruptibile, & durat in infinitum, eius tamen incorruptio & duratio a prima causa dependet, sicut & eius motus.

T.c.80. 81. s. t. ubi supra s. t.c.79. q.4.

14 *Primum mouens est per uirtutem suam in circunferentia cœli non autem in centro.* T.c.84.

Dico

Dico autem per uirtutem ſuam, quia per ſubſtantiam, non eſt magis hic, q̃ ibi, cum enim ſit incorporeus, à nullo loco diffiniri poteſt. ſed uirtutem ſuam poteſt magis ad unum locum applicare, q̃ ad alterum ſignũ, igitur quod uirtus eius ſit ad mouendum in circunferentia eſt, quia uidemus quod mobile ſemper uelocius mouetur, quã do eſt mouenti propinquum, q̃ quando eſt remotum, quia magis recipit impreſſionem mouentis. Cœlum autem uelocius mouetur in circumferentia q̃ prope centrum, unde fixionem habet à centro, mobilitatem uero à circunferentia.

T.c.82. *Primum mouens eſt unum.*

83. Motus enim cœli eſt continuus, & totaliter regularis, & uniformis, ſed plura mouentia nõ poſſunt cauſare motum regularem & uniformem, uidemus enim quod quando plura mouent, & unũ poſt alterum, quod multum uariatur motus, quia modo intenditur. & modo remittitur, motus ergo regularis primi mobilis oſtendit eſſe unũ primum motorem, qui ſemper eodem modo ſe habet, & idem non fatigatur mouendo. Et pręterea in natura ſemper eſt eligendum quod eſt melius ſi poteſt hoc haberi, quia ea, quæ ſunt in natura, ſunt optime diſpoſita, melius autem eſt ſemper facere ꝑ pauciora, q̃ per plura, & per unum quàm per plura, ſi poteſt hoc unum haberi, & ſi poſſunt omnia, quę accidunt per ipſum ſaluari, certum eſt autem quod ſi non ponamus unum primum mouens, non ita bene ſaluatur regularitas motus, quam uidemus in primo mobili, & continuatio.

Sed si ponamus ipsum esse unum, omnia, quę accidunt circa hoc de motu sufficienter saluantur, ergo dicendum est quod est tantum unum primũ mouens, qui est deus benedictus in secula seculorum, Amen.

EXPLICIT LIBER QVINtus de primo motore & primo mobili.

Postilla in quintum librum.

POstq̃ auctor determinauit de motu in cõmuni, & partibus eius, hic determinat de ipso per comparationem ad motores et mobilia, & specialiter ad primum motorem & primum mobile, uel sic, postquàm egit de ente mobili in communi, hic incipit agere de ipso in speciali, & quia in omni genere datur aliquod primũ, incipit, à primo mobili, primo motu, & primo motore, ostendens dari primum in unoquoq; horum. Sic autem procedit, quia primo pręmittit duo fundamenta, alterum est de mobili in communi, à quo, scilicet mouetur in prima conclusione, alterum uero de mouente seipsum declarãs quales partes habeat in 2. quot in 3. quomodo cõiunctas in 4. & quomodo dicatur moueri à seipso in 5. Secundo probat dari primum motorem immobilem in 6. Ex quo sequitur dari primum motum & primum mobile. Tertio uolens inuestigare,

ſtigare, quis, & qualis ſit primus motus, præmittit an motus ſit æternus in ſeptima an habuerit principium in octaua & poſtea declarat intẽtum in nona. Quarto & ultimo inueſtigat conditiones primi mouentis, ſcilicet omnimodam immobilitatem in 10. perpetuitatem, quæ ſequitur ex priori in 11. Infinitatem uirtutis, quæ ſequitur ex ſecunda in 12. immaterialitatem ſiue eſſe incorporeum quod ſequitur ex tertia in 13. ubi ſit per uirtutem ſuam in 14. & eius unitatem in ultima.

INCIPIT LIBER SEXTVS DE COELO, ET MVNDO.

1. d. cœ. t. c. 1. DE corporibus & magnitudinibus ad philoſophum naturalem pertinet tractare. 1

Philoſophus enim naturalis de naturalibus rebus debet tractare. Naturalia autem ſunt corpora de genere ſubſtantiæ, quæ habent materiam, & formam & magnitudinem, de illis igitur tractare debet. Et quia ex corporibus & magnitudinibus integratur uniuerſum corporeum, quod dicitur mundus ſiue etiam cœlum, ab ipſo incipiemus. Eſt enim ſubiectum in hoc libro.

Omne

2 *Omne corpus secundum dimensiones est perfectum.* T.c. 2.3.

Habet enim omnes dimensiones & nulla deest corporibus dimensio. Nam longitudinem, latitudinem, & profunditatem habent, eo quod in hoc diuiduntur omnia corpora & non sunt plures dimensiones, sunt igitur secundum illas perfecta.

3 *Vniuersum est perfectum.* T.c. 4.

Continet enim omnes dimensiones & omnia corpora, & omnes modos essendi, & omnes perfectiones, quia ergo omnia continet, est undiq; perfectum.

4 *Omnia corpora habent in seipsis principium motus.* T.c. 1.

Quia omnia corpora sunt naturalia, unde habent in seipsis naturam, hoc est materiam & formam, quę sunt principia motus, necesse igitur est omnia habere in se principium motus.

5 *Omnia corpora mouentur naturaliter.* Vbi su.

Aut enim mouenter naturaliter, aut uiolenter. Si naturaliter habemus propositum. Si uiolenter cum uiolentum sit contra naturam, sequitur ergo ꝙ naturaliter etiam mouentur, nihil enim potest moueri uiolenter, quod non naturaliter moueatur. Præterea si quiescunt naturaliter, oportet quod ad illam quietem naturaliter moueantur. Si autem quiescunt uiolenter, oportet quod contra illam quietem naturaliter ferantur, naturaliter ergo mouentur.

6 *Omnia corpora mouentur secundum locum.* Vbi su.

Motus

5.t.ibi.& 1.physi. t.c.1. Motus enim primus primo inest corporibus quàm alij motus, sed motus localis est primus inter omnes, ergo primo inest mobilibus corporibus, uerum diuersimode mouetur naturaliter coelum à grauibus & leuibus, quia hæc habent principium formale ad qđ sequitur de necessitate motus absque alio actiuo coniuncto, cœlum autem non habet principium formale, ad quod ex necessitate sequatur ille motus, sed habet aptitudinem naturalem ad hoc quod possit sic moueri ab aliquo principio actiuo coniuncto.

T.c.5. *Motus simplices sunt duo.* 7

Motus enim simplices magnitudinibus simplicibus sunt proprij, duo autem sunt genera magnitudinum simplicium scilicet cœlũ & elementa, ideo duo sunt motus simplices, id est circularis circa centrum, & rectus sursum à centro, & deorsum ad ipsum centrum, ex quo patet, quod mo-

T.c.6. tuum simplicium, alius est à medio, alius ad medium, alius circa medium.

T.c.18. Item 3.li. t.c.26. 27. *Omnia corpora, quæ naturaliter mouentur motu recto, habent grauitatem uel leuitatem.* 8

Si enim esset aliquod corpus, quod moueretur deorsum sine grauitate, oportebit quod corpus graue in infinitum uelocius moueatur, quàm ipsum, cum nullam habeat proportionem si enim corpus graue sit ei proportionatum in uelocitate motus, ponatur quod graue sit in decuplo uelocius quam non graue, ut puta quod graue moueatur uelocitate, ut centum, & non graue uelocitate

utdecem

ut decem, igitur diuidatur graue per medium, & habebit in duplo minorem uelocitatem quam prius. Iterum ergo ab eo auferantur partes quadraginta & remaneant decem, patet ergo quod mouebitur uelocitate, ut decem iuxta regulas traditas in quarto libro, in conclusione ultima, ergo æquali uelocitate mouebitur graue & non graue quod est impossibile, oportebit ergo quod graue in infinitum uelocius moueatur quam non graue Et hoc dico tam in motu uiolento, quam naturali, & tam in graui, quam in leui. Sed hoc est impossibile: quia necessario esset in instanti, igitur quod mouetur motu recto habet grauitatem uel leuitatem.

9 *Non sunt infinita elementa.* *1. de cœ.*

Elementum enim est: ex quo fit aliquid, primo cum insit & non diuiditur in alias species: hęc sunt corpora grauia & leuia. Non sunt autem infinita, quia infiniti essent motus naturales, & frustra ponerentur. Cum omnes effectus saluentur per finita. Res enim naturales essent nobis ignotæ: cum infinitum non possit cognosci, ergo &c. *t.c. 38. 41. 5. met. t.c. 4.*

10 *Non est tantum unum elementum.* *1. de cœ.*

Si enim esset tantum unum elementum: sequeretur quod esset unus tantum motus naturalis rectus, sunt autem duo: ut dictum est: scilicet unus sursum, & alter deorsum, ergo non est unum tantum elementum. *t.c. 51.*

11 *Quatuor sunt tantum elementa.* *2. de ge.*

Elementa enim sunt quæ mouentur motu re- *t. c. 16.*

 cto uel

1. d. cæ. cto uel sursum, uel deorsum, oportet ergo alterũ
.t.c.18. esse: quod sit simpliciter leue, quod mouetur sur-
item 4: sum usque ad concauum cœli, & alterum simplici-
t.c.31. ter graue: quod mouetur deorsum ad centrum.
32.33.34 Cum enim sint duo loca distantia plurimum lo-
37.38. caliter, scilicet medium & extremum, id est cen-
trum: & concauum orbis lunę: oportet esse duo corpora extrema, scilicet graue simpliciter: & leue simpliciter. Loca enim naturaliter non sunt sine corpore, hæc autem sunt terra & ignis, positis autem extremis: oportet ponere media, quę non sunt simpliciter grauia aut leuia. Sic ergo sunt duo unũ, scilicet propinquũ leui: quod est aër: & alterum propinquum graui: quod est aqua, præterea leuis simpliciter est calidus & siccus, graue autem simpliciter est terra: quæ est frigida & sicca, sed posito uno contrariorum, necesse est ponere & reliquum in natura: uel actu uel potentia, ergo oportet ponere humidum non solum in potentia materiæ: sed etiam in actu: quia si solum est in potentia materiæ cum nulla alia sit materia quę humiditatem possit suscipere: nisi materia: quæ est sub forma ignis uel terræ: sequeretur quod frustra esset ista potentia: eo quod nunquam posset reduci ad actum, si tantum sit ignis & terra: quia siue ex igne generaretur terra siue ex terra ignis, nunquam humiditas illi materiæ inesset, oportet igitur quod sit in actu in aliquo alio elemento: qui est aër: qui est calidus & humidus & totus cõtrariatur terræ, sicut ergo aër contrariatur totus terræ: ita conueniens est: ut aliquod elementum ponatur, quod totum contrarietur igni, hoc est aqua,

aqua, quæ est frigida & humida, quatuor igitur sunt, scilicet terra: aqua: aer: & ignis.

12 *Preter quatuor elementa oportet dare quintum corpus alterius naturæ.* 1. de cœ. t.c. 8.

Motus enim simplex est simplicis corporis primo & per se. Motus autem circularis est simplex ergo est corporis simplicis primo & per se, non enim corpus mixtum mouetur motu simplici, nisi ratione corporis simplicis: ex quo componitur. Cum igitur circularis motus non sit naturalis elementis: sed præter naturam: ergo oportet dare aliquod corpus simplex, in quo est primo et per se, Elementa enim non possunt moueri duobus motibus naturaliter: & maxime contrarijs sicut est circularis & rectus. Est ergo prȩter elementa aliud corpus simplex alterius naturæ.

13 *Quintum corpus est perfectius elementis.*

Signũ huius est, quia motus circularis est perfectior motu recto, cuius signum est, quia linea circularis est perfectior recta, circulari enim nihil deest, & nihil addi potest. Præterea motus circularis est regularis & sempiternus, non aũt sic est motus rectus. Itẽ iste motus circularis est causa aliorũ motuũ, oportet ergo quod corpus cœleste sit pfectius & prius dignitate cæteris corporibus & causa aliorũ cũ moueatur motu circulari, alia uero motu recto, Præterea corpus quintũ nõ est graue uel leue, nec augmẽtabile uel alterabile, nec

generabile,uel corruptibile,ut dicetur infra, quæ tamen omnia competunt alijs corporibus, ergo.

T.c. 23. *Præter hæc quinq; corpora simplicia,non datur aliud corpus simplex.* 14

Non enim sunt aliæ species motus simplicis præter circularem & rectum sursum, & rectum deorsum, quæ sunt in istis corporibus primo & per se,ut dictum est, in alijs autem propter ista, non igitur est aliud præter dicta.

a.t.c.24 usq; ad t.c.32. *Motus circularis non habet contrarium.* 15

Non enim cõtrariatur ei rectus nisi secundum rationem quãdam recti & circularis,quia rectus sursum cõtrariatur recto deorsum. Vni ergo duo essent contraria. Nec circularis quia motus illi sunt contrarij, qui sunt a contrarijs terminis ad contrarios terminos,ut diximus in 4.lib.sed motus circulares etiam si contra se moueantur, non mouebuntur a contrarijs terminis ad cõtrarios terminos,immo ab eodem ad idem,ut si unus incipiat a puncto uersus orientem, & alter ab eodem puncto uersus occidentem,tandem ad eundem punctum circulariter reuertẽtur. Quia enim in motu circulari mobile secundum se totum non mutat locum,habet parum de diuersitate,et ideo est longinquum à contrarietate.

a.t.c. 33. usq; ad t.c.76. *Vniuersum non est infinitum magnitudine.* 16

Quia nullum corpus,ex quo constat est infinitum,non quidem cœlum,cum enim moueatur in uiginti quatuor horis perficiens totum cursum suum

suum, sequeretur quod tempore finito infinitum spatium pertransiret. Quod autem nullum aliud corpus sit infinitum probatum fuit in conclusione nona tertij libri, & illę rationes sufficiant ad præsens, & ex his sequitur uniuersum esse finitū.

17 *Mundus est unus.*

Tum quia cum sit unus primus motus, ut dictum fuit in præcedenti libro oportet esse unum primum cœlum, & consequenter unum mundū, tum quia cum sint tres species motus, scilicet ad medium, a medio, circa medium, oportet etiam tria corpora sensibilia esse & consequenter tria loca, locus grauis, qui est infimus, locus leuis, qui est medius, & locus circulariter moti, qui est supremus. Cum igitur leue sit in medio loco, non sunt plures mundi, quia tunc leue esset uel supra locum medium, uel infra quod est impossibile. *a.t.c.76. usq; 92.*

18 *Non possunt poni plures mundi.*

Si enim essent plures mundi, oporteret quod terra unius ferretur ad centrum alterius, quia omnia corpora simplicia eiusdem speciei feruntur ad eūdem locum naturaliter, & similiter dicendum est de alijs corporibus. Hoc autem est impossibile, quia & terra ascenderet & ignis descenderet, præterea mundus constat ex tota sua materia, id est comprehenditur tota materia mundi sub cœlo, & continet omnia genera corporum, ut patet ex ijs, quę dicta sunt, & omnes modos essendi, unde est undequaq; perfectus non igitur oportet facere plures mundos, cum iste omnes perfectionum gradus contineat. *a.t.c.76 usq; ad t.c.96.* *a.t.c.95. usq; ad t.c.100.*

a.t.c.97. uſq; ad t.c.100. *Extra cælum nec eſt locus, nec uacuum, nec tempus.*

Cum enim ibi non ſit, nec poſſit eſſe corpus, eo quod omnia corpora ſub cœlo comprehendantur, non erit ibi locus, aliter eſſet fruſtra, nec uacuum, quia uacuum eſt locus priuatus corpore: nec tempus, quia ibi non eſt motus, cum non ſit ibi corpus.

T.c.110. *Ea, quæ ſunt extra cælum, nec ſunt corpora nec ſunt in loco nec in tempore.* 20

Hæc enim nō ſunt extra cœlum, ut dictum eſt, in concluſione pręcedenti, ergo quę ſunt extra cœlum non ſunt talia.

Vbi ſu. *Ea, quæ ſunt extra cælum ſunt inalterabilia impaſſibilia optimæ uitæ per ſe ſufficientia æterna, influentia in hæc inferiora, & ideo intranſmutabilia.* 21

Cauſa autem horum eſt, quia ibi nullus eſt motus, ſeu alteratio, qua poſſint pati, uel alterari: nec habent uitam materiæ permixtam, & nullo indigent ad eius conſeruationem, aut executionem operum ſuorum. Non eſt etiā ibi ſucceſſio temporis, ut non poſſint eſſe æternè, & cum ſint perfecta & ſufficientiſſima ſunt cauſa aliorum, & in alia influūt, intrāſmutabilia autem omnino ſunt tranſmutatione proprie dicta, ſed primum inter illa eſt omnino intranſmutabile, quocunq; modo accipiatur tranſmutatio, cum ſit inter omnia optimum. Nam melius eſt, quod nullo modo tranſmutatur, quàm quod aliqualiter tranſmutatur, ergo.

Corpus

22 *Corpus cæleste nec est graue nec leue.* 1. de cœ. t.c.18. 19.

Si enim esset graue uel leue ferretur ad centrũ, uel a centro. Si ergo hic motus inesset ei naturaliter esset de natura quatuor elementorum quod est contra prædicta. Si autem aliquis istorum inesset ei præter naturam, alter inesset naturaliter, & sequeretur idem, quod prius. Non ergo est graue, nec leue, & ideo si aliqua pars cœli detraheretur ab eo, & poneretur in medio aeris, non moueretur nec sursum, nec deorsum.

23 *Cælum est ingenerabile, & incorruptibile.* T.c. 20. 21.22. 2. de cœ. t. c. 1.

Nihil enim est cœlo contrarium. In generatione autem & corruptione oportet esse unum subiectum & duos terminos contrarios: scilicet formam et priuationem, materia autem, quę formã suscipit, requirit dispositionem ad formam, unde primo est in contrarijs dispositionibus, et postea in similibus & proportionatis formæ has igitur contrarias dispositiones non habet cœlum, quia hæ sunt præsertim calidum, frigidum, humidum, & siccum, ad quos consequitur graue, & leue, ut patet in elementis. Graue autem & leue non sunt in cœlo, ergo nec istæ aliæ impressiones, in quibus est alteratio, non recipit ergo cœlum peregrinas impressiones, & ideo non habet corpus contrarium sibi unde ab omnibus dicitur ipsum esse locum deorum.

24 *Spissum & rarum non sunt contraria in cælo.* s.t. 2. de cœ.t.c.41.

Cõtraria enim possunt esse in eodem subiecto

proximo uel remoto. Dico autem remoto, quia in igne & si non possit esse frigiditas, materia tamen prima ignis potest frigitati esse subiecta. Sed stella non potest reduci ad dispositionem partiũ cœli, quia cum cœlum sit ingenerabile & incorruptibile oportet etiã quod sit inaugmentabile, id est, quod nõ possit nec augeri, neq; minui. Augmentum enim et diminutio non fiunt absq; aliqua generatione & corruptione eo, quod alimentum suscipit formam augmentati. Et similiter non poterit alterari alteratione proprie dicta, quia homini alteratio non est nisi in ijs, quae augeri possunt & minui, & generari, & corrumpi, itaq; partes spissiores cœli non poterunt rarefieri, nec rariores inspissari, quia in cœlo non est generatio neq; corruptio, neq; augmentatio, neq; diminutio, nec alteratio proprie dicta. Rarum ergo, & spissum non sunt contraria in cœlo, cum nõ possint in eodem esse subiecto ambo uicissim sunt ergo ibi sicut contraria in intellectu. Rarum enim & densum in intellectu non sunt contraria, sed in rebus inferioribus, quia sunt ubi per modũ intellectus, ita etiam in cœlo tanquam in causa et uirtute. In rebus autem inferioribus sunt contraria, differunt ergo rarum, & densum secundum quod sunt in cœlo & in inferioribus, cuius signũ est quia in cœlo quãto aliquid est magis densum tanto etiam est magis luminosum, in inferiorib. autem econtrario.

12. met. *In cælo non est tantum una sphæra circulariter mota* 25

t.c. 34. Cum enim cœlum circulariter moueatur, necesse est

cesse est esse aliquid medium, circa quod uolua-tur, quod quidem medium naturaliter in centro quiescat, & hoc non est nisi terra. Si autem terra est, etiam ignis est, quia posito uno contrariorũ, ponitur & reliquum, ut dictum est. Si autem hæc sunt, oportet esse aërem & aquam, quia hæc sunt contraria igni & terræ secundum aliquas qualitates: & etiam positis extremis necesse est ponere media. Si autem hæc sunt, cum sint contraria adinuicem, necesse est generationem & corruptionem esse, continue enim agunt & patiuntur adinuicem. Si autem generatio & corruptio est, necesse est esse preter motum uniformem cœli, alios motus differentes, ex quibus causetur difformitas generationis & corruptionis, & sic in cœlo sunt plures sphæræ.

43. 2. de cœ. a. t. c. 17. usq; 22. 2. de cœ. t. c. 101.

26 *Terra est sphærica.*

Oportet enim quod terra sit in medio mundi, quia naturaliter graue fertur ad medium, unde etiam in medio naturaliter quiescit, quia ergo partes naturaliter feruntur ad locum totius, ideo partes terræ ad medium latæ se inuicem comprimũt ex omni parte ad medium tendentes, & sic terra rotundatur, signum autem huius est, quia quando luna eclypsatur, obscurum illius & lucidum distingũtur per lineam circularem, propter quod oportet quod umbra terræ, quæ est in medio, sit rotunda, & per consequens ipsa terra erit rotunda.

a.t.c.104. usq; in finem lib. secundi. a.t.c.96. usq; ad t.c. 104.

27 *Cælum supremum est sphæricæ figuræ.*

a.t.c. 22. usq; 35. 51.

Figura enim prima eſt attribuenda primo corpori, hæc autē eſt figura ſpherica, cuius ratio eſt, quia hæc eſt ex lineis circularibus, aliæ autem figuræ ſunt ex lineis rectis figura aūt circularis fit ex una linea tantū, rectæ autem ex multis, unum autem eſt prius pluribus. Et præterea linea circularis eſt perfectior, quia nihil ei poteſt addi: lineæ autem rectæ, ſi eſt finita, poteſt aliquid addi & ſic eſt imperfecta. Si autem eſt infinita nihilominus eſt imperfecta, quia caret fine. Sicut igitur ſe habet linea circularis ad lineam rectam, ita & figura ſphærica ad figuram rectilineam, figura igitur ſphærica eſt perfectior & prior cæteris figuris, & ideo conuenit primò cœlo.

T.c. 26. 30.31.51. *Inferiores ſphæræ ſunt ſphæricæ figuræ.* 28

Cœlum enim ſupremum tangit eas, & utrobiq; eſt eiuſdem naturæ ſcilicet in concauo & in conuexo. unde etiam in concauo eſt ſphæricum, ſi ergo aliæ ſphæræ in conuexo non eſſent ſphæricæ, daretur uacuum inter ſohæram, & ſphæram, ſignum autem huius eſt, quia terra eſt rotunda, et aqua quoq; ad rotunditatem tendit, quia omnes partes eius tendunt ad infimum, aër quoq;, quia æqualiter partes eius concurrunt ſurſum, & ſimiliter ignis, unde conueniens eſt, ut etiam corpora cœleſtia ſint rotunda, & ſphærica.

T.c. 51. 59. *Aſtra ſunt ſphæricæ figuræ.* 29

Sunt enim partes cœli & eiuſdem naturæ cum eo, ut probabitur, ergo oportet quod ſint eiuſdē

figuræ

figuræ cum cœlo, & hoc in lunæ augmento manifestũ est. non enim illo modo faceret augmentum luna, nisi esset sphærica, eadem autem ratio est de luna, & alijs stellis, omnes ergo sunt sphæricæ figuræ.

30 *Astra sunt de natura corporis cœlestis.* T.c. 41. 42.

Nam mouentur circulariter, sicut corpora cœlestia & obtinent eundem locũ, loca autem consequuntur naturas corporum. item si non essent de natura cœli, cum nec etiam sint elementa, essent composita ex elementis, quod est falsum, quia locus astrorum non est locus compositorum. Nam non sunt plura corpora simplicia, præter quatuor elementa, & cœlum, ut dictum est supra, sunt igitur de natura cœli.

31 *Cœli & astra differunt specie.* s.t. super t.c. 59.

Patet hoc primo ex diuersa eorum operatione specifica. secundo ex motu naturali. Nec enim omnia mouentur eodem modo & eodem motu. unde sunt eiusdem generis, non tamen eiusdem speciei: & constat unumquodq; indiuiduum ex tota sua materia, sicut totum uniuersum constat ex tota sua materia suæ speciei. Non enim est generatio ibi uel corruptio, & hoc propter eorum perfectionem, differunt ergo specie à cœlo & eadem ratione inter se.

32 *In suprema sphæra sunt multæ stellæ, in alijs autem una tantum.* a.t.c.67. usq; 72

Rationabiliter. n. hoc factũ est, quia suprema sphæra

sphæra est maioris dignitatis & actiuitatis q̃ cęteræ, quia est propinquior primo mouenti, ideo debet habere plura instrumenta, quæ sunt astra in eo fixa, sicut nodi in ligno, q̃ cæteræ sphęrę ad operandum.

T. c. 13. *Cælum est animatum.* 33

Hoc enim pertinet ad dignitatem cœli, quod a principio coniuncto moueatur, quomodo autem hoc principium sit ei coniunctum intelligendum est sane. Nõ enim est, sicut forma cœli, quia hæc anima non posset esse uegetatiua, eo quod in cœlo non est nutritio uel augmentatio, nec generatio, nec sensitiua, quia non est absq; uegetatiua, ut patebit inferius. Nec etiam intellectiua, quia animæ intellectiuæ esset melius esse extra corpus q̃ in corpore, nisi indigeret acquirere perfectionẽ in corpore per sensus. Si autem non haberet hanc indigentiam, natura ageret quod deterius est ei infundendo eam in corpus, si ergo anima cœli infunderetur in corpus cœli, esset propter istam indigentiam, aliter non apparet qualiter debeat infundi, cœlum ergo esset sensibile & uegetabile, quod improbatum est, itaq; hoc principium mouens cœlum, non est ei coniunctum sicut forma, sed sicut motor, quod mouet amando & desyderando primum mouens.

a.t.c. 13. usq; 17. *In cælo est sursum & deorsum, ante & retro, dextrũ & sinistrum.* 34

Cœlum enim cum sit aliquomodo animatum habet similitudinem cum animali, in quo ꝓpter princi-

principium agendi hæc ponuntur, sursum enim dicitur propter principium motus alimenti, ante autem propter principium sensuum, dextrum autem propter principium motus localis. In cœlo quoque ubi sunt nobiliores operationes, ibi ponimus principia motuum, & ante & retro & dextrum & sinistrum, & sursum & deorsum, unde antarcticus polus est sursum in cœlo & oriẽs dextrum & emisperium superius ante, cętera sunt his opposita, & imaginamur, ac si homo iaceret superius uersa facie ad superius, & caput haberet ad polum anctarticum & pedes ad arcticum, & dextram manum ad orientem & sinistrum ad occidentem.

35 *Cælum rationabiliter mouetur ab oriente & sursum.* T. c. 33. 34.

Ratio huius est, quia hæc est pars dextra. Sed causa huius dispositiõis partium est intelligentia quæ ita se habet ad sphęram, unde & in ipsam, sicut in causam reducitur, quod motus cœli fit isto modo, quo diximus in conclusione, scilicet ab oriente in sursum.

36 *Cælum mouetur regulariter.* d. t. c. 35. usque 40.

Est enim motus eius primus & mensura omnium, igitur regularis. Præterea si esset irregularis, aut esset propter transmutationem mobilis, aut mouentis. Sed mobile est intransmutabile in substantia & figura & forma, ergo multomagis mouens. Non ergo irregulariter mouetur.

37 *Astra mouentur ad motum cæli.*

Signum

a.t.c.45. usq; 52. Signum huius est, quia uidemus ea ire ad occasum cum coelo & seruare distantiam inter se exceptis planetis, Non enim astra mouentur motu girationis, seruando semper eandem superficiem uersus nos. sicut giratur mola molendini, nec motu uolutationis nunquam scilicet seruando eandem superficiem uersus nos cuius signũ est, quia eadem ratio est de luna & de omnibus, sed luna non mouetur hoc motu: ergo nec alia cuius signum est quia seruat semper eandẽ superficiem, & eundem situm illius superficiei. sicut patet in illa nebula quæ apparet in ea, quia semper apparet eodem modo: illud autem signum uel illam nebulam habet quia est causa infima, in qua effectus inueniuntur minus uniformiter, uel quia in ea præexistit effectus infimus, qui est terra, unde ei aliqualiter assimilatur.

T.c.49.

T. c. 57.58. *Sphæræ inferiores mouentur tardius uel uelocius secundum distantiam à prima.* 38

Tardius quidem motu secundo: qui est motus proprius earum, uelocius autem motu primo, qui est motus primæ sphæræ quem supponimus esse simplicem, id est non compositum ex pluribus motibus: sicut est motus secundus. cũ enim prima sphæra sit propinquissima substantijs separatis sempiternis, habet tantũ unum motum, qui propter suam uniformitatem est causa sempiternitatis in inferioribus, aliæ uero sphæræ, quia magis recedunt ab illis appropinquando corruptibilibus, aliquid participãt de motu primo,

& ali-

& aliquid de secundo, qui est causa corruptionis & generationis, sic tamen quod superior planeta, scilicet saturnus minimū habet de secundo propter nobilitatē suæ naturę: ideo hic motus est tardior in illo. peragit enim cursum suum in. 30. annis, ultimus autem, scilicet luna propter appropinquationem ad corruptibilia, maxime habet de secundo motu, qui est in ea uelocissimus. nam in mense peragit cursum suum, medij autem medio modo se habent. Et inquantum quidam est naturalis, habent plus uel minus ipsum participare secundum distantiam à prima sphæra: sed quia est etiam uoluntarius uariatur proportio, secundum quod melius est, & Iupiter quidem, qui est post Saturnū perficit motum suum in 12. annis. Mars uero in duobus, Sol autem, uenus, & Mercurius quasi per annum: nam motus Veneris & Mercurij colligantur motui Solis ei deseruientes: secundum autem primum motum uariatur uelocitas, & tarditas secundum distantiam à prima sphæra: & de isto simpliciter uerificatur conclusio, cuius signum est, quod etiam mouentur hoc motu in uigintiquatuor horis, & tamen superiores sphæræ sunt maiores, unde patet, quod uelocius mouentur.

19 *Calor à stellis generatur ex motu & lumine.* T.c. 42.

Ex motu quidem quia ex motu cœli mouetur ignis, qui tangit orbē lunæ: & similiter aër ei propinquus: & sic ex cōfricatione & motu causatur calor,

calor, quia enim motus localis est causa aliorum motuum, præcipue est causa primæ alterationis quæ est calefactio. Ex lumine autem, quia lux est qualitas primi alterantis, id est cœli: ideo causat primam qualitatem directe inferiorum corporũ, hæc autem est calor: uerum quædam astra dicuntur infrigidare propter alias proprietates, quas habent, secundum igitur quod calor causatur ex motu, superiora corpora sunt calidiora inferioribus secundum autem quod causatur ex lumine, inferiora sunt calidiora propter reflexionem radiorũ, unde regio aëris media remanet frigidior cęteris.

a.t.c.52. usq; lib.

Astra non causant sonum motu suo. 40

Tum quia audiretur, maxime cum sint astra tam magnæ quantitatis, quod tamen est falsum: tum quia non mouentur per se: sed ad motum orbium, in quibus sunt: ut dictum fuit supra nil autem tale causat sonum, tum quia sonus causatur ex diuisiōe alicuius corporis, puta aëris, uel aquę quod in cœlo non potest esse: & hæc ratio militat etiã de motu ipsorum orbium, q̧ non causent sonum, tum quia ad nihil esset utilis iste sonus: immo potius destrueret res, sicut patet de magnis sonis, qui fiunt apud nos, unde natura prouidens non dedit eis motum per se, & consequenter nec istum sonum.

4.de.cœ. a.t.c.21. usq; ad t.c.25.

Elementa mouētur sursum uel deorsum, quia sic sunt naturaliter nata moueri. 41

Cum enim quod mouetur naturaliter moueatur ex quodam termino determinato a deter-

minato

minato mouente, et in determinatum terminum oportet quod id, quod mouetur sursum uel deorsum moueatur, isto modo. Et quia quod sic mouetur est graue uel leue siue simpliciter, siue in respectu, secundum quod in potentia sunt sursum uel deorsum, sequitur quod terminus huius motus, scilicet esse sursum uel deorsum sit perfectio et finis, quod enim est in potentia ad aliquid, perfectio & finis eius est esse in illo, motiuum etiã mouet mobile ad perfectionem & finem suũ, mouẽtur igitur grauia et leuia sursum uel deorsum sicut in finem Et per cõsequens quia sunt sic apta moueri, & confirmatur, quia cum locus sit terminus ultimus corporis cõtinentis, terminus autem habet rationem actus & perfectionis, locus habebit rationem perfectionis & formę & consequenter finis, unde moueri ad ipsum est moueri ad simile secundum naturam propter conseruatiuam uirtutem, quam habet: naturaliter ergo mouentur ad ista loca, differenter tamen mouentur ad ea, quando sunt in potentia essentiali. cum scilicet generantur ante quam habeant formam suam, nam tunc simul generantur, & mouentur. Et cũ sunt in potentia accidentali, cum scilicet iam generata detinentur ab aliquo extra loca sua, nam tunc non est idem tempus motus, & generationis ipsorum. Item primo modo mouentur a generante, quod dat formam, ad quam consequitur motus ille, secundo autem modo a remouente ꝓhibens, aut ab eo, a quo repulsa resiliunt.

42 *Causa grauitatis & leuitatis in compositis sunt corpora simplicia. i. elementa.* T. c. 28. 29. 30.

l Primum

Primum enim in unoquoq; genere est causa aliorum cum igitur elementa sint prima grauia & leuia sunt causa grauitatis & leuitatis in alijs, unde secundum quod composita diuersimode participant simplicia, diuersimode se habent ad grauitatem & leuitatem, & cōsequenter ad motum grauium & leuium, mouentur enim secundum elementum prædominans, & ab hoc accidit in illis quædam diuersitas, quia quædam non uidentur æqualiter grauia & leuia in quocunque loco propter diuersitatem simplicium, ex quibus sunt, sicut uidemus quod lignum habens pondus talenti unius est grauius in aere, & uelocius descendit plumbo unius oboli: econuerso autem in aqua, quod contingit, quia omnia elementa præter ignem habent grauitatem in loco suo, ut infra dicetur, de terra quidem & aqua patet, de aere autem uerificatur saltem quo ad partem ꝓpinquam aquæ et terræ, quæ propter diuisibilitatem aeris incrassatur. & talis uidetur esse aer, qui uenit in compositionem mixtorum, secundum ergo quod aliquod compositum plus uel minus habet de uirtute unius elementi q̄ꝫ alterius, sic tardius uel uelocius mouetur in loco eius, & sic lignum, quod participat magis de aere, quàm plumbum, quod magis participat de terra, & aqua, uelocius mouetur in aere, econuerso autem in aqua.

4. de cœ. t. c. 35. 36. *Elementum continens habet rationem formæ, contentum uero rationem materiæ.* 43

Primo quidem, quia continere & terminare

sunt

sunt conditiones formæ:contineri uero, & termi nari sunt conditiones materiæ, secundo quia in omni genere perfectius habet rationem formæ, imperfectius uero rationem materiæ, sicut patet in albo & nigro, calido & frigido, locus autem sursum est dignior, q̃ locus deorsum, igitur ille habet rationem formæ, & iste materiæ. Et si ita se habent loca, & corpora, quæ sunt in illis eandem rationem debent habere, unde & materia ipsorũ in quantum est in potentia ad formam leuis, habet rationem formæ, et ut in potentia ad formam grauis, habet rationem materię, licet enim sit una & eadem secundum substãtiam per priuationem omnis formæ, est tamen alia & alia secundum rationem, prout comparatur ad diuersas formas, quibus habet distingui, hinc est quod corpus habens materiam idoneè se habentem ad leuitatem puta determinatam per caliditatem est leue simpliciter & sursum fertur quandiu habet materiam talem, ut patet in igne, quod autem habet materiam contrariè se habentem, scilicet determinatam per frigiditatem est graue simpliciter & tendit deorsum, ut patet de terra, quod autem habet eam medio modo se habentem, scilicet determitam caliditate & frigiditate remissis est graue, & leue in respectu, & mouetur sursum & deorsum, non simpliciter, sed in respectu, sicut est aqua & aer, qui tamen aquæ supereminet.

Elementa intermedia habent grauitatem in locis proprijs, leuitatem autem in ijs, quibus superferuntur. T.c. 39.

Signum huius est, quia subtractis corporibus substantibus eis mouentur deorsum ad ea, quae consequuntur: sicut remota aqua mouetur aer in locum eius, & remota terra mouetur aqua ad locum eius, si autem remoueatur ignis nõ ascendit aer ad locum eius nisi per uiolentiam, & similiter remoto aere, non mouetur aqua ad locũ eius nisi per uiolentiam, probatum est etiam hoc experimento de aere, de quo uidetur magis dubitãdum, quia uter inflatus est grauior q̃ non inflatus. Et hoc intelligendum est: ut diximus supra, de aere non secundum suam dispositionem naturalem, sed secundum quod infrigidatur & incrassatur, qualis est aer contiguus terrae & aquae, quã do autem ista elementa intermedia sunt in locis eorum: in quibus superferuntur tendunt sursum ad loca sua. Et sic ibi habent leuitatem, & hoc est quia sunt grauia & leuia in respectu: non simpliciter, terra autem, cum sit simpliciter grauis est ubiq; grauis: & ignis ubiq; leuis: quia est simpliciter leuis nec unquam terra mouetur sursum: aut ignis deorsum nisi per uiolentiam.

T.c.40. 41. *Differentiae quibus elementa mouentur ad loca sua, sunt aequales numero ipsis elementis. i. quatuor.*

Si enim esset una tantum in omnibus, omnia mouerentur ad locum unum puta deorsum: si esset illa: quae inclinat ad motum deorsum, cũ hoc tamen uelocius: uel tardius secundum quod plus uel minus haberent de illa. Et sic non daretur aliquid simpliciter leue, cuius natura est ferri sursum simpliciter, uel ecõuerso: non daretur simpliciter graue,

graue, cuius natura est moueri simpliciter deorsum si ista differētia esset illa, quę inclinat ad motum sursum, pręterea sequeretur quod aliqua pars intermediorum uelocius moueretur sursum, uel deorsum: quam aliqua pars terræ uel ignis: quia posset accipi tanta pars, quæ haberet plus de illa differentia, hoc autem est inconueniens, si autem essent duæ uel tres: posset cōtingere quod aliqua pars aeris uelocius moueretur deorsum quam aliqua pars aquę, cuius oppositum uidemus, poterit enim esse quod aliqua pars aeris plus habebit de illis differentijs. Et econuerso potest dici de aqua respectu motus sursum, oportet ergo illas esse quatuor: sic quod unumquodq; habeat propriam: per quam mouetur ad loca sua.

46 *Figuræ elementorum nō sunt causæ motuū ipsorum, coadiuuant tamen quo ad tarditatem et uelocitatem.* *T.c. 42. usq; ad finem libri.*

Quod non sint causę satis patet: quia cum figura pertineat ad quantitatem, non potest esse principium motus: sicut nec ipsa quantitas, coadiuuat tamen inquantum facit ad diuisibilitatē corporis: in quo fit motus, figura enim lata: quia multum comprehendit de corpore supposito: non potest illud faciliter diuidere. Et sic fit motus tardus acuta uero faciliter diuidit, & sic facit motum uelocem, & hæc de cœlo & mundo breuiter dicta sint.

Explicit liber sextus, qui est de cœlo & mundo.

Postilla in librum sextum.

IN hoc libro incipit auctor applicare quæ dicta sunt de motu in communi ad propria subiecta, & quia primum corpus est illud quod mouetur secundum locum, siue situm, hic agit de tali corpore, quod est principaliter ipsum uniuersum corporeum, siue mundus, deinde eius partes principales, quæ sunt corpora cœlestia, et elementa, unde primo agit de ipso uniuerso, secundo de corpore cœlesti, tertio de elementis, non quatenus calida & frigida siue sicca & humida, sed quatenus habeat per se situm in uniuerso, quem habent inquantum grauia & leuia sunt. Constat enim uniuersum ex suis partibus, secundum ordinem situs unde de alijs corporibus hic non determinatur, puta lapidibus: plantis & huiusmodi, quia nō habent per se situm in mundo, sed ratione corporum simplicium. Circa primum, præmisso ꝙ hæc consyderatio de corporibus spectat ad naturalem in prima conclusione, primo ostendit perfectionem uniuersi & quia ostendit illam, tum ex perfectione corporum absolute, tum ex perfectione propria: declarat perfectionem corporum in 2. & in 3. ostendit perfectionem uniuersi. Secundo uolens ostendere, ex quibus partibus eius perfectio integretur, præmittit quomodo se habent corpora ad motum, quo ad principium quidem in 4. quo ad naturalitatem uero in 5. & quo ad speciem motus: in 6. præmittit etiam numerum motuum simplicium in 7. &

qualita-

qualitatem corporum quę moueatur motu recto in 8. & ex his deducit numerum elementorum, remouens infinitatem in 9. unitatem in 10. & concludens quot sunt in 11, Et quia ad eius integritatem pertinet etiam corpus cœleste, quod dicitur quintum corpus, ostendit in 12. dari tale corpus, & postea eius perfectionem declarat per cõparationem ad elementa in 13. Quia uero ista corpora sufficiunt ad perfectionem substantialem uniuersi corporei, ostendit in 14. non dari aliud corpus simplex, & ex hoc excludit motum circularem habere contrarium in 15. Quia uero antiqui attribuebant perfectionem infinito: tertio loco ostendit, an uniuersum sit infinitum, excludens infinitatem secũdum magnitudinem in 16. & secundum multitudinem in 17. & 18. probans non solum non esse infinitos mundos, sed unum solum, & actu & potentia: & quia hoc prouenit ex hoc quòd mundus constat ex tota materia sua, quæ sunt omnia corpora, consequenter ostendit hoc, probans extra cœlum non esse aliquod corporeum in 19, & qualia sunt entia quæ sunt extra cœlum, in 20. & 21. Circa secũdum principale. scilicet corpus cœleste, primo agit de eius perpetuitate, quam ostendit, ex hoc quòd est alterius naturæ ab elementis, scilicet nec graue, nec leue in 22. & per consequens ingenerabile & incorruptibile in 23. & non habere contraria in se, in 24. Ex his enim sequitur ipsum esse perpetuum, quia nec incipit, nec finitur per motũ. Secundo agit de principalibus partibus eius quæ

sunt sphęræ, assignans causam quare sunt plures: in 25. Tertio agit de figura eius, scilicet sphęrica, quam prius ostendit de centro eius .s. terra in 26. deinde de primo cœlo in 27. & demum de alijs inferioribus in 28. Quarto agit de partibus eius secundarijs .s. stellis, docens tria .s. Cuius figuræ sint .s. sphæricę sicut ipsum cœlum in 29. cuius naturę, tam cōmunis in 30. q̄ specialis in 31, & diuersitatem earum in 32. Quinto agit de animatione eius qđ spectat ad eius dignitatem, in 33. deducens ex hoc ipsum habere differentias situs in 34. Vltimò agit de motu eius, declarans ordinē situalem motus eius in 35. regularitatem in 36. motum astrorum in 37. motum inferiorum sphærarum in 38. & effectum motus eius in 39. excludens in 40. quendam effectum putatum. Circa tertium principale .s. elementa, supposito numero eorum ex superius dictis, agit de illis quatenus mouentur secundum locum per grauitatem & leuitatem, sic enim sunt partes uniuersi, secūdum autem ꝙ sunt generabilia & corruptibilia siue alterabilia, determinabitur de illis in sequēti libro. primo igitur ostendit, qūo mouentur secundum situm diuersimode in 41. & quia hic motus prouenit ex grauitate & leuitate illorum, ostendit secundo differentiam horum, tum in mixtis in 42. tum in ipsis in 43. tum specialiter in medijs in 44. Tertio declarat numerum harum differentiarum in 45. Demum ostendit quomodo se habent figuræ elementorum ad motum eorum in 46.

INCIPIT

INCIPIT LIBER SEPTIMUS, QVI EST DE GENERATIONE ET CORRVPTIONE.

1 *Generatio est mutatio de non esse ad esse, et corruptio est de esse ad non esse.* 1. de ge. t. c. 11.21.

Dico autem mutatio & non motus quia generatio & corruptio non sunt motus, sed magis termini motus, ut determinauimus supra libro. 4.. conclusione. 7. & 8. 5. phy. t.c.7. 11. met. lec.11. san. tho.

2 *Generatio est naturalis.*

Habet enim principium naturale & terminum naturalem, qui est forma & subiectum naturale, quod est materia, est igitur naturalis. 2. de anima t. c.34.

3 *Corruptio est naturalis.* 5. phy. t.c.56.

Contraria enim sunt in eodem genere & corruptio contrariatur generationi. ergo. At etiam corruptio consequitur principia naturalia, scilicet actionem naturalem contrariorum quæ contra se agunt naturaliter. Ex qua actione sequitur corruptio: ideo est aliquo modo naturalis. s.t. ibidem

4 *Corruptio non est de intentione naturæ per se sed per accidens.* s.t. prima 19.q.4.

Cum enim ratio boni sit ratio appetibilis, nō potest appetitus ferri in malum in quantum huiusmodi, sed in quantum consequitur ad aliquod bonū. nulla igitur res appetit sui uel alterius corruptio- cō.c1.4.5.

ruptionem, nisi inquantum aliquod bonum appetit, cui illa corruptio cõiungitur. hoc autem est esse intentum per accidens. ergo.

1.de ge. t.c.12.18. 19.20. 5.physi.t. c.7.11. met.lec. 11. s.t.

Generatio est duplex. 5

Quædam est per quam acquiritur esse substantiale, & esse simpliciter, unde dicitur generatio simpliciter & est in sola substantia. Quædam est per quam acquiritur esse accidentale, quæ dicitur generatio secundum quid: dicitur etiam generatio simpliciter, quãdo aliquid per mutationem accipit perfectius esse, q̃ haberet, ut si ex aqua generaretur ignis, secundum quid autem, quando accipit esse imperfectius, ut si ex igne generaretur terra. esse enim imperfectius est quasi non esse respectu perfecti, amplius etiam generatio simpliciter est quando fit mutatio ab aliquo, quod se habet per modum priuationis ad habitũ ut cum mutatur aliquid de frigido ad calidum, & econuerso, dicitur generatio secundum quid, quia priuatio non est respectu habitus.

1.de ge. t.c.11.24. 1.phy.t.c.62

Omne quod generatur ex non ente simpliciter & ex ente in potentia generatur. 6

Non enim generatur aliquid ex ente in actu quod est ens simpliciter, quia esset antequam generaretur, quod autem generatur, nondũ est, nec etiam ex nihilo, quia nihil generatur ex nihilo. ergo ex ente non simpliciter quod est ens in potentia, non in actu.

1.de ge. t.c.23.24.

In generatione simpliciter totum transmutatur in totum. 7

Quan-

Quanquam enim eadem materia remaneat secundum rem, tñ est alia et alia secundũ rationem inquantum est sub ista & illa forma unde dicimus ex aqua fieri ignem & econuerso. nec tamen dicimus ex parte aquæ, & hoc idem potest aliqualiter dici de generatione accidentali accipiendo totũ, ipsum subiectũ cũ accidente, puta homo musicus, qui mutatur in hominem immusicum.

8 *Generatio differt ab alteratione.* T.c. 24.

Generationi enim & corruptioni subijcitur ens in potentia tantum. Alterationi uerò ens in actu, unde generatio & corruptio terminantur ad substantiam uel priuationem substantiæ, alteratio uerò est in qualitate.

9 *Remotis generatione & corruptione, remouetur etiam alteratio.*

Remoto enim termino remouetur etiam motus: alterationes autem ordinatæ sunt naturaliter ad generationem & corruptionẽ, & omnes motus, maximè autem alteratio participat aliquid de generatione & corruptione, remoto autẽ principali & secundarium remouetur. ergo &c.

10 *A generatione & corruptione differunt augmentum & decrementum.* Vbi. su.

Quia hęc habent subiectum in actu, illa uero in potentia & Illa sunt in substantia & hæc in quantitate.

11 *Augmentum & alteratio differunt.* T.c. 25.

Sunt enim in diuersis prædicamentis. pręterea in augmento

in augmento semper aliqualiter uariatur locus, non autem in alteratione.

T.c.32. *In augmento tria requiruntur.* 12

.33.34.35. 1.de cœ. t.c.21. Primò quòd maneat, quod augetur. secundò quod fiat aliquo adueniente, sicut diminutio fit aliquo recedente. tertiò quòd quælibet pars aucti sit aucta: unde non propriè augetur ignis ex appositione lignorum.

1.de ge. t.c.36. *In eo, quod augetur materia fluit, sed forma remanet.* 13

Nam forma se habet, sicut continens, & materia sicut contentum: sicut ergo idem uas fluente aqua est semper idem uas plenum, posito quòd aqua fluat: ita semper idem animal remanente eadem forma posito quod materia fluat, ubi enim remanet idem esse, remanet etiam eadem res simpliciter: ubi autem remanet eadem forma, ibi remanet idem esse. ergo.

T.c.34. 2.de anima *Animatum est agens quod nutrit augmentat & generat.* 14

t.c.12.14. 1.de ge. t.c.41.42. Animatum enim est agens quod nihil enim est habens has operationes nisi animatum, agēs autem quo est forma substantialis, id est anima mediante tamen uirtute nutritiua uel augmentatiua uel generatiua. igitur quando uirtus augmentatiua est magna, ita quòd possit plus conuertere de nutrimento in substantiā nutriti, quàm illud quod deperditur, tunc fit augmentū: quando autem est parua, tunc uel nullū fit augmentum, uel etiam fit diminutio. Quanto autem plus apponitur de nutrimento uel humido extraneo super humidum radicale, tanto magis uirtus deficit, sicut

& uirtus uini deficit ex appositione aquę.

15 *Materia est una omnium generabilium & corruptibilium.* 1.de ge. t.c.29.

Materia enim est primum subiectum, quod est in potentia ad omnes formas inferiorum corporum, unde cum exinuicem res istæ generentur & corrumpantur, oportet aliquod unum esse subiectum commune sustinens contraria. 2.de ge. t. c. 6. 1.physi. t.c.52.53.

16 *Materia non est separata à magnitudine nec secundum locum, nec secundum esse.* 1.de ge. t.c.27. 28.29.

Secundum locum quidem, quia aliter nō esset in loco: nec per se nec per accidens. Et sic quod generatur ex ea nusquam esset, secundū esse autem quia ab ipsa magnitudine accipit esse corporeum sicut à forma substantiali esse simpliciter. Non enim est in corpore, sicut uinum in dolio.

17 *In generatione & corruptione oportet dare materiam contrarietati subiectam.* 2.de ge. t. c. 6.

Vnum enim contrarium non potest esse alterius materia. Non enim fit alterum ex altero tanquam ex subiecto. nec fit ex nihilo sed ex materia contrario subiecta: ideo materia nunquam separatur ab altero contrariorum. 1.phy. t. c. 52.53.62.63.

18 *Tactus naturalis tria requirit.* 1.de ge. t.c.44.45.

Primò quòd tangentia habeant positionem. sunt enim in loco, quæ se tangunt. secundò quòd ultima sint simul. sic enim diffiniuntur tangentia, ut supra diximus. Tertiò quòd agant & patiantur adinuicem. quando igitur non agunt, aut patiuntur ad inuicem quæ se tangunt, tactus eorum

rum non est naturalis,sed mathematicus,intelligentiæ ergo quę mouent cœlum non tangunt cœlum naturaliter,quia non alterant nec agunt nisi mouendo localiter. Et hoc modo possunt dici tãgere,nullo tamen modo tanguntur a cœlo,& similiter cœlum tangit ista inferiora,& nullo modo ab eis tangitur nisi mathematicè. Elementa autem tangunt se inuicem naturaliter.

T.c. 50. 51.53.54. item 77. 78.

Agens & patiens sunt aliquo modo similia et aliquo modo dissimilia. 19

Sunt enim in genere & materia similia, quia agens & patiens sunt contraria aliquo modo,& contraria sunt in eodẽm genere,sunt autem dissimilia in forma,quia sunt contraria,loquor autem de agente proprio,& patiente,non autem de uniuersali & communi sicut enim mouens distinguitur in primum.quod potest esse immobile , saltem ab eo quod mouetur ab ipso,& in ultimum, quod non mouet nisi motum,ita agens diuiditur in primum, quod est impassibile,saltem ab eo,in quod agit & ultimum,quod in agendo repatitur cuius distinctionis ratio est,quia quædam agentia cõmunicant in materia cum patiente & hæc agendo repatiuntur,quędam non,& hæc sunt impassibilia,quodcunq; tamen agens sit oportet ipsum esse diuisum a patiente,cum nihil agat in seipsum,& cum hoc,illi approximatum,uel approximatione immediata si agit in illud immediate uel mediata,si mediate.i. mediante alio agit.

1.de ge. t.c. 84.

Miscibilia non manent actu in mixto,sed potentia tantum. 20

Nam

Nam si mānerent actu in mixto, iam nō esset mixtio, sed congregatio, & nō fieret unum per se ex ipsis, si autem nullo modo manerent, certe nullam possent facere mixtionem, ergo in potentia tantum remanent, cuius signum est quod adhuc miscibilia sunt in potentia, ut reducantur ad propriam naturam per resolutionem mixti.

21 *In mixtione generatur medium cōmune admiscibilia.* *Vbi su. t.c.89. Item 2. t. c. 48.*

Sunt enim in mixto miscibilia, ut dictum est, in potentia tātum, unde oportet ex ipsis fieri q̄ddam medium in quo ipsa sint uirtualiter: quia si unum esset ibi per excellentiam non reductum, ad mediocritatem quandam conuerteret cætera ad suam naturam oportet ergo quoddam mediū fieri, nam mixtio nihil aliud esse uidetur q̄ alteratorum miscibilium unio, sunt autem miscibilia, quæ communicant in materia, & agunt & patiuntur adinuicem.

22 *Humida sunt bene miscibilia, nisi sint unctuosa.* *1. de ge. t.c. 89.*

Faciliter enim reducuntur ad partes paruas, et parua secus paruis posita sunt magis miscibilia, unctuosa autem non bene miscentur, quia supernatant propter abundantiam humiditatis aeræ, ut patet in oleo, quod etiam propter uiscositatem non bene est diuisibile. Dicitur tamen quod cum lixiuio miscetur propter eius siccitatem, quæ euaporare facit partes aeras olei.

23 *Formæ elementorum non sunt actu in mixto.* *s.t. super t. c. 84.*

Si enim essent actu in mixto haberēt diuersas naturas: & per consequens distinctas qualitates, igitur

Item opu. 33. per totum igitur in mixto essent diuersa corpora. hæc igitur non esset mixtio, sed congregatio. præterea cum unaquæque forma requirat debitã dispositionem si ibi essent actu formæ elementorum, essent in mixto contrariæ qualitates actu, quod est impossibile.

5. t. ubi supra. *Qualitates elementorum sunt in mixto, sicut extrema in medio.* 24

Per actionem enim unius ad alterum rediguntur illæ qualitates ad unam mediam qualitatem, quæ est dispositio formæ substantialis mixti. sicut qualitas simplex est dispositio formę substantialis simplicis corporis. Extrema autem sunt in medio aliquo modõ, sicut in pallido albũ & nigrũ, ergo isto modo sunt qualitates illę in mixto.

5. t. ubi. supra. *Formæ elementorum sunt in mixto uirtute.* 25

Quia iam dictũ est, quòd sunt ibi qualitates tanquam in medio. Qualitates aũt non agunt nisi in uirtute formę substãtialis, maximè generãdo uel corrumpendo. oportet igitur in mixto esse formas substãtiales elementorũ secundũ uirtutẽ.

2. de ge. t.c.49.50. *In omni mixto concurrunt quatuor elementa.* 26

Terra quidem concurrit, quod patet ex eo, quòd omnia ferè mixta sunt in terra tanquam in loco proprio & mixta requirunt aliquã duritiem & crassitiem quæ est in terra, aqua quoque requiritur, quia terra absque aquæ humiditate esset sicut puluis, & nõ esset compacta. Ignis quoque & aer concurrit ad temperandum excellentias aquæ & terrę, quę nõ debẽt esse in mixto. potest tamẽ mixtũ participare magis de potẽtia unius miscibilis

quàm

quàm alterius. Et secundum hoc potest esse magis calidum q̃ frigidum, uel econuerso: & sic diuersificatur secundum quod diuersificantur uirtutes miscibilium. i. secundum proportionem uirtutis unius ad uirtutem alterius.

27 *Elementorum materia una est sub contrarijs qualitatibus.* *2. de ge. t.c. 1. 2. 3 4. 5. 6. 31 32. 33. 34.*

Elementa enim sunt contraria, quia naturalitèr agunt. et patiuntur adinuicem, ea uero, quę agunt et patiunt adinuicem sunt contraria. Et per hoc se tangere dicuntur. Contrariorum autem est una materia, & unum subiectum, igitur elementorum est una cõmunis materia. Praeterea omnium generabilium, & corruptibilium est una materia, ut dictum est. Cum igitur elementa sint de numero generabilium & corruptibilium, oportet ea habere unam materiam communem.

28 *Qualitates elementorum, quibus adinuicem se tangunt habent ordinem adinuicem.* *Vbi su. a. t. c. 8. usq; ad t. c. 16.*

Primę enim qualitates actiuae sunt calidum et frigidum, secundae autem passiuae sunt humidum & siccum, cęterę autem ad istas reducuntur, quia autem calidum subtiliat & relinquit crassum & ascendere facit, frigidum autem congregat & cõstipat, & immobile facit, ideo ad calidum sequitur leue, & ad frigidum graue, quia autem humidum cedit, & non resistit & est maximè repletiuum, cum intret per omnes poros & sit flexibile, non habens nisi terminos alienos, ideo ad ipsum sequitur molle, quod non resistit, & lubricum q̃d

 est

est humidum passum a sicco, quia est ibi humiditas admixta siccitati, & subtile quod penetrat, et lene quod fluit, siccum autem resistit, & non facile replet totum nec fluit, sed habet proprios terminos, unde ad ipsum sequitur durum, et aridum quod est perfecte siccum, & crassum, & asperũ, quod est siccum propter suam duritiem.

3. d. cœ. t. c. 53. 54. 55. 2. de ge. t. c. 24. 25. 26.

Elementa ex inuicem generantur et corrumpuntur. 2

Si enim generantur, aut ex aliquo corpore, aut ex non corpore, non quidem ex nõ corpore, quia si aliquod elementum uel aliquod corpus ex non corpore generaretur, cum fuerit generatum corpus occupabit locum in quo generatur, & cum generatio fiat in instãti, erit necesse uel quod duo corpora sint simul, uel quod aliud corpus, in quo subintrat cedat in instanti, quod est impossibile. Si autem dicis quod non erat corpus aliud in loco, in quod subintrat, tunc sequitur, quod ibi esset uacuum quod etiam est falsum. Non ergo generatur ex non corpore, sed ex corpore, non autem ex aliquo priori corpore, quia ista elementa sunt prima, ex quibus fit generatio, nec ex posteriori, quia posteriora ex prioribus generantur, non autem econuerso, ergo generantur ex se inuicem, dupliciter autem generantur inuicem, scilicet unum ex altero, & unum ex duobus, unum quidem ex altero generatur tam in symbolis q̃ in non symbolis, unum uero ex duobus solum in non symbolis contingit.

T. c. 25. *In symbolis facilis est transmutatio.* 30

Ex aere

Ex aere enim faciliter fit ignis & cõuerso quia cum conueniant in caliditate, facile est etiam, q̄ conuertatur aer in siccicatem. Difficile autem esset ex aqua facere ignem, quia oporteret qđ assimilaretur ei in caliditate & siccitate. Facilius est enim trãsmutare ex uno quàm ex multis. In symbolis igitur facilis est transmutatio, in non symbolis uero difficilis, dicuntur autem symbola, quę conueniant in aliqua qualitate, sicut dictum est de aere & igne, unde ex aere fit ignis sicco ignis dominante humido aeris, & econuerso ex igne aer, humido aeris dominante sicco ignis, & pari modo ex aqua terra & econuerso, & ex terra ignis & econuerso,

31 *Symbolum remanet in transmutatione idem specie, non autem idem numero.* Vbi s.

Variatur enim forma in trãsmutatione, & remanet materia prima. Si igitur remaneret qualitas eadem numero, forma substantialis, quæ aduenit non esset primo informans materiam, & ideo non esset generatio simpliciter, eadem ergo specie remanet, non eadem numero.

32 *Ad hoc, quod terra fiat ignis, non oportet fieri transitum per media elementa.* Vbi s.

Remota enim sola frigiditate a terra, conueniet cum igne in siccitate, & sic statim erit ignis, si autem transiret per media, oporteret quod prius terra fieret aqua, quæ est magis contraria igni. Et sic difficilius conuerteretur in ignem; quàm prius quando erat terra: quia in symbolis

 facilior

facilior est transitus. quàm in aliis, ut dictum est.

T. c. 22. *Quatuor elementis quatuor loca attribuuntur.* 33

T. c. 16. Cum enim sint quatuor primę qualitates, & contraria combinari non possint, & ex quatuor qualitatibus sex fiant combinationes, duabus, quæ sunt impossibiles, reiectis, remanent quatuor, unumquodq; autem elementum habet unam combinationem, quatuor ergo sunt elementa, sed unumquodq; simplicium corporum habet proprium locum, ergo oportet esse quatuor loca. Videlicet simpliciter sursum: et simpliciter deorsum & duo media.

Vnumquodque elementum est magis unius qualitatis quàm alterum. 34

T. c. 23. Quia unumquodq; habet aliquam qualitatē, quæ conuenit ei primo: igni enim primo conuenit caliditas, aeri humiditas: aquę frigiditas: & terræ siccitas, certum est. n. quod igni primo cōuenit caliditas. Cū igitur aer sit calidus, et humidus; necesse est, quod ei conueniat, non caliditas primo: sed principaliter humiditas. Aquę autem cum non conueniat primo humiditas, quæ primo conuenit aeri, ei conueniet primo frigiditas: terræ autem conuenit primo siccitas, non autem frigiditas: quia hæc primo conuenit aquæ secundum suam naturam elementalem: quamuis magis elongatur cœlo terra, patet igitur quod unumquodq; est magis unius qualitatis quàm alterum.

Formæ

35 *Formæ elementorum nō suscipiant magis & minus.* *S.t.supra t.c. 64. primi de ge.*

Si enim susciperent magis & minus: tunc generatio elementorum & corruptio esset motus: quia fierent per intensionem & remissionem formarum, preterea essentię sunt sicut numeri. Quocunq; enim addito uel diminuto fit uariatio speciei, & ideo forma substantialis non potest suscipere magis & minus.

36 *Principia generabilium & corruptibilium omnium sunt eadem.* *2. de ge. t.t.51.*

Diuersimodè tamē, nam principia extrinseca quæ sunt mouentia sunt eadem: siue sint prima: quæ sunt substantiæ separatæ, siue proxima, quæ sunt corpora cœlestia: intrinseca uero sunt eadem analogia, nam ipsa sunt materia & forma, quæ non sunt eadem numero in omnibus: sed tantum proportione: & idem possumus dicere de fine proximo, remotus autem est unus numero, scilicet perfectio uniuersi: seu bonitas diuina repræsentata in uniuerso.

37 *Causa efficiens generationis et corruptionis est cælū.* *2. de ge. t.c. 56.*

Est enim primum mobile, in quo est primus motus, qui est causa omnis motus, & se habet ad ista inferiora, sicut perfectum ad imperfectū, perfectum autem est imperfectorum causa, ergo.

38 *Causa continuationis generationis & corruptionis est primum mobile.* *Vbi s.*

Cum enim uniformiter moueatur est etiam

causa continuationis & uniformitatis. Causa autem diuersitatis, quæ est in generatione & corruptione est circulus obliquus & elongatio & appropinquatio solis, unde in hyeme, quando elongatur sol, uidentur omnia corrumpi. Nota etiam quod materia cum cœlo est causa quod generatio & corruptio non deficiat, quia est una : & nunquam deficit : & generatio unius est corruptio alterius, quia materia nunquam est sine forma.

1. de ge. t.c.17.

Omnia temporalia mensurantur circulatione cœli. 39

2. de ge. t.c. 57.

Primum enim in unoquoque genere est mensura aliorum, & ideo omnia inferiora corpora uitam habent, & numerum & mensuram ex cœli reuolutione. In cœlo enim est periodus uniuscuiusque rei, quia in cœli circulatione est consonantia & mensura dierum, inferiorum corporum, liberum autem arbitrium et intellectus hominis sunt supra temporalia, unde non subdūtur circulationi cœli, q̄uis mouendo humanum corpus multū possit inclinare uoluntatem indirecte.

5.t. 12. q. 5.3. cō.84. 85. T. c. 59.

Motus cœli est propter conseruationem specierum inferiorum corporum. 40

Non enim possunt conseruari nisi per generationem cuius est causa motus cœli, maxime autem est propter hominem & animam intellectiuam, quæ est nobilissima formarum: unde est finis omnium rerum naturalium.

Eorum, quæ generantur, quædam generantur de necessitate, quædam contingenter. 41

a.t.c. 63. usq; 69

Sicut

Sicut enim est in diuisione entis, quod quæda sunt contingentia esse & non esse, quædam uero ex necessitate sunt, ita est in generatiõe, quia quędam necessario, quædam contingenter generantur. necessario quidem dicuntur generari quæ habent causam determinatam naturalem, ut si terra madescit, necesse est eam uaporare, & ex uapore generari nubem, & ex nube pluuiam, & ex pluuia terram madefieri. Et sic iterum illam uaporare, & sic continue, unde propter hoc generatio rerum est continua, scilicet propter circulum in ijs, quæ generantur, contingenter autem generantur & fiunt, quæ non habent causam determinatam, & quod dictum est de causa determinata intelligitur quando termini generationis ita se habent, quod uterque est tota materia alterius, secus, quãdo non est ita, ut patet in domo, nam fundamento facto, non oportet fieri domum, in exemplis autem dictis est ita: ut patet. ideo ibi necessario fit generatio. Et hæc de generatione & corruptione dicta sufficiant.

Explicit liber septimus de generatione & corruptione.

Postilla in librum septimum.

POstquam auctor determinauit de his quæ mouentur secundum situm: hic agit de his quæ mouentur secundum alios motus & presertim secundum generationem & corruptionem. Est enim motus localis primus motuum & causa aliorum. Deinde sequitur generatio & corruptio, postremo uero sunt alteratio & augmentatio, unde primo agit de ipsa generatione & corruptione in communi: secundo de mixtione quæ fit per generationem & corruptionem corporum simplicium. Tertio de generatione et corruptiõe ipsorum simplicium. Quarto de principijs & causis generationis & corruptionis. Quo ad primum primo declarat naturam generationis & corruptionis, diffiniendo eas in prima conclusione, declarando naturalitatem earum in secunda: quo ad generationem, & tertia & quarta: quo ad corruptionem, & diuidendo illas in quinta: per hæc enim declaratur natura earum. Secundo uolens ostendere differentias illarum ad alterationem & augmentationem, præmittit quale sit subiectum generationis & corruptionis in sexta: & modum transmutandi in ipsis in septima. Deinde ponit differentiam ipsam, ab alteratione quidem in octaua: subiungens in nona connexionem earum cum illa, ab augmentatione uero in decima. Tertio ponit differentiam inter alterationem & augmentationem in undecima. Subiungens quædam circa

circa augmentum, scilicet quot requirantur ad ipsum in duodecima quomodo se habet tam forma quàm materia eius quod augetur in tertiadecima: & quę sit causa agens tam augmenti quàm decrementi in quartadecima. Quartò agit de materia generationis & corruptionis, quo ad unitatem quidem in quintadecima, quo ad separationem à magnitudine in sextadecima, & quo ad contrarietatem cui subijcitur indecimaseptima. Hæc tria docet de materia illarum. Quo ad secundum principale, scilicet mixtionem docet multa. primò quia non potest fieri sine tactu miscibiliū, & sine actione & passione eorū adinuicem, præmittit quid sit tactus, seu quæ requirantur ad tactum: in decimaoctaua: & quomodo se habent agens & patiens in decimanona. Secundò quomodo miscibilia manent in mixto in uigesima: ex quo deducit in uigesimaprima quale sit mixtum quod generatur per comparationem ad miscibilia. Tertiò declarat quæ sint bene miscibilia & quæ malè in uigesimasecunda. Quartò ostendit quomodo formæ & qualitates elementorum sunt in mixto, quo ad formas quidem in uigesimatertia & uigesimaquinta: ostendens non esse in eo actu, sed uirtute. quo ad qualitates autem in uigesimaquarta, quam interponit, quia deseruit ad uigesimamquintam. Demum ostēdit omnia elementa concurrere ad mixtionem in uigesimasexta. Quò ad tertium principale, scilicet generationem & corruptionem elementorum, de quibus hic agit, quia prius reperitur in illis & per illa in alijs, primò ostendit unitatem materiæ sub-

iectæ in uigesimaseptima. Est enim hoc primum requisitum, & causa quòd generentur, & corrumpantur adinuicem. Secundò ordinē & numerum qualitatū quibus subijcitur talis materiæ & quibus elementa, agunt & patiuntur adinuicem in uigesimaoctaua. nam hoc secundò requiritur ad ad eorum generationem & corruptionē. Tertiò manifestat quomodo generantur & corrumpuntur ex inuicem, quo ad omnia quidem in uigesimanona: quo ad symbola uero in trigesima et trigesimaprima. Quartò declarat ordinem generationis ipsorū in trigesimasecunda. & quia omnia quæ generantur, generantur in aliquo loco, ostendit in trigesimatertia numerum locorum elementorum, iuxta numerum eorum. Quia uero generantur ex inuicem uirtute qualitatum & formarum suarum, ostendit demum, & quomodo se habent ad qualitates cōtrarias in trigesimaquarta, & quales sint earum formæ in trigesimaquinta: ostendēs esse substantiales, & indiuisibiles. Quo ad quartum principale, scilicet principia & causas generationis & corruptionis, primò ostendit eorum identitatem respectu omnium generabilium & corruptibilium in trigesimasexta. Secundò manifestat specialiter causam agentem, tam ipsius generationis & corruptionis in trigesimaseptima, quàm continuationis earū in trigesimaocta. Tertiò ex his deducit tria, primū est quæ sit mensura omnium temporalium in trigesimanona. Secundum quis finis motus cœli in quadragesima. Tertium diuersitas eorum quæ generantur in communi in quadragesimaprima.

Incipit

INCIPIT LIBER OCTAVVS QVI EST DE IIS, QVAE GENERANTVR INALTO, ET EX EVAPORATIONE AQVAE ET TERRAE.

1 *Corpus cæleste est causa efficiens eorum, quæ generantur in alto.* 1. meteo.c.2.

Est enim causa omnis motus & omnis generationis, ideo prima causa est primū mouens omnino immobile. secūda uerò illud, quod mouel cœlum immediate. Tertia uerò ipsum cœlum.

2 *Euaporatio aquæ & terræ est causa materialis proxima eorum. Aqua uero & terra est causa materialis remota.* Vbi su.

Aqua enim cum sit liquida, est facile uaporabilis, & cum permiscetur terræ fit per actionem superiorum corporū euaporatio à terra, & eleuatur in altū. Et sic ex ea generantur multa. Igitur euaporatio est causa proxima materialis. Terra uerò & aqua, causa remota.

Ignis & aer sunt loca generationis eorum. 1.meteo.c.3.

3 Cum enim ista corpora sint sursum, & in alto, quia habent motum à medio: patet quod in eis istorum generationes recipiūtur, maximè autem in aere: et quia de huiusmodi nō habemus demonstrationes, nec certas rationes, procedā per modū quæstionum interrogando & respondendo.

Propter

Propter quid apparet in cælo galaxia, seu uia lactea.

1.met.c.8. Quia in illa parte sunt multæ stellæ paruæ, inter quas sunt quædam magnæ diffundentes lumen in spatio illo, unde radius Solis incidens in illis est quasi continuus: & quia illa pars orbis est spissior retinet lumen & repræsentat, & terminat uisum, & est galaxia in orbe stellarum fixarum, quod ex hoc patet, quia motu illius orbis mouentur uidelicet in centum annis uno gradu, potest autem uideri illud lumen de nocte, quia nihil est, quod impediat uisum. Nō enim ignis in sua sphæra lucet, aliter nec uideremus alias stellas: itaq; galaxia nō est combustio orbis, nec color albus, ut quidam dixerunt, quia istæ peregrinæ impressiones non sunt in cœlo. 4

1.met.c.6.7. *Propter quid fiunt cometæ, & indicant mala.* 5

Fiunt propter hoc, quia uapor terrestris crassus qui non cito euaporat, nec dissipatur cito, cuius partes multum sibi cohærent, paulatim ascendit ab inferiori parte æstus ad superiorem partem eiusdem, ubi contingit cōcauitatem ignis, à quo diffunditur & inflammatur, & in medio remanet spissus, & nutritur ex partibus continue ascendentibus terrestribus ignitis, unde in medio albefit & inspissatur. Ad latera autem est tenuis & habet flammam ad modum nubis albæ, quæ uocatur coma, quæ aliquando est super cometem, propter leuitatem, aliquando à latere, aliquando infra, aliquando autem circumstat, aliquado ab utroq; latere, & durat per totum tempus, quo ad ipsum euaporant terrestres crassi humores, & re-

uoluitur

uoluitur cum cœlo, eo quod partes ignis continuè sunt cum concauitatibus cœli, & reuoluitur propter cõsortium, quod habet cum eo, & simul etiã cometes cũ illo, & quia talis impressio procedit à cõplexione Martis, ideo significat mortem uiolentã, & inclinationẽ ad bella per iras & calorem & siccitatem, ad quas inclinat Mars: ex quibus procedit animositas & concitatio populorum, & mortem regentiũ turbas, licet hoc magis magnatibus attribuatur propter famã, et hoc magis in eis obseruetur. Nõ est igitur causa sed signum. non tamen signum proximũ in regibus.

6 *Propter quid apparent in cælo aliquando ignes sub diuersis figuris.* *1.met.c.4.*

Quia per calorem solis terram inflammantis eleuantur uapores calidi, & sicci ad partem superiorem aëris, quę dicitur æstus, & ibi inflammantur, & quando non sunt æqualiter crassi, subtiliores eleuantur super crassos, & fit quasi columna. Si autem sint æqualiter subtiles, calidiores plus eleuantur, & fit quasi lancea, & fiunt etiam aliæ figuræ propter has, & similes, uel alias causas, & ab illis figuris nomina sumuntur, puta candelæ, trabis, clypei, globi, facis, pyramidis, iaculi, & huiusmodi, & apparẽt tempore sereno de nocte, & aliquando de die, & omnes sub globo lunæ fiunt: cuius signũ, quia citò moueri percipiuntur, & prӕter gredi solem, lunam, & astra, hoc autem est, quia prope sunt.

7 *Propter quid quidam ignes sub æstu generati in aere descendunt inferius, cum ignis sit ascendere.* *Vbi su.*

Quia

Quia aliquando uapori calido, ſicco & craſſo aſcendenti obuiat frigiditas aeris ex aliqua nube, quæ eſt in regione aeris frigida, à cuius circunſtante frigiditate expellitur caliditas uaporis, & ſic partes eius ignitæ mouentur & inflammantur agitatæ per motum. Et quia non poteſt ſurſum aſcendere uapor propter frigiditatem nubis, expellitur ab illa frigiditate deorſum. Et ſic uidetur ignis quaſi ex nube uel aere deſcendens, & dicitur à ſub deſcendens. Et fit tam in die quàm in nocte: & aliquãdo habet figuram globi, aliquando draconis tortuoſi. aliquando uero ſicut ſcintillæ ignitæ, & aliquando paruæ quantitatis, aliquando autem magnæ, & ſignificant iras in hominibus & peſtilentias ex ueneno aereo, quia ſcintillationes huiuſmodi inficiunt aerem, cum ſit uapor frigidus combuſtus.

1.meteo.c.5. *Propter quid diuerſi colores appareant in ſublimi per noctem.* 8

Quia cauſantur in tenebris à frigore noctis & lumine ſtellarum uel lunæ ex aere inſpiſſato, & ad humiditatem quandam conuerſo cum uaporibus eleuatis à ſole, & ſecundum quod iſta diuerſimode ſe habent adinuicem, ita diuerſos cauſant in nocte colores.

1.meteo.c.9. *Propter quid pluit.* 9

Quia à ſole & aſtris eleuantur uapores calidi & humidi ab aqueis locis, qui ſunt quaſi alitus aquæ, qui diu in aere ſuſpenſi, & ob medię regionis contactũ infrigidati denſantur, atq; iterum per ſtillas deorſum erũpũt, & ſic fit pluuia, quę ſi minori-

minoribus stillis crebra descendit, dicitur imber, si maioribus dicitur pluuia. si impetuosis subito & crassioribus totis simul dicitur labrotera, id est impetuosa.

10 *Propter quid ros cadit de nocte.* 1.meteo.c.10.

Quia est uapor humidus & frigidus subtilior inter humidos uapores, qui tempore maioris caloris eleuatur de die per appropinquationem solis ascendens inter locum aeris, qui dicitur æstus, & regionem mediam frigidam si non inuenerit uaporem se impedientem, qui quidem locus est temperate calidus & humidus, & ideo recedente sole, à quo eleuatur, propter frigus noctis cadit, & est signum serenitatis.

11 *Propter quid nebulæ significant serenum.* 1.meteo.c.11.

Quia nebulæ sunt reliquiæ nubium & roris, & partes subtiliores uaporis roridi & pluuiosi, quæ propter frigus noctis ueniunt ad partes inferiores aeris & ideo ascendēte sole propter eorum subtilitatem rarificantur, & in aere uertuntur, & sic remanet aer purificatus, ideo sunt signũ sereni.

12 *Propter quid nubes, seu caligo est signũ sereni, quandoque uero signum pluuiæ.* 1.meteo.c.10.

Quia est admixtio quædam subtilis & crassi uaporis ad terram depressi à frigore noctis uel aeris uel loci. Et ideo quando resoluitur crassum, & descendit per guttas, remanet subtile, quod citò à sole dissipatur, & fit aer serenus, quando autem ascendit crassum cum subtili non

facta

facta prius resolutione generat nubem & causat pluuiam. Itaque quãdo descendit, significat serenum, quando uerò ascendit, eluuiam. Differunt autem nubes & caligo, nubes enim est ille uapor crassior, quæ tandem soluitur in aquam. Caligo uerò quasi suspensa nebula est, quæ dispergitur, et dispersa uanescit, unde caligo est magis serenitatis signum, nubes uerò pluuiæ.

1.meteo.c.10. *Propter quid pruina fortius congelatur in materia terrestri, quàm in alia.* 13

Quia pruina est uapor paucus & subtilis, qui ex aqua eleuatur & aggregatur ex uehementi frigore, atq; inspissatur, quod quidem obuiat ei die ac nocte, unde non potest ascendere ad locum roris, sed ascendit usque ad mediam regionem aeris & quia frigus fortius adhæret materiæ terrestri, q̃ alteri materiæ, ideo uapor pruinæ tangens talem materiam citius & fortius congelatur q̃ si tangeret aliam, iccirco in hyeme circa extremitates lapidum, uel lignorum congelatur nubes, sicut etiam uidemus quòd lapides & dura metalla in uere humescunt, quia frigus in eis causatum egreditur per resolutionem, et inueniens aerem humidis uaporibus plenum inspissando resoluit in aquam. Differunt autem & conueniunt ros & pruina. Differũt quidem dupliciter, primò, quia cum fit ros, uapor ille non gelatur quod facta pruina contigit, secundò quia ros temperiem requirit, non autem pruina, sed frigoris lapsum, unde ros fit flante austro, pruina uerò flante borea: nisi in ponto, ubi se habent contrario modo, conueniunt

niunt autem primo,quia ambo fiunt tempore ſereno & tranquillo,ſecundó, quia neutrum fit in altis montibus,quia uapor,ex quo gignũtur denſius eſt,& parum caloris habens unde poſſit in præruptorum uertice montium eleuari,ſed prope terram dimittitur. Montium etiam uertices uento agitantur propter quod non poteſt ibi uapor ille conſiſtere.

14 *Propter quid fit nix in hyeme.* *1. meteo. c. 11.*

Quia nube calida aſcendente ad mediã regionem aeris frigidam frigus loci ubiq; ſparſum in aere expellit calidum nubis,non ſubito, ſed taliter quod nõ poteſt habere tempus,ut in pluuiam uertatur,ſed congelatur,& induratur & cadit,unde ſignum niuis futuræ eſt quando nubes aerem turbat clara turbatione & maxime quando ſentitur aer calefieri aliquantulum poſt uiſionem talis nubis in hyeme. Et quia huic uapori multum miſcetur de terreſtri aquæ niuis frequenter ſordidant & fœcundant terras,eo quod calidum paulatim egrediendo temperat in eis frigiditatem. Conueniunt autem pluuia,ros,pruina et nix. Nã fiunt omnia hęc ob infrigidationem,& pluuia et ros ſunt idem,& ſimiliter pruina et nix ſunt idem niſi quod paucitate & multitudine differũt, nam aqua multo uapore,multis locis,& multo tempore collecto generatur, ros autem ex pauco, & pruina ex gelato uapore, nix uero ex gelata nube fit.

n propter

1.mete.c.3. *Propter quid nubes generantur in media regione aëris.* 15

Quia illa pars est frigidior q̃ sint eius extrema. Nam superior pars propter ignem propinquum est calida & inferior propter reflexionem radiorum solis & excitationem euaporationis aquæ & terræ. Calor autem ignis, & reflexio radiorum non potest totaliter ad medium peruenire, unde illa pars media remanet frigida, quæ dicitur media per abnegationem extremorum. Non quod sit ęqualiter distans ab extremis, plus enim distat a superiori, uapores igitur ascendunt propter uirtutem solis & radiorũ solis & stellarum & congregantur in illa parte, & propter frigus plicantur, inuoluuntur & inspissantur, & fit aqua ex frigiditate. Sed si ulterius uapores ascenderent, disgregarentur & consumerentur ab igne, & conuerterentur in aërem siccum, & æstuosum. Dicitur autem quod uapores non longe tribus miliaribus, uel paulo minus a terra eleuãtur.

1.mete.c.11. *Propter quid pluuiæ descendunt cum maiori impetu in æstate quàm in hyeme.* 16

Quia frigidum nubis inspissatæ in media regione aëris expellitur a circunstante calido in toto aere diffuso quod comprimit nubem & facit aquas pluuiæ cum impetu descendere in æstate propter maius calidum.

Alb.primo meteo tra.1.c.21. *Propter quid quædam animalia cadunt cum pluuia.* 17

Quia cum calidum, quod est in nube incipit euapora-

euaporare, secum trahit subtile humidum, quod etiam in se habet aliquid de subtili terreo bene cõmixto & fit quoddam compositum uiscosum, quod cum reducitur ad aerem incipit durescere et uertere se in pellem quandam in quam continue pulsans calidum efficit spiritum, cui additur anima sensibilis uirtute stellarum, & sic fit animal & cadit.

18 *Propter quid rubor de mane est signum pluuiæ de sero autem est signum serenitatis.* *Alb. 3. meteo. tra. 1. c. 25.*

Quia rubor de mane est signum quod sol trahit secum uapores ex hemisphærio inferiori eleuatos ad superius & eleuat eos suo calore ad locum altum aeris, ubi fit generatio pluuiarum. Rubor autem de sero est signum quod sol trahit secum uapores ab hemisphærio superiori ad inferius, & ita relinquit aerem in isto hemisphærio purificatum.

19 *Propter quid grando frequenter fit in uere.* *1. mete. c. 12.*

Quia grando fit in latitudine, quę est in medio regionis mediæ aeris, quæ est frigidissima ex nube calidissima, quæ est ex uapore calidissimo, ex quo sequitur quod bene recipiat frigiditatem, quia calor præbet eam disgregando undique apertam frigori ad ingrediendum, cum sit raræ substantiæ, cum igitur tempore caliditatis calor undique in aere sit expansus, totum frigus ab aere expellitur ad unum locum, & ibi uehementer multiplicatur, & sic in nubem

ingreditur totũ & congregat aquam eius in grandinem, quia autem cum impetu hæc frigiditas, in nubem ingreditur, ideo fortiter inspissat & congelat partes eius, eas uidelicet quas tangit excellens frigiditas, eas autem, quas non tangit excellens frigiditas, non congelat, sed congelat in pluuiam, ideo cum grandine pluuia descendit. Et quia in uere inuenitur in aere frigiditas derelicta ab hyeme, quæ calore huius temporis superueniente expellitur, ideo in uere frequenter fit grãdo, in æstate enim & autumno non inuenitur frigiditas, in hyeme autem inuenitur, sed non adest calor expellens.

1.mete.c.1. *Propter quid parua est, & rotunda grando.* 20

Quia de altiori loco procedit, nam descendendo de longinquo reuoluitur & rotundatur, ideo est parua & rotunda, quandoq; tamen congelatur prope terram, & tunc est maior & figuræ nõ rotundæ, sed potius latæ.

Propter quid grando reddit inutilia quæ tangit. 21

Propter frigus quod est qualitas mortificatiua, nam extinguit calidum naturale in fructibus & plantis, & liquefacta in terram, reddit ipsam sterilem.

1.mete.c.12. *Propter quid tempore calido quandoq; cadunt guttæ crassæ & raræ.* 22

Quia ingreditur frigus in nube aquosa calida sicut dictum est in generatione grandinis, excæpto quod nubes eius habet plus de aere, nec fit frigiditas

giditas expulsa ad unum locnm, sed frigiditate communi, quæ abundat in media regione aeris, nec ita fugatur frigus, sicut in grandine, unde suscipit tantum de frigore quantum sufficit ad conuersionem nubis in aquam, non ad congelationem, & ideo guttæ illæ tactu sunt calidæ.

23 *Propter quid tempore calido fiunt istæ magnæ congelationes.* *Vbi su.*

Quia frigiditas tempore calido expellitur ad locum unum, & uirtus unita fortior est seipsa dispersa, & maxime quia aqua plus calefacta citius & fortius congelatur quam non calefacta, eo quod frigidum uehementius operatur contra calidum, & calidum rarefacit eam, & reddit ipsam patulam ad suscipiendum frigus.

24 *Propter quid fiunt flumina in terra.* *1.mete.c. 13.*

Quia propter uapores eleuatos in aere conuersos in aquam cadentem in terra, & facientem cursum fluminis, seu etiam propter aerem in terra conclusum & conuersum in aquam, & propter mare oceanum, a quo egrediuntur aquæ multæ in uisceribus terræ, hoc enim est cōmune principium omnium aquarum, & ab eo egrediuntur aquæ omnes, quæ nunquam deficiunt, licet ex pluuijs possint additionem recipere.

25 *Propter quid aquæ fontium eleuantur a terra.* *Alb. 2. met. tra. 2. c. 12.*

Quia uapor multus sub terra congregatur ex continua actione solis & stellarum, humido resoluto, & frequenter sub terra inclusus exalare

non ualens resoluit terram humorosam, & facit specus in ipsa, & aliquando eleuat eam & facit collem, & aliquando quærens maiorem locum scindit eam, uapor igitur sub terra contentus, & in se reflexus ad solidum concaui superius calefacit, & suo calore de subtus aquas, quæ sunt in uisceribus terræ trahit, & sic egrediuntur aquæ quandoq; bullientes propter calorem receptum ab illo uapore calido, quandoq; frigidę propter frigiditatem superioris partis terrę sub qua decurrunt, anteq; erumpant.

1.mete.c.12. *Propter quid in æstate egrediuntur aquæ frigidæ & in hyeme calidæ.* 26

Quia interior superficies terræ, quæ est ualde calida expellit frigus ad crustam terræ, & iō in æstate aquæ ascendentes per frigus expulsum ad crustam frigescunt, in hyeme autem calor, qui est in extrema superficie terræ diffusus, a quo plantę nutriuntur & conualescunt, comprimitur per gelu terræ, & sic clausis poris conuertitur in aquas, & facit eas tepidas, unde quanto est maius gelu, tanto magis putei fumant, & cum gelu remittitur, non fumant, sed aqua infrigidatur.

1.mete.c. 14. *Propterquid flumina & partes terræ mutant loca, et quæ prius fuerunt arentia, nunc sunt aquis cooperta & quæ prius aqua cooperuit nunc sunt arida, & ubi nunc mare prius fuerit terra, & ubi nunc terra prius fuerit mare.* 27

Rationem huius assignamus, quia hęc omnia

seruant

ſeruant ſeriem naturæ, & finiuntur ſuo periodo, ſicut enim plantæ & animalia habent a cęlo ſtatum, & rationem ſuæ durationis, ita ex eadem cauſa partes terræ accipiunt differenter uirtutem, unde quandoque incipiunt humida fieri, & ad tempus manent, aquoſa deinde exſiccantur, & quodammodo ſeneſcunt, & ſimili modo fit maris & fluminum permutatio, & huius rei plurima poſſemus adducere argumenta, maxime de Nilo fluuio, qui quandoq; inūdat ſuper AEgyptum, quandoq; non. Quod autem lateat nos hęc rerum permutatio contingit propter breuitatem uitæ noſtræ, & mutationes, quas faciunt homines de una regione in aliam.

28 *Propter quid fiunt diluuia.* *1.mete.c.14*

Ratio eſt, quia ſicut anni quatuor determinata ſunt tempora, ſcilicet uer, ęſtas, autumnus, & hyems, quę finem & periodum ſuum ſeruato ordine retinent, ſic circa partes terræ & loca conſimilis naturæ lex obſeruatur, & cum deducta fuerint ad hyemem ſuam, multiplicantur aquæ, & ita fiunt diluuia et magnæ inundationes aquarum, et omnium horum cauſa eſt uirtus coeli et ſtellarum.

29 *Propter quid aliqua flumina uideantur perpetua, & aliqua non.* *1.mete.c.18.*

Huius rei cauſa eſt locorum ubi aquæ generantur et conſeruantur, diuerſitas, nam loca alta ſpiſſa et frigida multam continent aquam, multam ſuſcipiunt, et multam ſua frigiditate gignūt,

& ideo in huiusmodi locis perdurant flumina. Loca uero, quibus paruæ montium moles suspensæ sunt sonoræ saxeæ & huiusmodi, inepta sunt ut in ipsis perdurent fluxus aquarum. Nullum tamen fluuium diximus perpetuum, sed omnes sic seruare periodos, ut supra dictum est de permutatione eorum.

2. mete. c. 2. *Propter quid aquæ fluminũ & fontium sunt dulces.* 30

Quia dulcedo aquarum est ex eo quod à calore solis eleuatur subtile aquæ, & dirigitur & immiscetur ei multum de aereo & sic quasi pinguescit ad naturam aquæ & efficitur aqua illa dulcis est etiam ex eo quod colatio earum est per poros terræ, in quibus separatur ab eis terrestre combustum: & ex eo ꝙ eleuantur a calore sub terra concluso ad hostia fontium, & sic separatur ab eis subtile, & eleuatur & fit aqua dulcis, aquæ igitur dulces sunt aquæ fluminum & fontium, quæ dulcorantur uel ex principio suæ generationis, uel ex terra per quam transeunt, uel ex pluuijs. Aquæ enim pluuiosæ sunt dulciores cæteris, ut potest ex dictis patere. Verum aliquando quædam flumina habent aquas salsas ex terra, per quam transeunt, a qua sic alterãtur, quia eis commiscetur, unde quando in commistione aquam uincit terra, generatur quidam lapis: qui dicitur gypsus, qui induratur fortiter propter suam siccitatem, & adustionem, & lucet ex commistione terrestri cum aqua.

2. mete. c. 2. *Propter quid omnes aquæ currunt ad oceanum & ab eo recurrunt.* 31

Quia

Quia eſt locus proprius & principium earum, ideo propter hoc nec creſcit nec decreſcit. locus enim proprius alicuius corporis nec excedit locatum nec exceditur à locato. Item quantum ingreditur aquæ in mari ex una parte, tantum exit ab alia, uel per flumina, uel per eleuationem uaporum, ideo non poteſt creſcere & decreſcere.

32 *Propter quid fontes & flumina habent diuerſos colores & naturas.* 2.mete.c.3.

Ratio huius eſt mixtio terræ, per quam tranſeunt. Ex hoc enim prouenit quod aliqui ſunt fontes calidi, aliqui frigidi, aliqui acetoſi, aliqui ſalſi, & aliorum ſaporum, & propter eandem cauſam habent diuerſas proprietates ſecundum diuerſitatem terrarum & locorum, in quibus generantur.

33 *Propter quid mare eſt perpetuum & nunquam deficit.* 2.mete.c.3.

Quia eſt una de principalibus partibus mundi, cum ſit unum elementum, & ideo ſemper fuit & erit quamdiu fuit & erit mundus, licet enim ſit corruptibile & generabile ſecundum partes, non tamen ſecundum totum ſicut & alia elementa. non enim incœpit per generationem, ſed per emanationem à primo principio, licet etiam continuè exſiccetur per actionem ſolis, tamen quod eleuatur in uapores, reſolutum in aquam cedit ad ipſum, & quantum per calorem conſumitur in parte auſtrali, tantum per frigiditatem generatur in parte aquilonari, ideo non poteſt deficere.

2.mete.c.4. *Propter quid mare est salsum.* 34

Quia ab eo eleuatur humor aqueus per influxus cœlestes, & in eo remanet uapor terreus diffusus per aquas ex quarum frigiditate expellitur ad ipsum caliditas, quæ urit partes eius, & sic conuertuntur in salsedinem, & salsant aquam. Non enim mare habet eandem originẽ, quam habent flumina & fontes, & aliquando propter nimiam adustionem fit uapor, quasi cinis, & tunc sapor est amarissimus.

2.mete.c.4. *Propter quid fiunt uenti.* 35

Quia sicut ex motu solis & astrorum in circulis suis eleuantur uapores humidi & aquei, ex quibus fiunt nubes, ut supra dictum est, quę tandem in aquam resoluuntur sic etiam eleuantur uapores terrestres & sicci, & quia sunt magis subtiles quàm humidi altius eleuantur, & ex his generantur uenti, qui sunt uapores frigidi & sicci. infrigidantur enim à frigiditate aeris circunstantis, & licet etiam uapores ex quibus generantur ignes, de quibus supra dictũ est, sint sicci, & terrestres, tamen differunt ab his quia hi sunt magis continui, & minus subtiles, nec ascendunt usque ad superiorem partem aeris calidam, ad quam ascendunt illi, qui sunt subtiliores, & minus humidi, minusq; continui: unde incenduntur ibi, hi uero, ut dictum est infrigidantur. Ex quo patet, quod uentus non idem est in substantia cum aere & nube, ut quidam putabant dicentes aerem esse in quiete, uentum cum agitatur, nubem uero cum densatur. materia enim nubis est uapor calidus,

& humidus, qui est aqua in potentia, materia autem uenti est uapor calidus, & siccus, & nullum horum est aer, ut patet, hinc est quod multo uapore calido, & humido eleuato maior gignitur pluuia, & pauco, minor, & similiter multo uapore, sicco & calido eleuato fit uentus maior, & pauco minor. Propter quod quidam sunt anni pluuiosi, & quidam uentosi, & quædam pars anni pluuiosa, & quædam uentosa, & similiter quædam regio pluuiosa, & quædam uentosa, secundum quod magis uel minus in tempore, uel loco eleuatur de uapore humido uel sicco.

36 *Propter quid uenti non fiunt tempore multum calido, uel multum frigido.* *2. meteo. c. 5.*

Quia tempore calido sol calore suo nimio dissipat & resoluit materiam uentorum exiccans terram, priusque exalat, sicut si paruum combustibile in magnum ignem proijciatur, priusquam fumum emittat, comburitur, magnum autem frigus constringens poros terræ non finit eam exalare, causæ autem his contrariæ faciunt uentorum commotionem.

37 *Propter quid fiunt pauciores uenti ab oriente & occidente, quàm ab austro & septentrione.* *Vbi su.*

Quia cum sol directe tendat ab oriente in occidentem inter austrum & septentrionem & multos eleuat uapores, non potest illos ita disgregare in parte australi, & septentrionali cum sit remotus ab illis partibus, sicut potest in partibus occidentis, & orientis, quibus est propinquior

flant

flant autem maximè uenti ſeptentrionales poſt ſolſtitium æſtiuale, quia tunc liqueſiunt niues in illis partibus ex quibus generantur uapores uentorum, & de die fluũt, non autem de nocte communiter, quia nox gelat niues, quæ de die liqueſiunt à ſole, ideo nox præſtat impedimentum generationi uentorum, oppoſiti autem flant maximè poſt ſolſtitium hyemale, licet propter diſtantiam non ita citò ueniant ad nos, ſicut ſeptentrionales, qui ſunt nobis propinquiores, ſunt etiam minus continui debiliores, & interpolares, atq; interciſi, quia diſſoluuntur à ſole, ſub cuius latione, dum ad nos ueniunt, oportet eos tranſire, auſter uerò maxime flat poſt æquinoctium, & uenit à meridie.

2. mete. c. 6. *Propter quid uenti pugnant ad inuicem.* 38

Quia ſunt contrarij, & dicuntur contrarij, qui in cõtrarijs locis generantur, unde orientalis, qui dicitur ſubſolanus, eſt contrarius occidentali, qui dicitur fauonius, & ſimiliter ſeptentrionalis, qui dicitur boreas, cõtrariatur auſtrali, qui dicitur auſter, ſunt autem octo alij uenti inter ſe oppoſiti, duo inter orientalẽ, & ſeptentrionalem plagam, quorum unus magis ad orientem declinat, alius uerò magis ad ſeptentrionem. Et eodem modo duo inter orientalem & auſtralem, & ſimiliter inter auſtralẽ & occidẽtalẽ duo, & inter occidentalem & ſeptentrionalem duo. Et ſecundũ quòd ſunt magis & minus oppoſiti, magis uel minus pugnant ad inuicem. Vel ſtant ſimul: cõmuniter etiã uenti oppoſiti flant circa tempora oppoſita.

Propter

39 *Propter quid aliqui uēti sunt frigidi, et aliqui calidi.* *Alb. 2. met. tra. 1. c. 25.*

Ratio est quia licet omnes sint ex uapore frigido et sicco, tamen ex locis, in quibus generātur, & per quæ uadunt, contrahunt qualitatem alterius complexionis. Et propter hoc orientalis est calidus & siccus: occidentalis est frigidus & siccus: australis autem calidus & humidus, laterales autem habent qualitatem principalium remissas. Contingit etiam hoc secundum quod magis uel minus Sol calefacit & subtiliat illos uapores.

40 *Propter quid motus uentorum est tortuosus.* *2. mete. c. 12.*

Quia uentus est uapor frigidus, ut dictum est, & siccus, qui eleuatur à terra & aeris superiora transcendit, altius uidelicet quàm uapor fluuialis, & cum inspissatur frigiditate aeris fortiter expellit aerem: & cum à frigiditate loci repercutitur, & agitatur, & mouetur, impulsus descendit, aerem impellens oblique. Cum enim impellatur sursum à calore eleuante, & percutiatur à frigore inspissante, oportet quod cedat ad latus in circuitu terræ præsertim, quia per circuitum habet calorem undiq; expellentem à se frigus, quod etiam expellitur ab æstu superiore, & ideo agitatur, & in circuitu mouetur propter quod motus eius est tortuosus. unde patet, quod principium motus eius est sursum. nam exalatio à terra secundum rectum eleuatur, quæ sursum inueniens obstaculum ad latus cōuertitur, & sic in obliquum mouet, ut dictum est.

41 *Propter quid fit uentus turbinis inuoluens paleas.* *3. mete. trac. 1.*

Fit

Fit propter hoc quia aperiuntur nubes in opposito, & sic duo uenti currunt in medium, & impellunt se inuicem, & inuoluunt se & rotundantur, & descendunt, & trahunt paleas & puluerem sursum, & frequenter fiunt in æstate, quia tunc eleuantur nubes includentes in se uapores terrestres.

Propter quid fiunt terræ motus. 42

Quia uētus subtus terram generatus, qui est uapor crassus extractus de profundo terræ, non potens expirare propter terræ profunditatem, & soliditatem inuenit loca concaua subtus terram, & illic coarctatur aliquo similis generis uel diuersi ad ipsum ueniente, & ipsum cum comprimente. Et ita agitatur in intimis uisceribus terrę, & impingit locum corporis obstantis, & mouet eum, & hoc modo dicuntur terræ motus.

2.mete.c.9. *Propter quid fiunt fulgura & tonitrua, & coruscationes.* 43

Quia uapor siccus ascendit comprehensus in uapore humido, & quando uapor humidus peruenit ad locum frigidum, comprimitur, & in eo quasi in uentre, uapor siccus agitatur uehementer, & propter hoc inflammatur, & quærit exitum intus tumultuādo, & aliquando tangens latera nubis extinguitur, & facit sonum stridoris: aliquādo autem egreditur per diuersas partes nubis, quasi per foramina, & non cum magno impetu, & sic uel paruum uel nullum causat sonum: aliquando autem cum magno impetu scindit nubem

bem, et percutiens aerem circunſtantem cauſat ſonum terribilem, & coruſcat per inflãmationem. aliquando etiam non coruſcat, quia ſcilicet non eſt inflammatus. igitur uapor inflammatus deſcendens eſt fulgur ſeu fulmen, & quandoq; deſcendit uſq; ad terrã, & ſic nihil percutit ſed quandoq; percutit aerẽ qui poſtea inferiora percutit: & aliquando etiam uſq; ad terram deſcendit terribiliter percutiens, & inflammãs, & deſcendit ſimul cum aere: quia uapori immiſcetur aer, itaq; hoc modo fit fulgur, tonitruum & corruſcatio.

44 *Propter quid prius uidentur fulgura, ſeu corruſcatio quàm audiatur ſonus.*

Quia uiſus eſt ſpiritualior auditu & uiſibile ſpiritualiter ad organum uiſus uenit nulla alteratione naturali facta: ſed ad hoc quod ſonus ueniat ad auditũ requiritur motus localis aeris, qui defert ſonum ad organum. uiſibile igitur in inſtanti defertur ad uiſum. ſed audibile in tempore ad auditum.

45 *Propter quid fulgur comburit aliquando gladium et non uaginam.* 3.mete.c.1.

Quia aliquando eſt multum ſubtilis uapor accenſus, & ideo non manet in rebus poroſis, ſed tranſit. in rebus autem bene compactis, ſicut eſt ferrum, & aurum permanet & liquefacit. & inuenitur etiam quod aliq̃do comburit camiſiam hominis: & non hominem, quia eſt debilis uirtutis, & ſola ſicca adurit, et nõ poteſt humida tãgere, et ſimiliter alios innumerabiles effectus facit propter diuerſas cauſas.

Propter

3.mete.c.1 *Propter quid fit iris.* 46

Propter nubem habentem formam semiglobi, siue pyramidis, in qua sunt quatuor, scilicet nubes spissa, sub cuius concauo est roratio subtilis minutissimarum guttarum & in inferiori parte pyramidis roratio crassior. & cum omnibus his est aer humescens immixtus & spissus ex frigore. & hoc totum est quasi semiglobus. cuius basis est in terra. Sol igitur ex opposito irradiat pyramidem & diffundit radios per illa quatuor corpora, & sic radij profundantur & refringuntur ad extremitates pyramidis aquosæ. Radij igitur diffusi in inferiori roratione, quæ habet humidum aquosum causant colorem uiridem. & sic iste color est inferior, diffusi autem in superiori, quæ habet de fumoso terreo adusto causant colorem rubeum, qui est superior. In medio autem ubi est aer mixtus humefactus causat colorē medium inter album & uiride, in parte inferiori: & inter album & rubeum in parte superiori. Igitur hoc modo fit iris, & arcuatur quia fit in semiglobo, & sic ordinantur colores propter ordinem humorum & aeris. Et non fit unquam perfectus arcus. sed quasi semicirculus, uel media pars arcus, quia fit in semiglobo ex opposita solis irradiatione.

2.mete.c.2.3. *Propter quid fit halo seu corona aliquando circa lunam, solem & aliquas alias stellas.* 47

Quia per uirtutem corporis luminosi attrahitur quidam uapor humidus et calidus rarus ex calido, qui in medio est calidior quàm in extremis.

Et

Et quia radius, qui directe procedit a luminari est fortioris uirtutis: ideo percutiens diametraliter centrum uaporis irrumpit ipsum in medio: et sic uapor dilatatus circulariter circa radium illum apparet circulus albus per modum arxę dispositus circa luminaria, Et hoc maxime fit in autumno, quando non est calor nimius, neq; nimium frigus. Ille enim uapor est moderati caloris & frigoris, uerum non fit in uere, quia nubes adhuc sunt depressę ex hyeme relictæ, quæ moderato calore frangi non possunt, significat autem haloń quandoq; pluuiam, quandoq; serenitatem, quandoque uentum: pluuiam quando perdurat & densatur: serenitatem quando euanescens disparet uentū quando distrahitur et recedit ex una parte.

48 *Propter quid apparent aliquando circa solem lineæ diuersorum colorū & aliquando uidentur duo soles.* 8. meteo. c. ultimo.

Quia aliquādo nubes inspissantur circa solem quando est in declinatione: in qua non adurit: & diuersimode eius radios nubes recipiunt, & propter hoc in eis diuersæ lineę diuersorum colorum apparent, & quandoq; sequitur solem nubes rotunda & splendida, quæ solis exprimit uestigium. & hæc uocatur parhelion, & ideo tunc uidetur quasi alius sol et si accidat esse duas nubes cōsimiles in utroq; latere solis tunc apparent tres soles. s. unus uerus & duo per similitudinem. Hęc aūt sufficiant de ijs, quæ ex uaporibus generātur.

Explicit liber octauus, qui est de rebus ex uaporibus in alto generatis.

Postilla in librum octauum.

POstq; in præcedenti libro determinatum est de transmutationibus et passionibus elementorum in communi, in hoc agitur de illis in speciali, consyderatio enim specialis sequitur cõmunem & perficit illam. Præmissis autem quibusdam necessarijs ad propositum, primo determinat auctor de ijs quæ generantur in aëre, nomine aëris comprehendendo etiam ignem illi cõtiguum. Secundo de ijs quæ generantur in terra. Tertio de iis quæ generantur in nubibus: & quia hæc omnia generantur ex exhalatione terræ & aquæ, agit ultimo de iis quæ generantur sine tali exhalatione, ex reflexione radiorum solis & stellarum, licet concurrat exhalatio ex parte eorum in quibus fiunt. Ea autem quæ præmittit sunt tria scilicet causa agens eorum quæ generantur in dictis locis in conclusione prima, causa materialis, in 2. & locus eorum quæ generantur in alto in 3. Quo ad primum deinde dictorum primo agit de illis quæ generantur in alto ex materia sicca, quorum primum est Galaxia siue uia lactea, non quia secundum ueritatem generetur ex tali materia sed quia quidam sic putarunt, uel quia exhalatio sicca concurrit, adunata sub illa parte cœli in qua est galaxia quod etiam sentit Aristoteles, in primo meteo, secundum nouam translationem. De hoc igitur agit auctor in conclusione 4. quod est primum problema. Secundum eorum quæ ex tali materia generantur est

Cometes.de qua in 5. Tertium ignes sub diuersis figuris,de quibus in 6. quo ad generationem eorum,& quo ad motum in 7. Quartum est diuersitas colorum qui apparent in aere,de quibus in 8. Secundo agit de ijs quæ generantur ex materia humida quæ sunt multa, scilicet pluuia de qua in 9. Ros,de quo in 10. Nebula, de qua in 11. Caligo de qua in 12. Pruina, de qua in 13. Nix de qua in 14. Nubes:de qua in 15. Post hęc iterum de pluuia interserit quædam, scilicet motum eius: in 16. & quorundam animalium cum ea descendentium in 17. & signum eius in 18. Sequens postea de ijs quæ generantur ex eadem materia,agit de grandine quæ est aqua congelata,quo ad eius generationem in 19. quo ad formam in 20. & quo ad effectum eius in 21. deinde de quibusdam guttis crassis in 22. & demum de magnis congelationibus in 23. Quo ad secundum dictorum in principio,scilicet de ijs quę generantur in terra uel aqua,primo agit de ijs quæ generantur ex materia humida. propter similitudinem cum supradictis: de fluminum quidem generatione in 24. de generatione fontium in 25. de qualitate aquarum earum in 26. De mutatiõe fluminũ in 27. De diluuijs in 28. De duratione fluminum in 29. De dulcedine tam fluminũ quam fontiũ in 30. De motu eorundem in 31. & de coloribus ac naturis illorum in 32. Secundo agit de ijs quæ generantur ex materia sicca:& præmisso de perpetuitate & origine maris in 33. agit prius de eius salsedine quæ generatur ex uapore sicco in 30. quarto. Deinde agit de uentis qui & ipsi fiũt

ria humidi aquei, quod paſſum eſt a ſicco, & hoc eſt frigidum, humidi non tantum conſtri- ctiuum, ſicut in metallis, ſed etiam expreſſiuum, hoc enim uehementiſſime indurat & coagulat, & diriguntur iſta inſtrumenta a uirtute formatiua lapidum in eorum generatione, ſicut dirigitur calidum in ſemine animalis uirtute formatiua, quæ eſt in ipſo, cuius calidum eſt inſtrumentum.

3 *Omnium lapidum materia eſt terra & aqua.* *Vbi ſu. c. 2.*

Licet enim ad eorum generationem concurrant omnia elementa, ſicut ad generationem aliorum mixtorum, tamen in eis prædominatur & uincit terra, & aqua, & de terra quidem patet ex hoc quia omnes ferè lapides merguntur in aqua niſi ſint ſpongioſi & aduſti: & quia terra non poteſt coagulari niſi per humidum aqueum, iō & aqua abundat in eis. Eſt tamen differentia hæc quia in lapidibus non perſpicuis magis abundat terra, unde eorum propria materia eſt terra paſſa ab humido aqueo, & ei commixta. In perſpicuis autem ecõuerſo, unde eorum propria materia eſt humidum aqueum paſſum a ſicco terreſtri & ei commixtum, unde ſunt de natura aquæ, cuius ſignum quia ſunt uelut uitra per opus naturæ producta, uitra autem, quæ fiunt per artem, quæ imitatur naturam, fiunt ex huiuſmodi humiditate unde & aliqui lapides formam quaſi aquæ glaciei accœperunt. *3. mete. c. ul.*

Alb.ubi ſu c.6.

Lapides habent ſuas formas ſubſtantiales, quibus conſtituuntur in proprijs ſpeciebus. 4

Nam cũ omnes coagulati ſint, patet quòd materia eorum ad certã ſpeciẽ eſt determinata: ſi.n. eſſent diſpoſitiones elementorum tantum, ſecundum quod ſunt in tranſmutatione ad inuicem, uel ad alia, ſicut ſunt nubes, pluuiæ & nix, abſq; dubio non diu permanerent, ſicut nec iſta. Sed poſt modicum reſoluerentur in elementa, cuius contrarium accidit in lapidibus, præterea inuenimus multas uirtutes lapidum, quæ non ſunt alicuius elementi. ſicut fugare uenenum. pellere antraces & huiuſmodi, de quibus infra dicemus. Communis eſt autem ſapientum omnium ſententia, quod hæc uirtus conſequitur formam ſubſtantialem lapidis & ſpeciem huius uel illius, habent ergo lapides formas & ſpecies determinatas. Et quia hæ formæ ſunt innominatæ, ideo propriam diffinitionem lapidum non habemus, ſed circumloquimur eas, accipiendo accidentia, & ſigna loco diffinientium, hoc tamen ſcimus q ſunt de genere mixtorum ex quatuor elementis. & quia mixtum diuiditur in mixtum tantum, & mixtum complexionatum, ſcimus lapidem eſſe in genere mixtorum non compexionatorum. Et ſic ex omnibus dictis colligentes dicimus lapidem eſſe mixtum non complexionatum uirtute minerali coagulatum, unde eſt magis naturæ homogeneæ quàm animata.

Quædam

INCIPIT LIBER NONVS DE LAPIDIBVS, ET METALLIS QVAE GENERANTVR IN TERRA.

1 *Est difficile aliquid certi tradere de uirtute & loco generationis mineralium.*

Non enim est dubium aliquam esse uirtutem actiuam ad generandum & efficiendum lapides, sicut etiam sunt uirtutes ad cætera generanda, sed hæc uirtus multum latet, maxime quia ubique uidentur lapides generari, scilicet in aere, in nubibus, in aqua, in terra, in plurimis locis, & etiã in corporibus animalium, unde non habetur locus unus generationis eorum, sed ferè ubique generantur, est etiam in metallis difficile inuenire uirtutem, quæ dicitur mineralis à qua causantur, & ideo ars alchumistarum est incerta: quia hanc uirtutẽ nõ cognoscunt: habent .n. calidum ustiuum pro instrumento, quod incertissime operatur. *Alb. de mi. li. 1. tra. 1. c. 4. 5. 7. ubi su. c. 5.*

2 *Causa seu uirtus generatiua lapidum est uirtus mineralis formatiua lapidis.*

Virtus enim mineralis cõmuniter sumpta est efficiens lapides & metalla, & media inter hæc, ideo addimus formatiua lapidis, ut efficiatur lapidibus propria, quæ quia caret nominibus pro-

naturalem ad resistendum tangenti, molle uero impotentiam, non potest durities causari nisi ex sicco, quod in seipso stat, non cedēs ad ultimū, et mollities non nisi ex humido, quod nō stat in se: sed procedit. In quibus ergo dominatur siccitas, sunt duri: in quibus autē humiditas, sunt molles. Medio aūt modo se habētes in his: medio modo se habent in duritie, & mollitie. Tertio quidā lapides sunt dolabiles, quidā nō, & causa huius est nimia, uel modica durities: nā excellēter duri non sunt dolabiles: sed potius cōminuibiles in parua. Qui aūt non ultra temperamentū lapidis sunt indurati: sunt bene dolabiles & secabiles ad regulā. Quarto quidā sunt porosi adeo ut super aquā natent. Quidā uero bene compacti, quidā medij inter hos. Causa quidem porositatis est, quia humidum non totum cōmixtum fuit cum terrestri: sed in diuersis partibus eius stetit: compactio aūt est ab humido undiq; materiam lapidis penetrante propter quod quālibet eius partem fluere facit ad quamlibet partem. sic enim cōpactus fit lapis & magis cum humidū est aëreum q̃ cum est aqueū: quia aëreū est subtilius. Quinto quidā lapides inueniuntur habētes intus & extra effigies animaliū, cuius causam assignat Aui. eo quod quādoq; animalia secundū se tota, id est secundū totā materiā sui cōuertuntur in lapides, transeuntes enim per loca ubi est uis formatiua lapidū apprehēdun tur à qualitatum proprietatibus, quæ sunt in illis locis, & mutantur elementa, quæ sunt in corporibus eorū in dominans elementū scilicet ter-

restre commixtum cum aqueo, & tunc uirtus mi neralis conuertit ipsum in lapidem, & retinent figuras suas.

Alb.2.de mi. tra.1.c.1.4. *Lapides habent diuersas uirtutes.* 7

Hoc nulli debet esse dubium, quia experientia probauit: & ratio est: quia nihil est in uniuersa natura, quod non habeat propriam suæ speciei naturam & operationem sicut patet in herbis & radicibus & animalibus & alijs infinitis medicinalibus: uirtus autem cõsequitur speciem et formam rei, & est principium operationis: habet igitur quælibet res propriam uirtutem, quia autem uirtutes lapidum non probantur ratione, sed magis experientia, iccirco de uirtutibus lapidum aliquorum, maxime eorum, qui in scripturis sacris habentur, aliquid per modum historiæ dicemus.

Alb.2.de mi. tra.2.c.1. *Adamas.* 8

Lapis durissimus parum cristallo obscurior, coloris lucidi fulgentis, quod mollescit sanguine hirci solum, & argento uiuo ut fertur. & penetrat ferrum, & gemmas omnes, præter chalybem, & ligat magnetem, si supponitur ei, ut non trahat ferrũ, & inuenitur in Arabia, & in Cypro quantatis auellanæ, ut in pluribus.

Vbi su. *Ametistus.* 9

Gemma coloris purpurei & transparentis, aliquantulum obscura. & dicitur operari contra ebrietatem, & facere agilem, & reprimit malas cogitationes, & bonum in scibilibus confert intellectum. Inuenitur in India.

Berillus

5 *Quædam loca generant lapides, & quædam non.* *ubi ſu.c.8.*

Cum enim generentur lapides à uirtute deriuata à ſtellis in materia ex qua fiunt terrea uel aquea, ut dictum eſt. loca, quę ſunt diſpoſita ad recipiendum talem uirtutem ſunt apta generationi lapidum. quæ uerò non ſunt diſpoſita ad hoc, minime. unde locus ubi terra unctuoſa per uaporem in ſe reflexum commiſcetur, uel in quo uires terrę apprehendunt naturam aquæ & trahunt ipſam ad ſiccitatem, & inclinant uehementer, ibi pro certo eſt locus generationis lapidũ. propter quod terra ſolidæ ſuperficiei, ex qua uapor ſolis expirare non poteſt, lapides multos generat. in terra autem molli cœnulenta, quæ potius inficit aquam, quàm apprehendat ipſam in ſuis proprietatibus non generantur lapides. hæc ergo uirtus determinata ad lapidum generationem. in materia terreſtri uel aquea eſt, in qua conueniunt omnia loca, in quibus lapides generantur & ſicut in generatione aliorum uirtus generans prius alterat materiam & poſtea tranſmutat in hanc uel illam formam, ſic uis formatiua lapidis in locis ubi generantur ſeruat iſtum ordinem qui in genere fit tribus modis. Nam primo alterat materiam ſecundum qualitates actiuas & paſſiuas quibus hoc operatur. ſecundò etiam ſecundum effectus proximarum illarum qualitatum, quæ ſunt durities & mollities. tertiò totam materiam apprehendit tam ſecundũ effectus proximos quàm etiã ſecundum conſequentes, qui ſunt qualitates formæ inducendæ, & tunc permutat materiã in formam.

10 *Berillus.* *2.de mi. trac.2.c.2.*

Est lapis coloris pallidi & lucidi transparentis plures habens guttas, quæ uidentur in ipso manere. & fertur operari contra pericula hostium & facere mitem in moribus, & ualet contra pigritiam, & dolores epatis, & suspiria, et prodest oculis humidis, & oppositus soli ignem accendit. & dicunt artifices quod coniugium conciliat inter maritum & uxorem. & in India inuenitur.

11 *Carbunculus.* *Vbi su.c.3.*

Qui à nonnullis rubinus uocatur, est lapis perlucidissimus rubicūdissimus & solidissimus, se habens ad alios lapides, sicut aurum ad cætera metalla. & hic solus omnium aliorum lapidum dicitur uirtutes habere. sed specialis uirtus eius, et effectus est uenenū aëreum & uaporosum fugare. Et quando est uere bonus, in tenebris lucet. Verum est quidam imperfectus carbunculus, qui uocatur palatius, uel balagius, qui debilem habet carbunculi colorē, & uirtutes eiusdem remissas, cum quo generatur frequenter uerus carbunculus. & ideo dicitur palatius carbunculi, quasi sit domus eius. & dicitur etiam esse fœmina carbūculi. Et ut plurimū inuenitur in Libya.

12 *Calcedonius.* *Vbi su.*

Est lapis pallidus & aliquantulum obscurus. qui si perforatur cum uirtute lapidis, qui sineris dicitur, & collo suspendatur, ualere dicitur contra illusiones phantasticas ex melancholia exortas. uirtutes quoq; corporis confirmat. & hoc est expertum.

Celido-

Vbi su. *Celidonius.* 13

Habet duas species unus est ruffus, qui inuolutus panno lineo uel corio uitulino, & sub sinistra ascella gestatus dicitur ualere contra insaniam & antiquos langores & lunaticam passionem & reddere facundum, gratum & placentem. Alter est niger, qui operatur contra nociuos humores & febres, & iras, & minas, & lotus aqua sanat oculos. & si inuoluatur folijs celidoniæ herbæ dicitur obscurare uisum. & sunt lapides ualde parui, qui inueniuntur in stomacho, uel in uentre hirundinis, & ualent tracti de mense Augusti.

Vbi su. *Corallus.* 14

Est lapis à mari extractus maxime circa mare Marsiliæ, qui habet ramusculos sicut plantæ. est autem trium specierum, quarum una est alba & altera rubea. Tertia nigra. & expertum est quod ualet contra quemlibet fluxum sanguinis, & dicitur etiã collo suspensus ualere contra epilepsiã, & contra operationes menstruorum & tempestates, & fulmina, et grandines & facere multiplicare fructus si puluerizetur super herbas uel arbores. & quod expedit principia & fines negociorum.

Vbi su. *Corneolus.* 15

Qui etiam dicitur corneola uel carneola est lapis coloris carnei, hoc est rubei obscuri, qui apud Rhenum fluuium frequentissime inuenitur, & quando politur multum micat. Et expertum est, quod stringit sanguinem et præcipue sanguinem

menstruo-

menstruorum, et dicitur etiam iras mitigare.

16 *Chrysolitus* *Vbi su.*

Est lapis in colore habẽs tenuem uiriditatem ludidam tamen, in qua ad oculum solis micat, sicut stella aurea & dicitur uenire de Aethiopia, & qđ in auro ligatus fugat fantasmata & stultitiã.

17 *Chrisopassus.* *ubi su.*

Habet multã similitudinẽ cum Chrysolitho habens auri guttas intra micantes & ab India uenit, sed raro inuenitur.

18 *Chrysolithus.* *ubi su.*

Dicitur etiam gemma coloris auri in aura matutina uisu pulcherrima, in aliis horis est dissimilis & dicitur ab igne corrumpi.

19 *Chrysopassion.* *ubi su.*

Dicitur esse gemma, quæ in tenebris lucet, eua nescit in lumine & ab Aethiopia uenit.

29 *Christallus.* *ubi su.*

Est lapis, qui ui frigoris fit, & quandoque etiã in terra & si frigidus oculo solis opponitur ignẽ ejicit, nõ aũt si calidus fuerit, dicitur etiã sitim extinguere sub lingua positus, & expertũ est, quod tritus cum melle mixtus accæptus a mulieribus replet ubera lacte.

21 *Iaspis.* *Alb. 2. de mi. trac. 2. c. 8.*

Est lapis multorum colorum, et habet multas species, sed melior est uiridis translucens rubeas habet uenas, & in argento proprie locari habet, & est expertum quod stringit fluxum sanguinis, & menstruorum & à luxuria dicitur prohibere gestatus.

Hiacynthus

Vbi su. *Hiacynthus.* 22

Habet duas species, unus est aquaticus albescēs, & hic uilior est, alter uero est saphirinus, qui etiam est flauus, ualde perlucidus, quasi nihil habens aquositatis, & hic melior est & ut plurimū inuenitur in Aethiopia, et est durissimus, qui uix se sculpi permittat, fertur quod confortat corpus & gestatus collo uel digito reddit gratum peregrinum, & est contra pestiferas regiones. Saphirinus autem habet hoc speciale quod est contra toxicum.

2. de mi. trac. 2. c. 11. *Magnes.* 23

Est lapis notus ferruginei coloris, qui plurimū inuenitur in mari indico in quo dicitur adeo abundare, quod periculose nauigatur nauibus habentibus ferrū, uirtus eius est mirabilis in attractione ferri, & hoc facit alterando aliqualiter. cuius signum est, quia non trahit à quacunque distantia. Et quia multoties nō trahit: nisi ferrum, prius liniatur. Et quia si ungatur allio, uel ei superponatur adamas non trahit, & dicitur curare hydropisim.

Vbi su. *Margarita.* 24

Lapis est albus tali albedine, sicut si parua lux penetraret multum album, inuenitur in obscuris conchilibus & meliores ex India ueniunt, & dicitur spiritus confortare & esse contra fluxum sanguinis.

2. de mi. trac. 2. c. 11. *Nitrum.* 25

Lapis est subpallidus & perspicuus & est idē quod alabastrum, quod quidem est de genere marinorum.

rinorum. Expertum est autem quod frigiditate sua conseruat aromata,& unguenta, & corpora mortuorum a foetore,& dicitur dare uictorias,et amicitiam conseruare.

26 Onix. Vbi su. c. 13.

Gemma est nigri coloris & melior est,quę uenis albis uariatur,& uenit ab Media & Arabia & dicitur generari ex lachryma arboris quæ dicitur onicha, propter quod est odorifera & figurata, & similitudinem exprimit unguis hominis & collo uel digito suspensus dicitur tristitiam excitare,& timores & fantasias terribiles in somno,& multiplicare lites,Et hęc omnia facit,quia habet uirtutem mouendi melancholiam præcipuę in capite ex cuius motu et uapore ista procedunt.

27 Ophthalmius. Vbi su.

Lapis est,cuius color non nominatur,quia forte est multorum colorum,& dicitur obcęcare oculos circunstantium,unde dicitur reddere inuisibiles eum gestantes.

28 Saphyrus. 2. de mi. tract. 2. c. 17.

Est lapis colore perspicuus,flauus,sicut cœlum serenatum,sed uincit in eo flauus color,aiunt autem hunc reddere hominem castum, & interiorem ardorem refrigerare,sudorem restringere,dolorem curare,sordes ex oculis purgare si prius ponatur in aqua,dicitur etiam pacem conciliare,& reddere hominem pium deo deuotum,& animũ

in bonis firmare. Innenitur autem in syrtibus, unde & syrtes, uel syrtū appellatur, fugat autem antraces, nec amittit uirtutem uno fugato, ut quidam dicunt.

Vbi su. *Sardius.* 29

Est lapis habens ruborem spissum cum substãtia obscurè peruia, & primo inuentus est in sardis a qua dicitur sarde, & dicitur animum accendere ad gaudium, & acuere ingenium.

Vbi su. *Sardonix.* 30

Est lapis compositus ex sardio & onice. & ideo est rubeus & colorem etiam unguis præfert, & inuenitur etiam albus & niger, & laudabilior est ille, qui hos habet colores distinctos, & inuenitur in India & Arabia, & dicitur luxuriam depellere, & hominem pudicum reddere.

Vbi su. *Sardo uel sarda.* 31

Est lapis in colore nitens, qui habet se ad tabulas ligni sicut magnes ad ferrum, unde dicitur fortiter adhærere nauibus, ita ut non possit aliquando euelli, nisi abscindatur pars tabulæ, cui adhæret.

Vbi su. *Smaragdus.* 32

Lapis est nitidissimus translucens in tantum quod dicitur tingere aerem propinquum uiriditate sua, & frequenter inuenitur in rupibus: quæ sunt sub aqua maris. Et expertum est quod non sustinet coitum. Nam dicitur quod Bella Rex

Vngariæ.

Vngariæ dum cũ coniuge coiret, fractus eſt lapis iſte in tres partes, quem in digito habebat, Inclinat igitur ad caſtitatem, & eſt contra morbos caducos, & confortat debilem uiſum, & conſeruat oculos, & dicitur facere bonam memoriam.

33 *Sarcophagus.* *Vbi ſu.*

Lapis eſt decorans cadauera mortuorum σαρκὸς enim græce caro dicitur & φαγεῖν comedere, unde de hoc lapide faciebant antiqui ſepulchra, & dicitur quod in ſpatio triginta dierum cadauer conſumit, & ob hoc monumenta lapidea ſarcophagi dicuntur.

34 *Topation.*

Eſt lapis, qui auri ſimilitudinem prætendit, & habet duas ſpecies, unus eſt pretioſior, qui eſt omnino ſimilis auro, alius autem eſt magis crocei coloris, qui eſt uilior, & dicitur quod ualet cõtra hemorrhoicam & lunaticam paſſionem.

Cauſa generatiua metallorum uniuerſalis quidem eſt cœlum, propria autem eſt uirtus quædam a cœlo & ſtellis in materia metallorum. *3.mete.c.ultimo Alb.de mi.*

35 Quod enim ſit cœlum cã uniuerſalis generationis eorum, patet, quia eſt cã uniuerſalis omnium, quæ generãtur in natura. Quod autem cauſa proxima ſit quædam uirtus impreſſa a cœlo in materia eorum, probatur ex eo quod qualitates elementorum non ſunt ſufficientes uirtutes ad generationem eorum, tum quia natura metalli eſt

one igitur diuerſa iſtorum fiunt diuerſa metalla.

37 *Metalla ſunt diuerſarum ſpecierum.* *de mi. ubi ſu. c.6.7.8.*

Materia enim nulla ratione eſt in aliqua rerum naturalium permanente in natura, niſi ſit completa per formam ſubſtantialem. Videmus autem argentum permanere, & ſtannum, ſimiliter & alia metalla, ſunt igitur completa per ſuas formas ſubſtantiales & conſequenter diuerſarum ſpecierum. Præterea quorum proprietates & paſſiones ſunt diuerſæ, eorum ſubſtantiam diuerſam eſſe oportet, cum proprietates conſequantur ſubſtãtiam rei, uidemus autem proprietates metallorum in colore, odore, & ſonoroſitate omnino diuerſas eſſe, nec poteſt dici quod ſint accidentia hæc communiter accidentia, cum omnibus eiuſdem naturæ metallis ſemper & ubiq; conueniant. ſunt igitur diuerſarum ſpecierum, & conſequenter habent diuerſas formas ſubſtantiales, nam ſpecies ſumitur a forma. Ex his patet quod forma metallorum non eſt coagulatio, quia eſt cõmunis omnibus, niſi forte quis dicat quod habet coagulationes diuerſarum rationum, ſed hoc non ſaluat coagulationem eſſe formam ſubſtantialem eorum, quia liquefacta non retineret ſpeciem & naturam ſuam, quod patet eſſe falſum, patet etiam falſum eſſe, quod dicunt multi alchumiſtæ formam auri eſſe formam omnium metallorum, dicunt enim aurum eſſe metallum perfectum, cætera uero eſſe in uia ad ſpeciem auri: ſicut fœtus abortiui ſunt in uia ad formam ſpeciei perfectam ſi enim hoc eſſet

uerum, essent proculdubio unius speciei semper cuius oppositum probatum est. Falsum demum apparet quod dicunt quidam alij, omnia scilicet metalla esse in quolibet metallo: sed unius tantum naturam in quolibet esse manifestam, aliorum uero occultam: tum quia species rerum sunt impermixtæ, tum quia nullum ipsorum esset unum ens simpliciter: quia unitas simpliciter sumitur a formæ substantialis unitate, nisi forte dicamus, quodlibet esse in quolibet in potentia, inquantum exinuicem generantur, ut dicemus.

Vbi su. c. 6. *Septem sunt genera metallorum scripta secūdum numerum septem planetarum.* 38

Non quia forma eorum sit proportio uirtutis terræ: ex qua generantur cum uirtutibus effluxis a planetis, a quibus formantur ad speciem suam, ut quidam dixerunt, sed quia forma eorum attenditur secundum talem proportionem, ita quod talis proportio est dispositio ad formas illorum, uniuersaliter enim accipitur forma rei secundum proportionem principiorum agentium & patientium, nam agentia dant formam secundum dispositionem materiæ, conuenienter autem dicuntur uirtutes formatiuæ metallorum deriuari a planetis: sicut uirtutes formatiuæ lapidum deriuantur a stellis fixis. Cum enim lapides sint esse stabilis, habent conuenientiam cum stellis fixis & imaginibus eorum, quæ perpetuo retinent determinatos situs & figuras adinuicem: sed metalla quasi erraticum habent motum

modo

modo liquida modo coagulata: & humidum, quod est eorum materia est errantis motus, ideo conueniunt cum planetis habentibus motum erraticum. Forma enim est similis uirtuti, a qua producitur, sicut forma artificiati est similis arti, & uniuersaliter agens agit sibi simile, attribuitur autem Saturno plumbum, Ioui stannũ Marti ferrum, Soli aurum, Veneri æs, Mercurio argentum uiuum: Lunæ argentum.

39 *Metalla possunt adinuicem transmutari.* *Vbi su. c. 9.*

Hoc autem contingit & per naturam, & per artem Alchumiæ, per naturam quidem, quia cũ habeant unam naturam communem ualde propinquam, scilicet aquam, ut diximus supra, in qua sunt omnes formæ metallorum in potentia, potest per transmutationem naturalem unum ex alio fieri, inquãtum scilicet materia unius potest mutari ad formam alterius, per artem uero potest hoc fieri non quidem uirtute propria, sed cooperando naturæ. ars enim adiuuat naturam, unde periti alchumistæ operantur, sicut periti medicorum, qui purgant per medicinas purgatiuas, materias corruptas. & facilè corruptibiles impedientes sanitatem, quæ est finis intentus, & postea per confortantia naturam iuuant uirtutem naturalem, ut sanitatem inducant, & sic sanitas que sequitur est effectus & naturæ effectiuæ & artis instrumentaliter, sic periti alchumistæ prius purgant materiam argenti uiui & sulfuris, quã uidemus esse in omnibus metallis, postea cõ

fortant uirtutes naturales,ſcilicet elementales & cœleſtes ad proportionem mixtionis metalli,qđ facere intendunt. Et tunc ipſa natura operatur, non ars niſi inſtrumentaliter modo dicto,Quod enim uirtutes elementales & cœleſtes operantur in uaſis naturalibus hoc etiam faciunt in artificialibus,ſi tamen formantur ad modum uaſorum naturalium. Et quod facit natura calido ſolis & ſtellarum,hoc facit ars calido ignis,ſi tamen con temperetur ſic quod non excedat uirtutem formantem,quæ eſt in metallis, huic enim ineſt uis cœleſtis & inclinatur in hoc uel illud per artis iuuamenta. De ſe enim uirtus cœleſtis eſt communis, & accipit determinationem per uirtutes eorum,quæ ſunt ſubiectum eius in rebus commixtis, ſic ergo alchumiſtæ poſſunt producere uerum aurum argentum & huiuſmodi. Qui autem albificant per alba & per citrina citrinantur, manente ſpecie prioris metalli in materia, deceptores ſunt, nec uerum aurum, aut argentum faciunt, & hoc modo fere omnes in toto, uel in parte procedunt: & ideo remanent decæpti & alios decipiunt.

Vbi ſu.c.10. *Licet metalla generentur in diuerſis locis ut plurimum tamen generantur in lapidibus.* 40

Aurum enim inuenitur generatū inter arenas fluminum diuerſarum terrarum, ut grana quædā maiora & minora.Item in lapidibus duobus modis, nam quandoque uidetur toti lapidi incorporatum, de quo educitur calcinato in molendino facto de ſilice & igne aduſto, quandoque

doque etiam per modum uenæ, quæ transit in toto, uel in parte per substantiam lapidis. Argẽtum autem inuenitur quandoque toti lapidi incorporatum, de quo educitur, sicut de auro dictum est, quandoque per modum uenæ protensæ in lapide, quandoque per modum uenę in terra, quandoq; etiam sicut pultes tenaces, & hoc est purissimum. Ferrum autem inuenitur incorporatum lapidib. ut grana milij, æs uero in uenis lapidis, & quandoque toti substantię lapidis incorporatũ. plumbũ aũt & stannum incorporata etiam lapidibus reperiuntur & in eisdem locis, inuenitur currens argẽtum uiuum. Sulfur uero ex lapidibus ignitis exudat, maxime ex lapidibus, in quibus est æs. In omnibus igitur his locis fiunt metalla per uirtutes cœlestes eis influxas per radios stellarũ sicut & de lapidibus dictum est.

41 *Plurima sunt metallorum accidentia in communi.* *de mi. li. 5. tra. 2. c. 1. 2. 3. 4. 5.*

Et primum quidem est liquabilitas, & coagulatio, & habet liquabilitas eorum aliquid proprium ab alijs, quæ liquantur. alia enim diffluunt, nec remanet pars cum parte sicut sal cera & huiusmodi. In metallis autem non recedit a sicco humidum, sed in ipso soluitur: & cum solutum fuerit, mouetur in eo, quasi ipsum deglutiuerit terreum siccum, ergo seu terreum prohibet humidum humefacere & adhærere tangenti, humidum uero prohibet siccum quiescere, & sic unum agit in alterum. Cum autem metallum est in aliquo nõ bene commixtum, eo quod non utrunque continetur in utroque, scilicet siccum in humido, & e conuerso: tunc in igne aduritur terreum & humi-

rum uel adustum, illa sunt uel fusca, ut lutum, uel nigra, ut combustum terrestre. Tertius color est citrinus, uel subrubeus, quem maxime habet aurum, et post ipsum cuprum, et hoc causatur ex sulfure colorãte ipsum metallum. calidum enim decoquens fortiter humidum terrestri admixtum, conuertit ipsum ad colorem citrinum, uel subrubeũ, ut patet in urina, et lixiuio & huiusmodi etc. Et hoc contingit magis & minus sc̃m quod terreũ et aqueũ sunt magis et minus pura, et similiter magis & minus permixta, quartũ & quintũ accidens metallorum sunt sapores, & odores, qui generaliter in omnibus habent aliquid acuitatis propter sulfuream substantiam, quam habent, & propter eandem causam sunt secũdum aliquid foetidi magis tamen uel minus secundum diuersam eorum mixtionem. Sextum est adustibilitas & inadustibilitas. Adustibilitas quidem conuenit eis ratione sulfuris, qui est ualde unctuosus & terrestris, quae est causa adustibilitatis. Inadustibilitas uero ratione argenti uiui, quod propter aqueum in ipso existens, non est adustibile. secundum ergo quod metalla plus uel minus participant de sulfure & argento uiuo, & secundum quod haec sunt in eis melius uel peius qualificata, sic sunt cremabilia, uel non cremabilia. His ergo cõmunibus praemissis in speciali loquemur de huiusmodi per modum problematum.

Quare

mi.li.4.c.1 *Quare sulfur facile liquescit.* 42

Quia habet substantiam terrestrem ualde siccam unctuosam & uiscosam cum aqua cuius partes sibi adhærent, & ideo facile liquescit a calido sicco facile cõminuit̃,& inflãmat̃ fumus aũt eius indicat terrestrem substantiã, fœtor uero indicat eam esse indigestam et non terminatam, uel per digestionem completam. Et propter hoc potest esse materia uniuersalis omnium metallorum. est enim conuertibile propter sui incomplexionem in omnia, sicut semina, & alia ex quibus generãtur res naturæ. Et ideo sagax natura abundat in sulphure ubicunque est locus generationis metallorum.

ubi su.2 *Quare argentum uirum dissoluit neruos.* 34

Quia habet substantiam aqueam & terream, habentem aliquid sulfuris, & est frigidum & humidum, unde etiam inducit paralysim & occidit pediculos & lendes. Et aliquãdo est uenenosum, maxime si de lapide distrahatur.

ubi su.3 *Quare plumbum facile liquescit.*

Quia componitur ex multo argento uiuo nõ bono sed aquoso et ex sulfure nõ multo & inuenitur lapidib. incorporatum, in quib. inuenit̃ currẽs argẽtum uiuum, & in eisdem sudare uidetur sulfur; est autem plumbum frigidum & constrictiuum; & habet specialem uirtutem contra libidinem, et contra pollutiones nocturnas, si ex ipso circulus factus latitudinis duorum digitorum ponitur circa renes, & camphora purgatur. 44

Quare

45 *Quare stannum est durius plumbo.*

Quia habet argentum uiuum mundius, et minus de sulfure, et in eisdem locis inuenitur, in quibus est plumbum, & parum ab eo differt. Habet etiam balbutientem mixtionem, & dicitur balbutiens mixtio, quę in aliquibus partibus attingit rationem mixtionis, & in aliquibus non, sed est compositio quasi minima, sicut homo balbutiens attingit aliqua uerba, & aliqua non, huius autem causa potest esse mortificatio argenti uiui ex aliquo uapore dissolutiuo, uel alia lotura aquę acutæ, quæ disiungit partes, et cum in se balbutiat, omnia metalla, quibus miscetur, balbutire facit, & aufert ab eis ductibilitatem. Conuenit autem cum plumbo in hoc quod neutrum cõtrahit rubiginem, sed potius squalorẽ et sordítiem quãdam, et hoc, quia non habent humorem calidum aqueum, uel ualde paucum acutum qui corrumpat terreum exstens in ipsis, & conuertat in rubiginem. causa enim rubiginis non est nisi terrestre adustum. Item conueniunt in hoc quod neutrum est multum sonorum, cuius causa est mollities, et humor, qui sũt in ipsis. talia enim percussa cedũt unde temperant ea, quæ acute sonant, uidetur autem stannum fusum cito enanescere, cuius causa est eius mala mixtio, propter quam elementorũ unumquodque ab altero recedit.

64 *Quare argentum est bene sonans. & bene polibile.* ubisu.s

Quia habet argentum uiuum bene digestum & depuratum, & per subtilissima commixtum, unde est durum, bene sonans, & politum. Est &

alia

alia ratio ſue optimę commixtionis, quia ſcilicet quodlibet, quod ex ſua commixtione eſt humidum, et per ignem liquabile, habet tres humores, ſicut & plantæ, & animalia, quorũ unus craſſus & indigeſtus eſt, & enatans ſicut pinguis, & ſicut adeps, uel oleum, et hæc facit res inflammabiles. Alius eſt ſicut flegmaticus humectans partes rerum, & non generans nec augens. Tertius eſt radicalis eſſentialis partibus imbibitus, quia ex ipſo partes eſſentiales rerum conſtant & per ipſum augentur et nutriuntur. Argentum ergo cũ ſit durum & ſiccum, oportet quod ab humorib. duobus ſuperfluis ſit multum emẽdatum, et ſubtilitas tertij facit ipſius cõmixtionem. Eſt autem frigidum propter abũdantiam argenti uiui, quæ eſt in ipſo, ſed propter ſui humidi optimam digeſtionem, & ſubtilitatem contingit quod confricatum aliquibus ſpeciebus, uel etiam commixtũ ualet ſpiritibus, et pręcipue contra tremorem cordis. Inuenitur autem, ut dictum eſt ſupra, quandoque lapidibus incorporatum, quandoq; in uenis lapidum & quandoque in terra.

ubi ſu. c. 6 *Quare æs aliquando habet uenas auri.* 41

Quia ęs eſt ex argento uiuo permixtionem habens ſulfuris aduretis pluſquàm oportet aliquãtulum, & ideo deducitur ad formam ruboris, & inuenitur in uenis lapidis, & quandoque eſt toti ſubſtantiæ lapidis incorporatum. Si igitur partes argenti uiui plusquàm aliæ purificentur, & conſu

consumetur in eis humidum superfluum uidebitur tunc habere uenas auri. Et hæc diuersitas inuenitur in cupro, unde cuprum æstimatur melius alijs tribus tanquam habens auri uenas immixtas, qui etiam conuertitur in auricalchum per puluerem lapidis, qui calamina dicitur.

48 *Quare aurum est incorruptibilius omni metallo.* ubi su. c. 7.

Quia aurum est ex sulfure lucidissimo & mundissimo per fortissimas loturas ad puritatem deducto non habente aqueam humiditatem, sed terream substantiam incorporatam subtilissimam cuius calor nō recedit a temperamento. Est quoque ex argento uiuo subtilissimo, unde sulfur penetrat undique per argentum uiuum, & coagulando colorat ipsum, ideo propter hanc fortissimam commixtionem aurum est incorruptibilius omni metallo, & magis sustinet ignem, & parum uel nihil est euaporatiuum. Ex temperantia autem sua habet, quod sit calidum & humidum conferens tremori cordis & melancholiæ, quæ facit tristem, & his confert confricatum, siue etiam sumptum contritum, ex soliditate autem sua est, quod non tingit ea, quæ tāgit nisi difficulter, Cętera uero metalla tingunt, licet argētum parum: multa uero puritas materiæ eius facit, quod rarissime inuenitur alij corpori immixtum, sed quasi semper purum, unde cum alij permiscetur, degenerat in ęs, Ex hoc etiam contingit, quod inuenitur frequenter: ut grana arenarum, quia tantam puritatem oportet esse paucam. Ex hoc autem cōstat quare aurū & argētū assūpta sunt in materiā

numiſmatum a ſapientibus inter omnia metalla, quia ſcilicet habent ſpeciale iuuamentum ad iuuandam complexionem hominis & ſunt durabiliora & nobiliora cæteris. Inuenitur autem aurum diuerſimode, & in diuerſis locis, ut ſupra diximus, cum loqueremur de locis in quibus generantur metalla.

ubi ſu. c. 8 *Quare ferrum de facili trahit rubiginem, & non liquatur.* 49

Quia eſt ex ſulfure terreſtri, et immundo, et ſimiliter ex argẽto uiuo terreſtri ponderoſo & immundo, & ideo eſt ſcabioſum, & trahit rubiginẽ propter ſulfuris aduſtionem, et non liquatur propter eius nimiã terreſtreitatem, & inueniť incorporatum lapidibus, et etiam in terra aquoſa quaſi granula miliꝫ habens multum de fece.

ubi ſupra *Quare calybs eſt durior & compactior ferro.* 50

Quia & ſi nõ ſit alia ſpecies metalli a ferro, eſt tamen ſubtilior & aquoſior pars ferri, quæ propter uim ignis, & propter partium ſubtilitatem fit durior & compactior, unde etiam fabri uolentes indurare ferrum, ex eo conficiunt gladios et extingunt ipſum cãdens in aquam, quia tunc calidum fugiens frigidum ad interiora ferri ſe trahit et conſumit in ipſo materiale humidum, & ſic fortiter

de mi. li. 5. c. 1 induratur.

Inter lapides non liquabiles & metalla liquabilia natura fecit media. 51

Quia ad extrema natura per media procedit, hæc igitur participant naturam lapidis & metal

lorum

lorum ex diuersa sulfuris, argenti uiui, & terræ, & aquæ mixtione, omnia autem hæc media uidentur incompleta in specie, quia sunt quasi materialia, & in ipsis aliquando sunt extrema secundum formas confusas, ideo sunt conuertibilia in quodlibet extremum, quæ extrema per ingenium & naturam de medijs educuntur. Et hęc sunt metalla, de quibus dicendum est breuiter per singula.

52 *Quare sal conseruat à putredine.* *Vbi su. c. 2.*

Quia est ex materia terrea crassa, quę postquã fuerit cõmixta humori aqueo cõburitur per elixationem uel assationem & album efficitur & amarum propter terrestreitatem & est conseruatiuum a putredine propter siccitatem, & constrictiuum quia habet acumen in sapore, cõdit cibaria, & quia efficitur ex terreo crasso & combusto postq̃ cõmixtum est aqueo, ideo in aqua frigida & in aëre frigido et humido resoluitur. Est autem multarum diuisionum, est enim sal marinum, qđ scilicet ex aqua salsa extractum est. Et est salgẽma, quod est sicut cristallum perlucidum, & in Vngaria abundantissime inuenitur, cuius cõmixtio est terrestri composita habens substantiam aqueam frigiditate terræ congelatam. Et ex primo habet, ꝙ facile redigatur in puluerem, ex secundo autem quod sit perlucidum: & quod liquefiat calido: humido, et stillet aqua ab eo terrestri remanente. Est item sal, quod uocatur napticũ nigrũ ex napta, quæ est in ipso, sed cũ fumigatur: liquescit napta, & separatur ab eo, & tũc fit

album, est etiam sal Indicum nigrum ex seipso ex multa adustione terræ, quæ est in ipso. Est & sal armoniacum, quod clarius est, & ad perspicuitatem accedens. Et forte sunt alij modi salis præter istos in diuersis locis, quoniam sal marinum alium modum habet in mari magno, quod attingit Italiam, in quo generantur sic grana in locis ubi refluit & in foueis, ad quas deriuatur: & alium in Oceano: quod est ad Aquilonem, quia coquitur de fundo terrestri illius: & alium in fontibus salsis in diuersis partibus ex quorum aquis coquitur sal bonum & paruæ quantitatis, quasi farinatum, sicut fit in thuscia apud ciuitatem uolateranam.

Vbi su. c. ultimo. *Quare electrum habet colorem mixtum ex auro & argento.* 53

Quia habet utriusq; naturam et proprietates quod antiqui omni metallo melius dixerunt, sunt duo eius genera, scilicet artificiale quod fit ex argento & nitro simul mixtis, & naturale minerale, quod ut dictum est participat naturam auri & argenti. Fertur autem, quod uas factum ex electro stridorem emittit, quando uenenum est immissum in potum qui in uas immititur, sicut stridet nitrum, quando infunditur sibi acetum.

Vbi su. c. 5. *Quare atramentum est stipticum & adurens.* 54

Quia eius natura secundum genus suum est substantia homiomera mineralis dissolubilis per decoctionem in aqua factam permixtam lapidosæ substantiæ, quæ nequaquam soluitur per

el ixatio-

elixationem. Eſt autem plurium ſpecierum, nam aliquod eſt album, aliquod rubeum, aliquod citrinum, aliquod uiride, aliquod fuſcum. Et hoc præ cæteris ſplendorem auri prætendit ſi puluis aureus in ipſo ſparſus obſcure reluceat, omnia uero atramenta ſunt ex terra & aqua. Et primo ſunt liquida, poſtea coagulata. Item poſtea calido & humido diſſolubilia, colorem autem accipiunt ſecundum maiorem & minorem ſubtilitatem terrei. & eius decoctionem in humido, & ſecundum maiorem & minorem mixtionem perſpicui aëris quando terreum in aqua decoquitur. Eſt autem atramentum medium inter lapidem & metallum, quia & compoſitionem habet lapidis, & aliquando colorem metalli.

55 *Quare alumina ſunt de facili pulverizabilia.* *Vbi ſu.c.4.*

Quia alumen eſt terreſtris compoſitionis, cuius tamen terreum eſt humido concretum, quod a complemento deficit argenti uiui, ſed ſecūdum aliquid accedit ad illud, & uidetur eſſe quadam ui coagulatum, quæ quidem uis non eſt ſulfuris, ſed aliquid proprietatis habet cum ſulfure, & cū aſſatum fuerit, opteſi, diſtillat ab eo aqua quædam fere ſicut ſal gemma, eſt autem ut frequentius, colore album. Et quod frequentius occurrit & cuius, utilitas maior eſt trium ſpecierum, primum eſt longum & ſciſſibile ualde, quod in ſciſſuris plumoſum apparet: et habet colorem argento ſimilem, ſecundum eſt ſiccum & rotundū ut mollis lapis, & in ſplēdore argenti, in albedine partū declinās a priore, & nō eſt ita efficax,

ſicut illud, tertium eſt ſiccum quaſi petroſum declinãs à citrinitate. Duo autem prima ſunt calida & ſicca multum exſiccatiua & conſtrictiua, tertium autem non habet ſtipticitatem licet ſit petroſum. Aqua etiam in qua lauatur primum genus, & quæ per illud colatur ſæpius, quando eſt antiquum efficitur ultra modum cõſolidatiua et coagulatiua diuerſorum corporum. Fertur etiam inueniri alumen humidum, & hoc eſſe ſicut bitumen unctuoſum, quod multum eſt cremabile deficiens in odore aliquantulum a ſulfuris unctuoſitate & cremabilitate & huius aluminis ſpeciem dicunt eſſe naptam.

Vbi ſu. c. 5. *Quare arſenicum eſt putrefactiuum, & mordicatiuum ualde.* 56

Quia eſt naturæ terreę combuſtũ habens aliquid de unctuoſitate ſulfuris, & ideo habet cognationem quandam cum illo, ſed eſt magis adurens, quia eſt acutius, eſt etiã pulucrizabile, calidum & ſiccum, licet magis abundet in caliditate quam in ſiccitate. Inuenitur autem triũ modorũ, ſcilicet album citrinum, quod eſt communius & pulucrizabilius cæteris auripigmentum nuncupatum, et rubeum. Et forte etiam multorũ aliorũ modorum inuenitur ſecundũ materię diuerſitatẽ.

Vbi ſu. c. 6. *Quare marcheſita eſt dura & ponderoſa.* 57

Quia participat de lapide & metallo, habet. n. ſpeciem lapidis terreſtrem per calidum ſiccum non ſolubilem, ſed calcinatur per combuſtionem in forti igne, ſicut lapis, metalli autem habet pondus &

dus & splendorem & ideo est multum ponderosa, non tamen unquam metallum stillat ab ea, sed potius euaporat in igne, cuius causa est, quia metallum quod est in ea non habet perfecte speciem metalli, aliàs in marchesita aurea non euaporaret ab ea aurum, sed liquaretur ex illa, habet igitur materiam & colorem metalli, sed non speciem. Sunt etiam tot genera marchesitę, quot metallorum. Est enim marchesita aurea, argentea &c. licet aurea raro inueniatur, argentea uero frequenter, stannea autem & plumbea raro. Dicitur autem ab antiquis lapis luminis, quia confert uisui maxime aurea, est autem in qualitate naturali calida & sicca, in effectu autem constrictiua calefactiua, maturatiua, & resolutiua, et est fortis in his effectibus. Fertur quod suspensa collo puerorum aufert ab eis timorem.

58 *Quare nitrum est assabile in igne.* *Vbi su. c. 7.*

Quia est de genere salis obscurius quàm salgemma tamen perlucidum, sed laminosum et tenue, & cum assatur, tunc amissa substantia aquosa superflua efficitur siccum magis combustum. Species autem eius distinguuntur secundum loca, in quibus nascitur. Est autem triplex inuentum apud nos, scilicet. Armenicum, Aphricanū, & Teutonicum, quod pluuia cadente super montem plenum minera cupri, & colata aqua per mōtem, quando uenit ad centum passus in foueam ibi factam ex illa generatur, nam tunc conuertitur aqua illa in nitrum, & licet ab incolis putetur salgemma, tamen probatum est esse nitrum, stat

autem in concauo montis ad modum, quo glacies generatur in tectis ex aqua stillante in tempore gelantis frigoris. Et hoc non est laminare, sed rotundum. Comparatio autem nitri aphricani ad alias species est sicut comparatio nitri ad salem, spuma autem omnis nitri, que dicitur aliquando flos nitri, est subtilioris substantiæ & uirtutis per ipsum nitrum, & melior est illa, quæ prætendit colorem marmoris, & est multum frangibilis. Est autem omne nitrum calidum & siccum. Et ideo est incisiuum lauatiuum excoriatiuum, corrosiuum, & præcipue aphricanum, quod est acutius cæteris.

Vbi. su. c. 8. *Quare tuchia est frigida & sicca.* 59

Quia fit ex fumo qui eleuatur ad superius & adhęrēdo corporibus duris coagulatur, ubi purificat æs a lapidibus & stanno, quæ sunt in ipso. Melius est autem in hoc genere quod sublimatur ab eo quod residet in fundo, qđ dicitur succudus. Est aūt cōmixtio tuchiæ non naturalis, sed artificialis, cuius usus est frequens in transmutatione metallorū, sunt autem multi modi ipsius. Est. n. alba, & citrina & ad rubedinem declinans, quādo autem lauatur, residet in fundo quoddam, qđ dicitur a quibusdam tuchia Inda, quod est quasi fex ipsius tuchiæ. Melior est autem alba, deinde citrina, deinde rubea et in omnibus melior est recens ꝙ uetusta, Et hęc de mineralibus hoc modo dicta sufficiant.

Explicit liber nonus de mineralibus.

Postilla

Postilla in nonum librum.

POst consyderationem transmutationis elementorum sequitur consyderatio de transmutatione mixtorum, quæ ex elementis fiunt & quia de mixtione in communi dictum fuit superius in libro de Generatione, intendit auctor agere de transmutatione eorum in speciali, incipiens in hoc libro ab imperfectioribus, id est inanimatis quæ dicuntur Mineralia Circa que tria facit, primo enim agit de lapidibus, secundo de metallis, tertio de quibusdam medijs. Quo ad primum premissa difficultate tractandi de lapidibus in 1. conclusione primo declarat quę sit causa effectiua lapidum In 2. secūdo quæ sit cā materialis In 3. tertio quę sit causa formalis In 4. quarto quis locus generationis eorum In 5. hæc enim omnia concurrunt ad eorum generationem, quinto agit de accidentibus eorum in communi quibus eorum natura manifestatur in 6. & quia tanto scientia perficitur quanto magis ad specialia descendit, agit demum de lapidibus quibusdam, scilicet pretiosis in speciali usque ad conclusionem trigesimamquintam, præmisso in conclusione 7. qualiter habent diuersas uirtutes. Quis autem ordo seruetur in illis non multum refert. Quo ad secundum agit primo de causa effectiua metallorum tam generali q̄ speciali in 35. secūdo de causa materiali in 36. tertio de causa formali declarans diuersitatem eorū specificā in 37. quarto de numero eorum in 38. qui quidem sequitur diuersitatem eorū, quinto de transmutatione

eorum adinuicem in 39. sexto de loco generationis ipsorum in 40, septimo de accidentibus eorum in cōmuni, & demum de ipsis in speciali incipiens ab illo quod est materia omnium aliorū, scilicet sulphure, usq; ad quinquagesimam. Quo ad tertium primo determinat quæstionem an est ostendens dari media inter lapides & metalla in 51. secundo agit de illis in speciali incipiens a sale, usq; ad finem libri, nec multum refert quouis modo ordinentur, sicut & metalla & lapides.

INCIPIT LIBER DECIMVS DE ANIMA VEGETATIVA ET VEGETABILIBVS.

1. de anima. t.c.15.

PHilosophus naturalis debet de anima & animatis consyderare. 1

Philosophus enim naturalis de naturalibus debet consyderare, huiusmodi aūt sunt animata, ergo &c. At etiam cum passiones animatorum sint cum materia naturali, uel in materia naturali, de ipsis habet consyderare philosophus naturalis. Quicunq; autem consyderat passiones etiam consyderat subiectum illarum, subiectum autem passionum animatorum non solum est corpus, sed etiam anima, igitur ad ipsum spectat de anima, & de animatis consyderare.

Scientia

2 *Scientia de anima præcedit dignitate omnem aliam sci entiam præter metaphysicam.* 1.d'anima. T.c. 1.

Quia habet subiectum dignius cæteris, nulla enim est nobilior forma quàm forma animati, et quamuis aliquæ scientiæ sint certiores in suis demonstrationib. quàm istæ, sicut sunt mathematicæ, tamen habēt ignobilius subiectum: nobilitas autem scientiæ est magis attendenda ex nobilitate subiecti quàm ex modo procedēdi, quamuis & hæc scientia habeat magnam certitudinē.

3 *Sciētia de anima iuuat ad ueritatem aliarum etiam insignium scientiarum.* t.c. 2.

Ad naturalem quidem philosophū iuuat, quia est principium animatorum, et eius principalior pars & nobilior, ad metaphysicum etiam, quia per cognitionem animæ humanæ paulatim ascēdimus ad cognitionem substantiarum separatarum. Ad moralem quoque, quia ad illam nō possumus peruenire, nisi per cognitionem potentiarum animæ. Ad omnes demum, quia omnes acquiruntur per lumen intellectus, quod nobis per hanc scientiam innotescit.

4 *Difficile est tractare de anima.* T.c. 4.

Est enim difficile eius diffinitionē inuestigare, & partes eius & operationes eius, per quæ tamē oportet uenire in cognitionem ipsius animę. Signum autem difficultatis huiusmodi est, quod multi tractantes de anima in errores magnos inciderunt, quod etiam ostendit maxima diuersi-

tas opinionum in hac materia.

Desyderabile est tractare de anima. 5

Hoc autem non solum est uerum propter dignitatem ipsius cognitiōis, sed etiam quia homo maxime desyderat scire quid sit anima humana, & si est mortalis uel immortalis propter naturale desyderium finis. per hoc enim potest uenire in cognitionem finis, quem maxime desyderat.

T.c.7.itē.2.de anima.t.c.1.

A definitione animæ in communi est prius incipiendū. 6

Nā oportet prius de subiecto cognoscere quia est, & quid est, quia diffinitio est medium in demonstratione. Et quamuis non sit aliqua anima communis, quæ sit a particularibus separata, est tamen quærenda una communis diffinitio animæ, quæ possit postea singulis aptari. oportet enim primo in unaquaque scientia consyderare communia seorsum & postea propria unicuique ne contingat idem repeti frequenter.

1.de aīa.t.c.11.

Inuestiganda est hæc diffinitio ex operibus & passionibus animæ. 7

Accidentia enim & maxime quę sunt propria conferunt multum nobis ad inuestigandas diffinitiones rerum, sicut effectus conferunt ad cognitionem causarum. A notioribus enim procedimus ad inuestigandum ignota, operationes autem animę sunt nobis ad sensum notæ, & ipsæ ducunt nos in cognitionem potentiarum eius, et potentiæ

tentiæ in cognitionem naturæ, immo etiam aliquando per artificialia declaramus naturalia. Ex his ergo inuestiganda est animæ diffinitio.

8 *Forma non diffinitur absque eo, quod est extra naturam eius.* 7.met.t.c.34.5.t.2.d'aïa.t.c.2.

Nõ enim diffinitur forma sine materia & substantia, quia non habet esse completum in specie. Et ideo cum anima sit forma animati, non diffinitur sine subiecto, quod est extra naturam eius. Quod autem sit forma animati patet ex eo, quod dat esse et operari, unde deficiente anima, deficit animatum, quo ad esse, & operari. Ex operatione ergo animati uenimus in cognitionem animæ & maxime ex motu & sensu. Illa enim quæ seipsa mouent iudicamus animata.

9 *Anima non est corpus.* 2.d'aïa.t.c.4.6.5.t.prïa 75.1

Est enim forma, quæ dat uitam corpori, unde corpus est subiectum eius & materia. non autem ipsa est corpus, aliter duo corpora essent simul. Et cum nullum corpus sit absque compositione materiæ & formæ, oporteret animam componi ex materia & forma, & hæc forma non esset nisi anima, quia aliter non daret esse animatum. Et sic procederetur in infinitum, quia eadem ratione quæreret de illa forma, si esset corpus, & sic de aliis, standum est ergo in primo, quod scilicet anima non sit corpus.

d.t.c. 4. usq; ad. 7 *Anima est actus primus corporis physici organici.* 10

Actus quidem est corporis, quia, ut iã dictũ est, eius forma est. primus autem dicitur, quia est actus sicut scientia et non sicut consyderare, nam primus actus dicitur forma, et secũdus operatio. Non semper autem operatur animatum. & tamẽ habet animã. Est ergo anima, actus primus corporis, dicitur autem physici, ad differentiam corporis artificialis. Et dicitur organici, quia nõ est actus cuiuscunque corporis naturalis, sed oportet quod sit organizatũ, quia sic potentia uitam habet, sicut enim anima dat uitam, ita & corpus recipit eam, sed non quodcunque corpus, sed illud, quod est in potentia ad illam, hoc autem est corpus organizatum, quia sic est dispositum ad hãc formam. Et ideo idem est dicere organicum, & potentia uitam habens. Dicitur autem hoc corpus potentia uitam habere, non quasi animam actu abijciat, sed habet animam actu & consyderatur cum omnibus suis organis & dispositionibus sine anima, et ad ipsam comparatur, sicut potentia ad actum, & sicut materia ad formam sibi sufficienter disposita. Est etiam potentia uitam habens, id est, operationes uitæ, quia non semper operatur. Requirit autem diuersitatem organorũ, quia cũ inter alias formas sit perfectissima habet diuersas operationes et uirtutes, quę requirũt diuersa organa.

t.c. 7. *Anima unitur corpori nullo mediante.* 11

Vnitur enim corpori, ut forma cum sit actus

corporis

corporis, & ideo unitur ei per se, sicut & quęlibet forma, & sicut signum unitur ceræ nullo mediante.

12 *Anima est forma substantialis.* t.c.8

Est enim forma dans esse simpliciter & substantiale, quia est actus corporis physici: & aduenit enti existenti in potentia, non autem enti in actu, hæ autem sunt formæ substantialis conditines, quibus differt a forma accidentali: est igitur forma substantialis.

13 *Anima est principium uiuendi & causa corporis.* T.c.24.25

Si enim accipiatur uiuere pro esse uiuentis, sic anima est principium uiuendi, quia est principium essendi ipsi uiuenti: similiter si uiuere accipiatur pro operatione uiuẽtis. Anima enim est principium uegetandi & sentiendi et intelligendi, unde etiam est causa corporis formalis, quia dat illi esse, & finalis, quia corpus propter eam sic dispo nitur, & etiam ut principium motus, quia est natura & principium mouendi animatum ipsum.

14 *Ex diuersitate operationum animæ diuersitas partium, seu potentiarum eius cognoscitur.* t.c.33

Potentia enim ordinatur ad actum, & potentia actiua ordinatur ad actionem, quæ est operatio, & ideo secundum quod diuersificantur actus seu operationes animæ, ita & diuersificantur potentię, cognoscitur igitur diuersitas potentiarum ex diuersitate operationum.

Omnes

t.c.20.21.22. *Omnes partes animæ ratione distinguntur.i. quidditate. non autem subiecto.* 15

Cum enim ordinētur ad diuersas operationes, oportet quod sint diuersarum rationum, non tamen est necesse quod sint in diuersis subiectis, nā uegetatiuum, sensitiuum & appetitiuum, & motiuum inueniūtur in eadem parte corporis, ut patet in animalibus anulosis quando deciduntur, aliquę tamē partes etiam subiecto sunt separatæ. nā uisus est in oculo, auditus in aure, et sic de alijs multis, non tamen in omnibus est uerum.

t.c.23. *Hæ partes non sunt diuersæ animæ.* 16

Sunt enim diuersæ uirtutes animæ, non tamen diuersæ animę, quia unica forma est in unico supposito, nam forma substantialis dat esse simpliciter. Si autem ibi essent diuersæ formæ substantiales, prima sola daret esse simpliciter: aliæ uero secundum quid, aut unumquodq; animatum esset plures res, si haberet plura esse simpliciter. non igitur diuersæ sunt animæ, sed partes eius.

s.t.priā 78.1 *Triplex est genus animæ.* 17

Anima enim uiuenti dat esse, aliquando igitur dat esse materiale, ex quo uidelicet animatum est tantum id quod est. Et nihil aliud fit per similitudinē, quam recipiat in seipso, quia nihil cognoscit, & hoc esse plantarum per animam uegetatiuam, aliquando autem facit, ut non solum animatum sit, sed etiam recipiat similitudinem aliarum

15 rũ rerũ, tamen particulariter ſolum, quod faciunt animalia bruta per ſenſum mediante anima ſenſitiua, aliquando autem facit, ut etiam ſuſcipiat res in ſe uniuerſaliter, quod facit anima intellectiua, itaque triplex eſt genus animæ, & unaquæq; poteſt ſeparari ab altera, ita quod uegetatiua eſt abſque ſenſitiua, & hæc ſine intellectiua, non tamen econuerſo.

18 *Quatuor ſunt gradus uiuentium.* s.t.ubi ſ.2.d'aïa. t.c.18.

16 Vegetatiuum enim eſt per ſe, et ſenſitiuum in duas diuiditur partes ſcilicet in id quod mouetur motu locali, quod dicitur motiuum ſecundum locum, & quod non mouetur hoc motu, quod retinet nomen ſenſitiui, in quibus duobus generibus eſt ſenſitiuum, & appetitiuum, quia appetitus ſequitur ſenſum, & non relinquit eum. Quartum autem eſt intellectiuum. s.t.ubi ſ.2. d'aïa t.c.27.

19 *Quinq; ſunt generales animæ potentiæ.*

17 Iam enim habemus uegetatiuam potentiam & ſenſitiuam & motiuam, & intellectiuam quib. adiungere oportet appetitiuã, quia dato ꝙ ſemper ſequatur ſenſitiuam, tamen diſtinguitur ab omnibus alijs quidditate, & eſt principium motus in animalibus, ut infra declarabitur. ſunt igitur quinque genera potentiarum animæ.

T. c. 33. *Prius est agendum de obiectis, quàm de actibus animæ & prius de actibus, quàm de potentijs.* 20

Obiecta enim sunt actibus priora in diffiniendo, quia sunt principia agendi, aut patiendi, & ad actus ordinantur potentiæ, & hęc magis a nobis cognoscuntur, scilicet obiecta magis quàm actus, et actus quàm potentię. ergo hoc ordine est procedendum.

T. c. 34. *Nullum animatum est absq; anima uegetabili.* 21

Intelligo autem pro nunc de animatis corruptibilibus. huic enim animæ attribuuntur operationes pertinētes ad esse materiale conseruādum, & generandum, sine quo animata esse non possunt, nam ei attribuitur nutritio, augmentatio & generatio, & ideo absque hac nullum animatum corruptibile existit. At plantę absque alijs potentijs existunt, et ideo ab ista tanquam a fundamento incipiemus particulariter de anima & animatis tractare.

T. c. 46. *Alimentum est ens in potentia ad corpus animatum per se.* 22

Per se enim ordinatur ad ipsum, ut uidelicet in ipsum conuersatur ad restaurandum humidū deperditum, ergo est per se in potentia ad ipsum.

T. c. 45. *Alimentum in principio est contrarium, in fine autē simile.* 23

Semper enim patiens est contrarium agenti in principio

principio, & repugnat ei, in fine autem trahitur ad naturam & similitudinem agentis, Cum igitur animatum agat in alimentum, patet quod in principio oportet quod sit contrarium, & in fine simile.

24 *Alimentum conuertitur in substantiam nutriti ab anima mediante tamen calore naturali.* T.c. 38. 48.50.

Anima enim est, quæ dat esse & rationem & operationem animato, unde est agens principale in nutritione: sed alimentum non potest conuerti in substantiam animati nisi per calorem naturalem, ideo calor est instrumentum animę ad istā operationem.

25 *Vegetatiuum est potentia animæ, qua conuertit alimentum in substantiam nutriti.* T.c. 48. s. t. prima. 77. ar. 1. itē. q. 87. 2.

Non enim agit anima immediate, quia anima secundum suam substantiam dat esse animato, Et hic est actus. qui immediate exijt ab ea, sed actus, qui est operatio non egreditur ab ea nisi mediante aliqua potentia & uirtute ad illam operationem ordinata. Conuertit ergo anima alimentum in substantiam nutriti, & nutrit mediante aliqua potentia. quæ dicitur uegetatiua.

26 *Alimentum prout est quantum est obiectū augmenti.* 2. de anima t.c. 47.

Alimentum enim prout est quantum per se ordinatur ad quantitatem augmentandam, sicut alimentum ad substantiam conseruandam ut sic, ergo est obiectum motus seu operationis ipsius augmenti.

27 *Potentia augmentatiua est uirtus animæ, qua animatum augmentatur.* s.t. prima 78. 2.

Operatio enim qua animal uel animatum augmentat corpus ab aliqua animæ uirtute procedit, quia, ut dictum est, anima non operatur immediate per se ipsam quãuis sit principale agens ex qua procedit debita quantitas & mensura in animato, hæc autem uirtus dicitur augmentatiua. ergo, &c.

2. de aïa t.c.47. *Alimentum, secundum suum superfluũ est obiectum generationis.* 28

Semen enim per quod fit generatio est superfluum alimenti. Et ideo alimentum secundum hoc superfluum est obiectum generationis.

T.c.34. *Naturale est omni uiuenti generare tale quale ipsum est.* 29

Vnumquodq; enim appetit esse sempiternũ. Quod si non potest in indiuiduo obtinere, saltem in specie uult perpetuari. hoc autem fit per generationem. dum scilicet perpetuatur in filijs. Et ideo naturalissimum est uiuentibus generare.

T.c.49.s.t.prima ubi.su. *Potentia generatiua est uirtus animæ uegetatiuæ perfectior cæteris.* 30

Quia tunc unumquodq; dicitur perfectum, quando potest facere tale, quale ipsum est. non autem sic per alias uirtutes, ergo hæc est cæteris perfectior & ideo per hanc deberet diffiniri anima hæc, quia à fine unumquodq; denominari iustum est.

2. de anĩa à.t.c. *Anima uegetatiua est actus primus corporis physici* 31 organici

organici habens uirtutem nutriendi, augmentandi & generandi solum. *36.usq;. 50. & san.t.ibi t.c.49.*

Vt enim dictum est, perfectior uirtus eius est generatio, & hæc est anima plantarum, quia scilicet hanc habent ab alijs animabus separatam. & ideo nunc de quibusdam uegetalibus, seu plantis, per modum historiæ ad utilitatem moralitatis sacrarum scripturarum aliquid subiungemus.

32 *Aloës.*

Est arbor, quæ, ut fertur, habet lignum nodosum & raræ substantiæ & saporis amari & coloris fusci & confert stomacho & cerebro & cordi & fumum odoriferum habet. unde in altaribus ponitur.

33 *Amomum.*

Est arbor similis uiti boni odoris, & ualet ad sedandam podagrã inter alias operationes suas.

34 *Balsamus.*

Est arbor aromatica Aegyptia & oleũ est fortius ligno & lignum radice, & manat oleum ex ligno cum inciditur & ualet contra uenenum & ualet contra morsum scorpionis.

35 *Cinnamomum.*

Est arbor aromatica quæ gaudet sicco & calido, & dicitur quod confortat epar & stomachũ & desiccat nimiam humiditatem ipsius & ideo confert hydropisi.

36 *Cassia.*

Aut est arbor, aut accedit ad naturam arboris & diuersæ sunt operationes circa ipsam. Dicitur autem operari resolutionem & lenificationem, & confert apostematibus calidis & in uisceribus & in inguine.

Calamus. 37

Aromaticus est & habet similitudinem calami et est mirabilis odoris et ualet contra humorē melancholiæ.

Ebanus. 38

Est arbor, quę in India nascitur, ligni compactissimi, & ideo dicitur, ꝙ non ardet, sed rasa super carbones spirat bonum odorem, quia humidum in ea est bene digestum.

Galbanum. 39

Est arbor, cuius gutta etiam galbanum uocatur, ex qua incensum optimum componitur, & odor eius mirabiliter fugat animalia uenenosa, ita ꝙ si aliquis liniat se galbano, non approximant ei, immo nisi citò recedant moriuntur.

Myrrha. 40

Est arbor altitudinis quinq; cubitorum uel circa, spinosa & aculeata, cuius gutta etiam myrrha uocatur, cuius odor accedit ad odorem aloes, & in tantum prohibet putrefactionem quod corpus mortuum conseruat a fœtore præcipue cum aloe mixta, & hoc ab aliquibus dicitur esse idem quod stacte.

Stacte. 41

Gummi est, quod dicitur eliquari de myrrha

antiqua,& ab ea ſtillare, ſed alij dicunt ꝙ gummi myrrhæ,cum eſt bene digeſtũ, & purificatũ ſtacte uocatur & eſt melioris operationis quàm myrrha.

42 *Thus.*

Eſt arbor ramoſa & tenuis, quæ emittit lachrymam ſpumoſam,quæ aeris frigiditate iuduratur,& hoc eſt thus in iuuentute eſt album & rotundum,boni odoris & ideo offertur.

43 *Nardus.*

Eſt arbor paruula ualde. quæ facile euellitur, & non habet florem,ſed ſpicam odoriferam ualde & habet uirtutem frangendi ſudorem, & retinendi materias, quæ fluunt & confortat cerebrum & cor.

44 *Piſtaca.*

Dicitur eſſe arbor quædam cuius odor corticis odorem piſtici ſeu piſtatæ repræſentat & eſt calida & ſicca.

45 *Cyprus.*

A theologis nominata, a philoſophis autem perraro eſt deſcripta & dicitur eſſe planta alta a Cypro inſula,quæ habet ſemen album, quod in oleo decoctum & poſtea expreſſum de ſe unctuoſum emittit humorem,quo ſudor emundatur.

46 *Myrthus.*

Eſt arbor duorum uel trium cubitorum in lõgitudine,& eſt frondoſa & uirens, lædens caput odore & ſapore & quaſi inebrians.

Storax. 47

Gummi eſt ex arbore ſic dicta calidũ et ſiccũ, quod remouet humiditates ex cerebro et mundificat illud, licet dolorem capitis inducat.

Crocus. 48

Herba eſt ſicut germen magnum longum, quod in humidis locis creſcit, & flos eius non eleuatur à terra & emittit florem poſt florem, qui flores ſunt crocei & rubei, & ſunt boni odoris, et confortant cor & lætificant.

Maſtyx. 49

Eſt arbor cuius gummi etiam dicitur maſtyx, quæ ſi maſticatur, mundat caput & habet etiam alias operationes.

Piper. 50

Eſt arbor ſicut Iuniperus & calefacit neruos, & confortat ſtomachum, & prouocat urinam.

Reubarbarum. 51

Habet lignum molle, & amarum ualde & confert contra morſum uenenatorum uermium, habetq; alias uirtutes.

Zucharum. 52

Eſt arundo nodoſa & concaua habens intus humorem ſpiſſum & dulcem.

Ciminum. 53

Herba eſt calida & ſicca expellens uentoſitates et reſoluens.

Coriandrum. 54

Eſt herba, cuius ſi multitudo ſucci bibitur ut circa quatuor uncias interficit hominem triſtem ſicut

ſicut uenenum, & ideo cauendum eſt à multa ſumptione eius.

55 *Iſopus.*

Eſt herba calida & ſicca et ſubtilis ſubſtantię, cuius potus colorem efficit bonum.

56 *Coloquintida.*

Eſt herba in calidis regionibus naſcens, cuius pomum etiam uocatur coloquintida, et eſt magis calida quàm ſicca. in ſapore amariſſima, uincens fellis amaritudinem.

57 *Hedera.*

Eſt arbor nota ſemper uirens et ſępe carens flore et fructu propter eius frigiditatem, unde naſcitur in locis frigidis habens radices per omnes ramos, et eſt fœtidi odoris et ſaporis et quia undiq; trahit nutrimentum, cito conualeſcit et augmentatur.

58 *Mirice.*

Eſt frutex ſterilis, in locis ſterilibus naſcens alta ualde et plurimorum ramuſculorum flexibilium potius quàm frangibilium, ex quibus fiunt ſcopæ, et ſi ſtillatur habet unguentum fœtidum.

59 *Iuniperus.*

Eſt arbor apud nos ſimilis cypreſſo ſpinas pro folijs habens uirides æſtate et hyeme uirentes, grana pro fructu nigra, et dicitur quod confert attritioni lacertorum et inde eſt quod laſſi dormiunt in umbra eius, mundificat etiam et aperit operationes nutrimenti.

Ramnum. 60

Eſt frutex habens ſpinam albam multiplicem & recuruam in acumine, faciens poma quædam perlucida, multum delectabilia, quando ſunt bene matura appetitum cibi prouocantia, cuius radix confricata ad aliquid durum dicitur ignem emittere.

Mandragora. 61

Eſt herba, cuius radix exprimit ſimilitudinem hominis & mortificat. Nam dicitur quod quidam pueri, cum inueniſſent mandragoras, comederunt & mortui ſunt ex eis plures, mundificat etiam matricem & educit fœtum.

Abies. 62

Arbor eſt alta & recta et naſcitur in locis mõtanis frigidioribus. Quia ergo in illis locis ſubtus terram ſunt calidiſſimi uapores & pingues humores, quos frigiditas circunſtantis aeris intra arboris ſtipitem cõgerit, ideo multum aſcendũt & habent lignum dolabile & leue ædificijs aptum imputribile.

Pinus. 63

Eſt arbor nota uiridis & odorifera propter uaporabilitatem reſinæ & lignum eius eſt ſonorum.

Terebintus. 64

Eſt arbor magna altior q̃ abies, & naſcitur in montanis & locis altis multum folia habens, ſicut pinus, niſi quod ſunt longiora. Multa

alia

Multa alia possemus de istis uegetabilibus dicere, sed ista pro breuitate sufficiant.

Explicit liber decimus de anima uegetatiua & de aliquibus uegetabilibus.

Postilla in librum decimum.

POST inanimata sequuntur animata, de quibus uolens determinare auctor incipit a uegetabilibus, & quia semper a communioribus est incipiēdum, primo agit de anima in communi, secūdo de anima uegetatiua, tertio de ipsis uegetabilibus. Quo ad primum horum, primo pręmittit quędam de sciētia animæ, scilicet qualiter est pars scientiæ naturalis in prima conclusione, quàm digna inter alias scientias in secunda, quàm utilis, in tertia, quàm difficilis, in quarta, & quàm desyderabilis, in quinta. Secundo uolens inuestigare diffinitionem animæ, per quam eius natura manifestatur, præmittit quare ab illa incidit in sexta, ex quibus inuestiganda est, in septima et quomodo diffinienda est, declarans modum quo diffinitur forma in octaua, deinde ostēso quid non est in nona, declarat quid est in decima, ponens eius diffinitionem cōmunem, ex qua

deducit quomodo unitur corpori in undecima quomodo se habet ad esse eius in duodecima & ad uitam eius in .31. quæ potest dici alia diffinitio ipsius animæ. tertio uolens determinare de potentijs eius in communi, quæ sequuntur eius essentiam ac etiam manifestãt, præmittit modum inuestigandi illas in decimaquarta deinde declarat quomodo se habent ad inuicem penes identitatem & diuersitatem in quintadecima & quomodo se habent ad ipsam animã in sextadecima: quarto ad ampliorem notitiam animæ in communi, ostendit quot genera animæ in decimaseptima quot gradus uiuentium in decimaoctaua et quot genera potentiarum in nonadecima. Quo ad secundum principale primo præmittit duo scilicet modum seu ordinem procedẽdi in uigesima & communitatem huius animæ in uigesimaprima secundo iuxta ordinem dictũ incipiens à potentia nutritiua quæ est prima huius animæ, declarat eius obiectũ in uigesimasecũda uigesimatertia & causam conuertẽdi ipsum in animatũ tam principalem quàm instrumentalem in uigesima quarta, deducẽs diffinitionẽ huius potẽtiæ in uigesimaquinta tertio agit de potentia augmentatiua quæ sequitur nutritiuam, declarans eius obiectum in uigesimasexta & diffinitionẽ talis potẽtiæ in 20. quarto agit de potentia generatiua quæ sequitur prędictas, declarãs eius obiectum in. 20. naturalitatẽ eius actus in 29. & eius diffinitionẽ in. 30. Demũ diffinit ipsam animã uegetatiuam in. 31. Quo ad tertiũ principale agit in speciali de quibusdam uegetabilius & patet litera.

INCIPIT LIBER VNDECIMVS DE ANIMA SENSITIVA.

1 *OMnia animalia habent ſenſum.* 2.d'aïa.t.c.27.
Si enim non haberent, non fuiſſet eis prouiſum à natura in neceſſarijs indigent enim animalia cognitione ſenſitiua & præſertim tactus ad diſcernẽdum alimẽtum conueniens, & diſconueniens ut ſciant fugere nociuum, & conueniens proſequi, aliter nõ eſſet multum durabilis eorum uita, habent igitur ſenſum quo percipiant. 28.d'ſen.de.2c.1 3.d'aïa.t.c.60.

2 *Obiectum ſenſus eſt extra animam.* 2. de anima. t. c. 52.60.

Si enim eſſet in anima, ſic animal ſentiret quando uellet quia obiectum eſſet ſemper ſibi pręſens immo ſequeretur quod ſemper eſſet in actu ſentiendi, hoc autẽ eſt falſum, ideo obiectum eſt extra

3 *Non ſenſitiuum fit ſenſitiuum in actu primo à generante deinde ab obiecto.* t.c.59.

Virtus enim quę eſt in ſemine a generante impreſſa, educit animam ſenſitiuam cum omnibus ſenſibus de potentia in actum mediante uirtute cœli, & primi mouentis, poſtea fit actu animal ſentiens a præſentia obiecti, fit igitur in actu primo a generante, in actu uero ſecundo ab obiecto.

de sen. & sensa. quasi per totum. pria. 78.3

Vnaquæque potentia sensitiua habet proprium obiectum. 4

Omne enim passiuũ habet actiuum sibi proportionatum, obiectum autem potentię cognoscitiuæ est actiuum, quod eam mouet ad cognoscendum, nam sensus est potentia passiua, & sentire consistit in quodam pati & moueri ab obiecto. Et ideo oportet unicuique potentiæ sensitiuę assignare obiectum proprium.

2. d'anima t.c.60

Sensus est solum singularium cognoscitiuus. 5

Vnumquodque enim operatur per modum sui esse, quia in operatione nihil excedit propriã naturam, sensus est autem potentia in materia, quia habet organum corporale, ut inferius ostendetur in particularibus sensibus. Cum igitur materia sit principiũ indiuiduationis, patet quod potentia sensitiua indiuiduatur in organo, & sine organo non operatur, & ideo quicquid recipit, singulariter recipit, quia unumquodque est in altero per modum ipsius recipiẽtis. si igitur aliquid est in organo, uel in potentia sensitiua, non potest esse in ea nisi particulariter, solum igitur singularium est cognoscitiuus sensus.

T.c.63.64

Sunt quædam sensibilia ꝓpria, et quædam communia sensibus ipsis. 6

Communia dico, quia pluribus sensibus cognosci possunt, & nulli specialiter appropriantur hoc autem est manifestum in pluribus. magnitudo enim tam uisu quàm tactu cognoscitur. Et similiter

militer figura & numerus uisu & auditu cognoscitur, & similiter motus uisu & auditu & tactu, & eius contrariũ quod est quies. propria uero dicuntur quæ tantũ a singulis sentiuntur circa quæ nõ contingit sensus errare, sicut color respectu uisus, sonus respectu auditus, odor respectu olfactus, sapor respectu gustus, calidũ, frigidum, humidum & siccum, respectu tactus, ut infra dicetur. Circa tale autem sensibile non errat sensus, quando est debite dispositus, et in debita distantia. est enim proprium obiectum eius.

7 *Sensibilia communia sunt aliquo modo per se, & aliquo modo per accidens.* *Vbi su.s.t.ibi t.c 65.*

Sunt enim per accidens, quia non mouent sensus, eliciendo actum & specificando. uisus enim a solo colore, uel luce mouetur, & auditus a sono, & olfactus ab odore, et gustus a sapore, et tactus a qualitatibus tãgibilibus. si ergo aliqualiter mouẽt sensũ, nõ potest esse nisi propter hæc obiecta, quæ sunt illis propria. ergo per alterum mouent, et non per se. At uero aliqualiter per se, quia dant aliquem modum actui, quamuis enim nõ eliciant actum nisi per alterum, tamen mouent sensum magis uel minus intense, ut puta si in magna quantitate sit albedo: plus mouebit uisum, quàm si sit in parua, & sic de alijs potest assignari hæc ratio, & ideo per se dicũtur, quia per se dant actui sensus modum, licet per se non moueant, sunt ergo media inter sensibilia propria et sensibilia per accidens.

Sensibi

t.c.65.s.t.ibi *Sensibile per accidens ab alia potentia cognoscitur, q̃ à sensu exteriori.* 8

Sensibile per accidens dicitur aliquid, quod coniungitur cum sensibili per se, ut quia homo coniungitur cum albedine, dicitur homo uisibilis per accidens, id est per alterum, hoc est per albedinem, sensus ergo non poterit cognoscere nisi sensibile per se, quia nulla potentia fertur extra suum obiectum, sensibile ergo per accidens ab alia potentia cognoscitur quam a sensu.

De sensibus exterioribus prius est tractandũ, quàm de interioribus. 9

A notioribus enim nobis est inchoãdum. sensus autem exteriores sunt nobis notiores, a uisu ergo. quia est nobilior inter alios sensus exteriores. Et quia habet organũ magis manifestũ, incipientes prius de obiecto potẽtię uisiuę tractabimus.

De sen. lec. 6. p totum. *Color est extremitas perspicui in determinato corpe.* 10

Perspicuum enim & si secũdum nominis proprietatem dicitur diaphanum uel transparens, nunc tamen accipitur pro quocunq; quod est susceptiuum luminis qualitercunque & solum in superficie, sicut est terra, cuius partes superiores crassæ obũbrant inferiores. unde perspicuum est quædam natura communis corporibus multis. Aliud enim sunt inquantum corpora, et aliud inquantum perspicua. Forma autem huius perspicuitatis est lux, extremitas uero eius est color. aliud enim est extremitas corporis, quæ est superfi-

cies

cies,& aliud extremitas perſpicui in corpore terminato, quia non uidentur corpora niſi ſint terminata. unde non eſt in eis color: niſi terminẽtur. In corporibus ergo non eſt color intus niſi in potentia, & ideo ſecundum quod perſpicuum plus participat de luce, quæ eſt forma eius, ſic eſt magis album, a quo maxime recedit nigrum. Et ſecundum quod diuerſimode corpora diſponuntur ſecundum diuerſam proportionem ad album & nigrũ ſic ſunt diuerſæ ſpecies colorũ mediorum.

11 *Color eſt uiſibilis per ſe.* 2.d'aïat.c.67

Quod enim per ſe mouet diaphanum & tranſparẽs, eſt uiſibile per ſe. ſed huiuſmodi eſt color, nam color per diaphanũ ſuam ſpeciem, uel ſimilitudinem diffundit uſq; ad oculum, & ſic mouet diaphanum & uidetur. Et hæc propoſitio, color eſt uiſibilis, eſt in ſecundo modo dicendi per ſe.

12 *Diaphanitas eſt proprietas conſequens quandam naturam communem.* Vbi ſ.t.c.68. De ſen. ubi ſ.

Non enim cõſequitur naturam ſpecialem alicuius corporis, ut puta aeris, quia ſic oporteret q; omnia diaphana haberent aeris naturam, ſed conſequit̃ naturã coẽm ad omnia corpora diaphana.

13 *Lumen eſt actus diaphani.* 2.d'aïa t.c.69

Non enim aliquid eſt trãſparens in actu per lumen. unde lumen quaſi color eſt diaphani & per conſequens actus eſt. De ſen. ubi ſu.

14 *Lumen non eſt corpus, nec natura ſpiritualis nec euidentia coloris* 2.d'aïat.c.69

Si enim eſſet corpus, cum diffundatur per corpora

pora, sequeretur quod duo corpora essent simul: & præterea diffunderetur in toto hemisperio nec deferretur in instanti, quia motus localis non est in instanti. Non enim diffunditur in tempore quia in tanto spatio latere non posset hic motus. Et si dicitur quod non datur primum instans, in quo sol sit secundum aliquam partem eleuatus supra orizontem, dicendum est quod hoc non est ad propositum, quia dicimus quod lumen diffunditur per totum hemisperium in instanti, ita quòd nõ primo diffunditur in medio q̃ in fine. utrum autem detur primum instans, in quo sol eleuatur super orizontem, uel non detur nihil nobis est curæ in præsentia. certum est enim quod non datur. Non est autem natura spiritualis, quia lumen sensu percipitur. nec euidentia coloris, quia aliqua uidemus de nocte non percipientes proprium colorem.

s.t.ubi su. ar.2. *Lumen non est forma substantialis, nec habet esse tantum intentionale.* 15

Forma enim substantialis uisu, aut sensu percipi non potest, per se, & intentio non alterat realiter, ut patet de specieb. colorum diffusis per aerẽ intentionaliter. sed lumen realiter alterat ista inferiora: et per se uidetur, non est igitur forma substantialis, nec habet esse intentionale tantum.

s.t.67.3.4. *Lumen est qualitas actiua corporis cœlestis.* 16

Nam non est substantia, ut dictum est, nec etiam est quantitas, ut patet, nec relatio, nec aliquid aliorum

aliorum prædicamentorum, ergo oportet quod sit qualitas, & experimur, quod corpus cœleste per ipsum lumen agit in inferiora, est igitur qualitas eius. Verum lux proprie est illa, quæ est subiectiue in Sole. Lumen uero est illud, quod diffunditur in alia corpora, & est effectus lucis & quædam participatio eius, quod tunc dicitur radius, cum directe procedit, & tunc dicitur splendor, cum reflectitur ad aliquod corpus lucidum. Notandum tamen quod non est qualitas cuiuscunque corporis cœlestis, sed Solis uel cuiuscunque alterius à se lucentis, si aliquod est tale, cuius signum est quod diuersarum stellarum radij habent diuersos effectus secundum diuersam naturam corporum suorum.

17 *Lux non habet contrarium.* *sa.tho.ubi su.3.*

Quia est qualitas primi corporis non habentis contrarium. Et hęc est ratio, quia susceptiuum lucis statim illuminatur, quia ibi non est contrarium repugnans. tenebra enim est priuatio lucis non contrarium.

18 *Quanto corpora sunt formaliora tanto magis sunt lucis susceptiua.* *s.t.2.de aĩa t.c.70.*

Sunt enim magis propinqua ei, quod est subiectum lucis, quod est primum alterans. Et ideo ei sunt similiora, & per consequens magis susceptiua proprietatis eius, quæ est lux.

19 *Lumen, est necessarium ad uidendum ex parte medij tantum.* *2.de aĩa t.c.75.* *3.de aĩa t.c.18.*

Color

Color enim ex se est uisibilis cũ sit quasi quædam lux obumbrata, sed propter imperfectionẽ suam non potest sibi medium disponere. Et ideo color sine lumine uideri non potest. Cuius etiam signum est, quia si color ponatur super organum uisus non uidebitur, quia requirit medium, scilicet diaphanum in actu, quod est susceptiuum coloris secundum suam speciem uel similitudinem, quia sic color mouet uisum, est ergo necessarium lumen ex parte medij tantum.

2.de aĩa t.c.71. *Diaphanum secundum se est inuisibile.* 20

Oportet enim quod susceptiuum coloris sit sine colore, quia nihil recipit quod iam habet, quod autem secundum se non habet colorem neque lumen, secundum se oportet esse inuisibile. ergo.

2.de aĩa. t.c.74 defen.lec.5.co.1 *Si esset uacuum, non fieret uisio per ipsum.* 21

Oportet enim organum pati à uisibili spiritualiter per aliquod medium, per quod species uisibiles deferuntur, ut dictum est, quia si poneretur sensibile supra sensum, cum ibi non esset medium, non fieret sensatio, in uacuo aũt non est medium, non igitur in ipso fieret uisio.

5.t.2.de aĩa.ubi supra. *Medium non resistit immutationi uisibilis.* 22

Est enim semper in ultima dispositiòne ad suscipiendum coloris species & lumen, & in hoc non habet aliquid contrarium. ergo. intellige tamen si est dispositum.

A remo

23 *A remotiori minus uidetur.* *san.t.de Ve.8.1.*

Hoc non est propter medium quia nõ resistit, *12.item 2. de ani*
sed propter pyramidem, quæ in uisione causatur, *ma ubi su.*
cuius basis est in re uisibili, et quanto uisibile magis elongatur, tanto etiam acuitur magis, & minoratur, & sic plus fatigatur oculus in uidendo, & tantum potest minorari, quod non sufficit ad uidendum.

24 *Visio non fit extra mittendo.* *d'sen.lec.4.co.3*

Si enim id, quod extra emittitur esset lumẽ, uideremus in nocte. Si autẽ esset ignis, ut quidam dixerunt, non uideremus in aqua. si autem esset corpus, duo corpora essẽt simul: deniq; quicquid esset, non est uerisimile, quòd posset usq; ad astra protendi. ergo. &c.

25 *Quædam in lumine uidentur, ut colorata, & in tenebris ut lucentia.* *2.de animat.c.72.s.t.ibi*

Sunt enim lucentia, sed in die maius lumen offuscat minus, & ita uidentur solum, ut colorata, in nocte autem lucent, & sic uidentur, ut lucentia, non autem, ut colorata, sicut sunt quædam parua animalia, quæ dicũtur noctilucæ, sed ignis uidetur tam in tenebris quàm in luce eodem modo, quia lumen eius est efficax ad mouendum diaphanum.

26 *Potentia ergo uisiua est uirtus animæ, qua cognoscit colorem seu lucem in organo existens.* *T.c.66.*

Nam obiectum eius est quoddam innominatum, quod & colores & lucem comprehendit,

quod dicatur uisibile per se primo. Et hæc potentia habet organum, quod est oculus, seu pupilla oculi: & est in eo tanquam in subiecto, et non est sine eo, unde est uirtus, non tantum animæ, sed etiam totius animati, id est animæ & corporis.

2. de anima t. c. 130. de sen. lec. 5. co. 1.

Est autem organum eius aqueum. cum enim organum sensus sit quasi medium coniunctum, debet esse proportionatum medio extrinseco, unde sicut medium extrinsecum est perspicuum, ita & organum debet esse perspicuum non autem potest esse corpus cœleste, quia non uenit in compositionem inferiorum, nec ignis, siue igneum, quia uideremus de nocte, nec aëreum, quia aër non est ita spissus & seruabilis, quod requirat organum uisus, est igitur aqueum. Et propter eandem caussam. ut scilicet organum sit proportionatum medio requiritur ad uidendũ intus aliquod lumen, sicut etiam requiritur in medio ut supra dictum est. si enim uirtus uisiua esset in superficie exteriori sufficeret ad uidendum lumen exterioris perspicui, per quod immutatio coloris ueniret ad superficiem pupillæ, sed sensitiuum est intus iuxta cerebrum, ubi coniunguntur duo nerui ex oculis procedentes, ideo oportet, quod in perspicuo interiori, quod est organum sit aliquod lumen, ut sit uniformis immutatio à re uisa usq; ad principium uisiuum.

In proœ. met. de sen. lec. 2. 2. de anima t. c. 70.

27 *Visus est perfectior & nobilior inter omnes sensus exteriores.*

Primo quidem quia sua apprehensione annunciat nobis plures differentias rerum, & diuerso-

rum

rum modorum. Et hoc ideo quia eius obiectum, quod est uisibile inuenitur in omnibus corporibus, quod non contingit de obiectis aliorum sensuum. fit enim aliquid uisibile per hoc quod diaphanũ actu illuminatur à corpore lucido, in quo superiora corpora cum inferioribus communicant. secundo, quia eius immutatio est spiritualior. fit enim solũ intentionaliter, immutatio autem aliorum fit semper cum aliquo motu reali, ut infra patebit. tertio quia per uisum magis percipiuntur sensibilia communia. nam quanto potentia habet uirtutem uniuersaliorem, tanto est efficacior in cognoscendo, utpote potentior; uisus autem, ut dictum est, plura cognoscit, est igitur efficacior, & potentior uirtus eius ad cognoscendum non solum propria, sed etiam cõmunia, & ideo est nobilior cęteris sensibus exterioribus.

28 *Sonus est qualitas causata ex percussione corporum solidorum adinuicem.* T.c. 78.

Corpora enim dura cum percutiunt se adinuicem, uel unum percutit alterum. si cito praeoccupatur medium, id est aër uel etiam aqua, & frangitur, sic fit sonus. Dico autem cito, quia si paulatim aër diuideretur à corpore solido non causatur sonus, oportet etiã quod corpora sint dura, quia mollia cedunt. ex quibus patet tria requiri ad causandum sonum, scilicet percutiens percussum & medium. fit enim sonus in actu semper alicuius ad aliquod & in aliquo, patet etiam quod sonus in actu est medij & auditus, utrunque enim mouetur ex percussione corporis sonantis, ipsorum au-

tem corporum ſonantium eſt ſonus in potentia inquantum habent potentiam ad cauſandum ſonum ex eorum percuſſione.

T.c.86. *Echo eſt ſonus, qui ex reuerberatione cauſatur.* 29

Echo enim eſt ſonus ille, qui ſentitur maxime in corporibus concauis poſt primum ſonum factum. primo enim deportatur per aërem, & quando inuenit obſtaculū reflectitur et iterū idē ſonus ſentitur. Et hoc modo fit, ſicut ſiquis proijciat lapidē in aquā. ſtatim enim fient circuli quidam, primo minores poſtea maiores, qui ſi inueniunt obſtaculum, ut puta cum ad ripam perueniunt ſtatim reflectuntur, ita etiam aër percuſſus facit undiqȝ circulos propter ſuam maximam flexibilitatem, & undiqȝ defert ſonum, cum igitur inueniunt obſtaculum reflectuntur circuli, & iterum uox ad aures defertur, & percipitur in corporibus concauis & ſonoris, non ſemper autem percipitur.

d.t.c.87.uſqȝ 71 *Vox eſt ſonus animalis ex percuſſione inſpirati aëris cauſatus ad arteriā uocalē cum quadā imaginatione.* 30

Cum enim ſola animalia habeant uoces, non oportet dicere, quod in qualibet ſui parte poſſunt uocem cauſare, aliter ſonus manuum eſſet uox. fit ergo uox in arteria uocali ex fractione aëris reſpirati in loco illo. Non enim cum fit uox, totaliter immittitur aër, ſed ibi frangitur & retinetur ab anima, & quia fit ab animali inquantum eſt animal, ideo fit cum quadam imaginatione. ſi enim fieret ibidem abſqȝ imaginatione non proprie eſſet uox, ſed ſonus, ſicut tuſſis.

Potentia

31 *Potentia auditus est uirtus in auribus per medium aë- ris sonum percipiens in organo existens.* d.t.c.81.usq; 85. item.t.c.120. de sen.lec.5.co.2.

Potentiæ enim sensitiuę sunt in organo. Instrumentum igitur auditus, seu organum, est aër quidam ædificatus in auribus, & clausus pellicula, quæ dicitur miringa, ad quam dicuntur distinctiones sonorum peruenire, sicut ad tympanum. oportet enim quod instrumentũ similitudinem habeat cum medio, per quod sentit, sicut instrumentum uisus est humidum aqueum & diaphanum, est enim pupilla oculi. Medium autem auditus est maxime aër, unde oportet instrumentum esse simile medio, est igitur aër ille ædificatus in auribus immobilis, quia si esset mobilis non distingueret uoces, sed confunderet, propter quod si miringa destruitur & infirmatur, uel fiat ille aër mobilis, uel auditus totaliter perditur uel parum auditur.

32 *Difficilius est tractare de odore quàm de alijs sensibilibus.* 2.de aïa t.c.92. 93.94.de sen. lec.9.co.1.

Quia sensum odoris minus certum habemus, quàm cætera animalia propter magnitudinem cerebri, quod est humidum, & frigidum, & ideo nimium humectat partem ubi est organum olfactus, quod requirit siccitatẽ & caliditatem, & ideo qui tractat de odoribus debet de eis tractare per analogiam ad sapores, qui sunt nobis magis noti per gustum, & gustus est quidam tactus & tactum homo habet inter cætera animalia nobilissimum, propter nobilitatem cõplexionis, quæ requiritur ad nobilitatem animæ intellectiuæ,

& ideo homo inter animalia est prudentissimus: & inter homines illi sunt melius dispositi secundum intellectum, qui sunt melioris tactus, molles enim carne sunt apti mente, duri uero sunt inepti, nisi forte sit mollities muliebris.

de sen. lec. 12. p totum 2. de anima t.c. 100.

Odor est paßio causata in humido ab humore imbibito à sicco. 33

Humidum enim est odoris susceptiuum, sed tamen si in eo non est humidum imbibitum à sicco & bene digestum non habebit odorem, sicut patet in aqua, & similiter etiã si totaliter humidum absorbeatur & exsiccetur. lapides enim duri non habent odorem, itaq; susceptiuum odoris est humidum.. Actiuum uero est humor imbibitus à sicco, & diuersæ species odorum causantur secundũ quod hunc humorem diuersimode siccum imbibit & humidum ipsum suscipit, unde aliqui sunt odores dulces, aliqui amari, aliqui medij proportionaliter sicut in saporibus,

2. de anima t.c. 95. de sen. lec. 12

Potentia olfactus est uirtus odorum perceptiua per aliquod medium in organo. 34

co. 3. 2. de anima t.c. 97. 100. de sen. lec. 5. co. 3

Organũ est inter nares in anteriori parte capitis prope cerebrũ, in potẽtia ad odorem & siccũ. Et homo uidetur habere hoc organũ coopertũ. quia non odorat absq; respiratione. respirat enim ad aperiendũ poros, ut ingrediatur sensibile. mediũ aũt est aër & aqua: unde in utroq; medio sentitur odor. in aqua tamen animalia respirãtia non odorãt, quia ibi non respirãt. Et quãuis odor diffundatur per quandã fumalem euaporationem, non

non tamen oportet, quod ipsa euaporatio perueniat usque ad nares, uel usque ad organum, quia sensibile positum supra sensum non causat sensationem, sed sufficit, quod species eius ueniat ad organum. sicut species coloris ad uisum, aliter non sentiremus odores a lõge, sed expertum est quod tempore destructionis Troiæ uenerunt uultures ad illa cadauera comedenda a quingentis miliaribus. si autem sensissent odorem per euaporationẽ diffusam, oporteret dicere quod ex omni parte fuisset diffusa euaporatio per quingenta miliaria, quia diffunditur odor undique per medium, sed hoc est impossibile etiam si omnia illa corpora fuissent resoluta in euaporationes. factum est hoc ergo per species. 2.d'aiã t.c.97

35 *Olfactus non differt specie in diuersis animalibus.* 2.de aiã t.c. 98.99

Olfactus enim in quibuscũq; inueniatur habet tantum unum obiectum, id est odorem, et unum corruptiuum proximum, quia corrũpitur a malo & forti odore, uerum diuersimode diuersa animalia per olfactum odorant: quædam scilicet respirando, & quædam sine respiratione. Sed hoc est propter diuersam dispositiõem orgãi, quia in quibusdam est opertum, in quibusdam uero patens. est igitur olfactus unius speciei in omnibus, animalibus in quibus reperitur.

36 *Sapor est passio facta in humido aqueo a sicco terrestri cum additione calidi.* d'sen. lec. 10

Hoc esse uerum possumus cognoscere, ex hoc

quia uidemus quod aqua accipit quẽdam saporem si transit per terram, sicut patet in aquis quorundam fontium quę sunt salsæ. quando igitur calidum perfecte digerit humidum, causat saporem dulcem, priuatio autem humidi perfecte digesti causat saporem amarum. Alij autem medij sapores causantur secundum quod humidum medio modo se habet, & secundum diuersas proportiones: sic sunt diuersi medij sapores.

2. d'anima t. c. 101. *Gustabile seu sapor non sentitur per mediũ extraneũ* 37

Gustabile. n. fundatur in humido, & est quoddam tangibile: unde sine tactu non fit gustus in actu. medium ergo non est aer uel aqua, sed caro ut aliquid aliud coniunctum organo in lingua, sicut et in tactu contingit, ut infra dicetur: concurrit tamẽ & aliquod medium extraneum sicut & in tactu ut dicetur.

t. c. 104. *Gustus debet esse denudatus ab omni sapore.* 38

Aliter enim non reciperet omnes sapores, nec discernereret inter eos: propter quod febricitantes habentes gustum amarum, non discernunt sapores, & eadem ratione organum eius debet esse denudatum ab humiditate, secũdum seipsum, talis naturæ tamẽ quod possit humectari. gustus enim patitur a gustabili, secundum quod gustabile est, sicut quilibet sensus a suo uisibili. unde cum gustabile inquantum gustabile sit humidum, necesse est quod organum eius non sit humidum actu, possibile tamen humectari.

Gustus

39 *Gustus est uirtus discretiua saporum per medium coniunctum.* t.c.101

Hæc conclusio patet ex ijs quæ dicta sunt.

40 *Tangibile est multarum contrarietatum.* t.c.107

Est enim tangibile calidum et frigidum, humidum & siccum, durum & molle, graue & leue, crassum & subtile, & si qua sunt huiusmodi.

41 *Tactus est potētia diffusa per totum animalis corpus istarum contrarietatum percæptiua.* t.c.112

Animal enim percipit istas contrarietates in unaquaque sui corporis parte principali, sed prima radix tactus est in corde, a quo spiritus uitales diffunduntur per totum corpus.

42 *Nullum animal est quod non habeat sensum tactus.* t.c.27.3. d'aīa t.c.6

Est enim perceptiuus eorum ex quibus consistit animal & conseruatur. Et ideo nō posset animal cōsistere nisi haberet hunc sensum, quia non cognosceret quid sibi est utile, & quod nociuum: ex eisdem enim nutritur & conseruatur, ex quib. cōsistit, inest igitur tactus omnib. animalibus.

43 *Caro non est organum tactus.* 2.d'aīa t.c.119.

Quia sensibile positum supra sensum nō causat sensationē. At qualitates positæ supra carnem causant sensationē: quidam ergo dicunt ꝙ est neruus, alij uero ꝙ est quoddā mixtū ex carne et neruo. Caro aūt est mediū coniunctū & cōnaturale.

44 *Tactus non fit sine medio exteriore.* t.c.113. t.c.116.

Habet enim medium connaturale, quod est caro, ut dictum est, sed in aere & in aqua nihil tāgit alterū immediate, mediat enim semper humidū

ud

uel aereum. Sed hoc magis est manifestum in ijs, quæ se tangunt in aqua quàm in aere, non fit igitur sine medio extraneo.

t.c.106.107 pria.s.t.78. tertium. *Tactus & si sit unus subiecto, non tamen formaliter & secundum rationem.* 45

Vnus enim sensus est unius contrarietatis, ut uisus albi & nigri. Auditus acuti & grauis, & ol factus odoris dulcis & amari, sed plures sunt primæ contrarietates qualitatum tangibilium, quæ ad unum proximum genus non possunt reduci, ergo oportet dicere quod in animali sunt diuersæ potentiæ tactus quidditatiuæ & formaliter distinctæ. quæ tamen sunt in eodem organo, ita q in eadem parte inueniuntur omnes, posset tamen dici quod omnes illæ contrarietates ita se habent quod singulæ conueniunt in uno genere proximo, & oẽs in uno genere communi quod est obiectũ tactus secundum rationem communem, sed illud genus est innominatum, et sic erit unus tactus secundum speciem, propter unam rationem formalem obiecti.

t.c.117.118.119 *Organum tactus est in potentia ad excellentias tãgibilium qualitatum.* 46

Oportet enim quod sit ex elementis compositum, & sic habet qualitates elementorum, sed ad medium redactas, aliter non sentiret. oportet enim id, quod aliquid recipit esse denudatũ ab eo q̃d recipit, ideo tactus nõ sentit nisi excellentias tangibilium ad quas est in potentia, & a quibus potest pati.

Tactus & gustus sunt diuersæ potentiæ specie di- stinctæ. t.c.112. s. t. sup t.c.101

Habent enim diuersa obiecta, huius enim obiectum est sapor, Illius uero qualitates, in quibus fundatur sapor, & præterea diuersimode immutatur Tactus.n. immutatur immutatiõe naturali & nõ spirituali tantũ quãtũ ad organũ suũ sẽm qualitatem, quæ ei proprie obijcitur, gustus uero organum non immutatur de necessitate, naturali immutatione secundum qualitatem. quæ ei proprie obijcitur, ut scilicet lingua fiat dulcis uel amara, sed bene secundum præambulam qualitatem in quam fundatur sapor. scilicet secundum humorem, qui est obiectum tactus. differunt ergo specie, quod intellige de gustu, ut est discretiuus saporum. nam inquatum discernit qualitates elementi. quæ sunt qualitates tangibiles, est tactus quidam. 3.d'anima t.c. 64. d'sen. sec. 5.

48 *Sensus exterior est potentia sensitiua in organo, quæ recipit species exteriorum sensibilium sine materia.* co. 3. 2. d'anima t.c.121.122.

Nam cum ipsa sensibilia sint in materia secundum esse suum naturale sensus recipit species eorum secundum esse intentionale, non tamen sine conditionibus materiæ recipit, quia particulariter recipit, & singulariter, quæ sunt materiæ conditiones. Huius autem ratio est, quia recipit species in organo corporali, quod quidem organum est proprium subiectum sensus, & per consequẽs idem subiecto cum eo, sed differens ratione, eo modo, quo forma & materia sunt idem subiecto.

sed

ſed propria ratione altera.

t.c.123.124. *Excellentiæ ſenſibilium corrumpunt ſenſum.* 49

Organum enim ſenſus quod eſt materia uirtuti ſenſitiuæ proportionata conſiſtit in quadā proportione, quæ propter aliquam excellentiam alicuius ſenſibilis quandoq; diſſoluitur. Et ideo forma quæ eſt uirtus in eo exiſtēs non permanet diſſoluta diſpoſitione, quæ erat ſibi proportionata, plātę igitˉ quæ nō hēnt iſtā ꝓportionē nō ſentiūt.

t.c.128.uſq; ad t.c.136.s.t.priā 78.3 *Senſus exteriores ſunt tantum quinq;.* 50

Animalia enim perfecta habent omnes ſenſus exteriores, ſed non habent niſi quinq;, ergo ſunt tantum quinque, ſcilicet uiſus, auditus, olfactus, guſtus & tactus, qui, ut dictum eſt, diſtinguitur in plures ſpecies, & hoc ratiōabiliter, quia cū ſentire ſit quoddam pati a ſenſibili: & nō fiat immutatio ſenſus abſque immutatione ſpirituali, ſecundum quam ſpecies uel ſimilitudo ſenſibilis recipitur in ſenſu, nam ſimile ſimili cognoſcitur, & ſenſibile poſitum ſupra ſenſum, nō facit ſenſationem, ideo ſi immutatio eſt pure ſpiritualis, habemus ſenſum uiſus: ſi eſt etiā naturalis, uel ex parte obiecti mediante motu locali, & ſic fit auditus, uel mediante motu alterationis, & fit odor, et habemus olfactum, uel ex parte organi, & habemus tactum & guſtum, ſunt igitur rationabiliter quinque ſenſus exteriores.

t.c.133 *Senſibilia communia non habent ſenſum proprium, quo cognoſcantur.* 51

A quo

A quolibet enim ſenſu per ſe aliquo modo cognoſcuntur, & nullus ei poteſt appropriari, & ideo quia ſemper ſunt coniuncta cũ proprijs ſenſibilib. oportuit plures eſſe ſenſus ad diſtinguendũ inter ea. Cum enim tactus nõ cognoſcat colores, & habeat de magnitudine cognitionem, in qua eſt color, fit nobis manifeſtũ, quod aliud eſt magnitudo, & aliud eſt color, & conſequenter quod tactus qui ſentit magnitudinem eſt alius ſenſus a uiſu, qui ſentit colorem.

52 *Præter exteriores ſenſus oportet interiores ponere.* 3.t.priã 78.4.

Neceſſe eſt enim animalia cognoſcere, non ſolum ſenſibilia in præſentia, ſed etiam in abſentia maximè animalia perfecta, ut poſſint ſibi de neceſſarijs uitæ a longe prouidere per motum localẽ. et oportet quod diſcernant inter unum ſenſibile et alterum, quod non poſſunt facere ſenſus exteriores, qui ſolum propria obiecta cognoſcunt. igitur prţter eos oportet ponere aliquos ſenſus interiores.

53 *Potentia quæ cognoſcit differentias obiectorum propriorum eſt interior una & communis.* 2.dãiã uſq; ad t.c.150

Cum enim animalia cognoſcant differentiam inter obiecta propria, ut inter album & dulce & non cognoſcant hoc per ſenſus exteriores, quia qui cognoſcit differentiã duorum, oportet quod illa duo diſcernat et cognoſcat, ſi enim unus homo unum cognoſceret, & alter homo alterum, iam

iam nullus eorum cognosceret differentiam inter illa, sensus autem exteriores solum habent cognitionem propriorum obiectorum, sequitur quod oportet hanc potentiam interius esse, & cum cognoscat, differentiam duorum, oportet quod sit una quæ utrunque cognoscat & in unum colligat, te cum inter plura obiecta ponat differentiã. oportet quod sit communis ad plura cognoscenda, unde ista potẽtia uideatur sensus communis.

t.c.149.s.t.ibi

Sensus communis est uirtus in organo. 54

Cum enim sit potentia sensitiua non potest esse nisi in organo, quia cognoscit solum sensibilia non autem immaterialia, & organum eius est circa cor, ubi est prima radix organi tactus, nam sensus communis est fontalis radix omnium sensuum exteriorum, a quo omnes emanant tanquam a fonte, & ad ipsum terminantur, sicut multæ lineæ ad unum punctum quia ergo tactus est fundamentum omnium aliorum sensuum exteriorum, oportet quod prima radix eius sit prope fontalem radicem omnium sensuum. cum igitur prima radix eius sit circa cor, sequitur quod organũ sensus communis sit in corde uel circa cor.

s.t.ubi su.

Sensus communis est nobilior sensib. exterioribus. 55

Quia est maioris uirtutis & nobiliori modo immutatur, nõ tamẽ propter hoc est potẽtia actiua, sed passiua. omnis enim potentia sensitiua est passiua, quia sentire est quoddam pati. tunc enim sentimus cum recipimus species sensibiles in organo. hæc autem receptio dicitur largo modo passio, & ideo sensatio est quędam passio, et quia

ad

ad causandam istam passionem in sensu actiue sufficiunt obiecta sensuum, quia sunt secundum se actu sensibilia, & per consequens sufficientia ad immutandum sensus, ideo non oportet dare sensum agentem.

56 *Receptio speciei & actio sensibilis sunt unum subiecto sed differunt ratione.* 2. de aïa t.c. 139.

Actio enim et passio sunt unus actus, realiter, differunt autem ratione. illud enim recipit sensus, quod imprimit sensibile, sed secundum quod species recipitur in sensu, dicitur passio. secundum autem quod procedit à sensibili dicitur actio. sentire enim est illam similitudinem à sensibili recipere uitaliter.

57 *Potentia uisiua non cognoscit proprium actum nec etiam alia potentia sensitiua exterior.* s.t. ubi su. t. c. 149. item prima 78.42.

Actus enim eius est uidere, quod est sentire, sed sentire est pati. actus ergo eius est passio, quæ nihil est aliud, quàm recæptio speciei in organo. quæ quidem recæptio, uel, species nec est color nec lux. ergo nullo modo à uisu cognoscitur, quia nulla potentia excedit proprium obiectum, & quod dico de uisu eodem modo probatur de alijs sensibus exterioribus, quod non cognoscũt proprium actum nulla enim species sensibilium est color: nec sonus, nec odor, nec sapor, nec qualitas tangibilis. uerum quia isti sensus coniunguntur cum sensu communi, & ad ipsum terminantur. ideo aliquando sensus communis prout est cum potentia uisiua coniunctus dicitur uisus, & prout est cum auditu coniunctus dicitur auditus. &

sic de aliis sensibus. & iccirco aliquando dicitur quod uisus cognoscit actum proprium: cum tamen nõ cognoscat hunc uirtute propria sed uirtute sensus cõmunis, cui est cõiunctus. Et sic etiam dicitur de aliis sensibus.

s.t.ubi su. *Sensus cõmunis cognoscit actus sensuum propriorũ.* 58

Cum enim illi actus cognoscantur & non à sensu exteriori, ergo ab interiori, & maxime à sensu, ad quem illi actus terminãtur immediate. hic aũt sensus est cõmunis, ubi tamen aduerte, quod non est dicendum, quod sensus cõmunis cognoscat illos actus obiectiue, quia sensus communis non potest habere proprium obiectũ præter obiecta sensuum propriorum, eo quod est quasi punctus, ad quem illi sensus terminantur. cum igitur istæ immutationes sensuũ propriorum non sint eorum obiecta, ergo nec poterũt esse sensus communis obiectum. non cognoscit ergo eas obiectiue, sed quodãmodo experimentaliter, dum scilicet percipit se immutari per sensus proprios. sicut si quis uideret figurã per uitrum cognosceret immutationem uitri. etiam si solum cogitaret de figura & nullo modo de uitro, uel de uitri immutatione, non quidem obiectiue, quia solum obiectiue cognoscit figuram in hoc actu, sed experimentaliter, quia experitur se per uitrum immutari à figura, itẽ sensus cõmunis cognoscit differẽtiã propriorũ sensibiliũ non quasi cognoscat eã inquantum dicit quoddã mediũ inter duo, sed quia, cum à duobus immutatur, sentit aliã immutationẽ in uno et aliã in altero. & ideo per hoc quod sensus

commu

communis cognoſcit hoc modo differentiam ſenſibilium propriorũ & actum propriorũ ſenſuum habet aliquas operationes, quas proprij ſenſus non habent, non tamen excedit obiecta propriorum ſenſuum ut patet ex dictis, quia ſemper in eiſdem obiectis uerſatur, ſub una tamen & altiori ratione communi, ad quam nullus ſenſuum exteriorum pertingere poteſt, aliàs non reſpiceret per ſe unum obiectum. s.t.prima.78.4

59 *Præter ſenſum communem oportet ponere phantaſiam uel imaginatiuam interius.*

Natura enim non deficit in neceſſarijs, ſed neceſſarium eſt animalibus perfectis non ſolum apprehendere res, ſecundum præſentiam, ſed etiam in abſentia, aliter non poſſent moueri ad quærendum aliquid abſens: & ideo neceſſe eſt quod non ſolum animal recipiat ſpecies ſenſibilium, cum præſentialiter immutatur, ſed etiam quod conſeruet eas, ad diuerſas autem potentias pertinet recipere & conſeruare. Ad recipiendũ enim requiritur humidum, ad retinendũ uero ſiccum, oportet ergo præter ſenſum cõmunem ponere unam potentiã, quæ conſeruet ſpecies ſenſatas, quę dicitur phantaſia, ſiue imaginatio, quę quidem in homine cõponit unum cum altero, ut aurum cum monte, & quaſi oſtendit montẽ aurum, quæ quidẽ cõpoſitio non ita apparet in alijs animalibus.

60 *Phantaſia non eſt opinio.* 2.de animat.c.153.

Quia phantaſiari eſt in noſtra poteſtate, ſed nõ opinari. oportet enim intellectũ ratione cogi, ſi debet opinari. Et præterea multum mouemur

 ab opi-

ab opinionibus malorum, uel terribilium, non autem à phantasijs. non ergo sunt idem.

T.c.156. *Phantasia non est sensus in actu. nec in potentia.* 61

In dormientibus non est sensus in actu, sed bene aliquando phantasia, et sensus in potentia semper animalibus adest, sed non phantasia. Accipio autem hic phantasiam pro actu, non pro potentia, id est pro apparitione sensibilium intus, non ergo est sensus.

T.c.157. *Phantasia non est intellectus, nec scientia, nec mixtum ex sensu & opinione.* 62

Intellectus enim qui est habitus primorum principiorum & scientia, quæ est habitus conclusionum sunt semper uerorum, phantasia autem, id est apparitio sensibilium intus aliquando est falsorū. si aūt esset illud mixtū, sequeretur, quod aliquando esset simul uera & falsa, ut puta cum uiderem Solem, quem opinor esse maiorē terra, sed hoc non indicat sensus, immo Sol uidetur ei esse paruus, si ergo esset mixta ex his, esset simul uera & falsa, quia in hoc uera est opinio & sensus falsus, non ergo est illud mixtum ex opinione & sensu.

2. de aïa t.c.160. *Phantasia est motus factus à sensu secundum actum.* 63

Nam à sensu secundum actum motus quidam fit intus, id est quædam apparitio sensibilium, quæ extra cognouimus per sensum ut unusquisq; in seipso experitur, & hæc apparitio dicitur phantasia, sed accipiendo phantasiam pro potētia, dicimus quod est potētia in organo recæptiua istarum

rum ſpecierum & apparitionum, organũ autem eius ſecundum quoſdam eſt in corde, ſecundum uero alios eſt in cerebro, quia uidemus, quod læſo cerebro læditur phantaſia. Alij uero dicũt probabilius, quod incipiunt in corde iſtæ potentiæ anteriores & perficiuntur in cerebro, unde ſenſus communis et phantaſia ſunt in parte anteriori cerebri. s.t.priũ 78.4. item ſu.2.de anima t.c.29.3.de parti. anima c.3

64 *Animalia multa agunt & patiuntur ſecundum phantaſiam.* T.c. 162.

Quia enim apparitiones intus permanent, aliquando repræſentant aliquid animali ſub ratione proficui, & aliquando ſub ratione nociui, & ideo animalia tunc uel fugiunt, uel proſequuntur quod eis præſentatur.

65 *Præter phantaſiam oportet ponere æſtimatiuam in brutis, & cogitatiuam in homine.* s.t.prima 78.4

Neceſſarium eſt enim animalibus perfectis, quod præter illa, quæ eis præſentantur per ſenſus exteriores, quæ in phantaſia recipiuntur, & ſunt delectabilia, uel triſtabilia ſecundũ ſenſum, quòd etiam quærãt aliqua, uel fugiant, non ſolum quia ſunt conuenientia, uel non conuenientia ad ſentiendum, ſed etiam propter aliquas alias commoditates & utilitates, aut nocumenta, ſicut ouis uidens lupum fugit, non propter indecentiam coloris uel figuræ, ſed quaſi inimicum naturæ, & ſimiliter auis colligit paleam, nõ quia delectet ſenſum, ſed quia eſt utilis ad nidificandũ, neceſſariũ eſt ergo, quod in animali ſit aliud principiũ, uel alia potentia ab his, quæ dicta ſunt, per quã per-

t 3 cipiat

cipiat huiusmodi intentiones, quas sensus non percipit, & hæc potentia est in brutis æstimatiua, in homine autem cogitatiua.

s.t.ubi su. *Aestimatiua differt à cogitatiua.* 66

Aestimatiua enim percipit intentiones non sensatas quodam naturali instinctu. bruta enim ad hæc cognoscenda naturali instinctu aguntur, sed homo huiusmodi intentiones particulares per cogitatiuam cognoscit, uel percipit per quãdam collationem propter hoc, quia participat aliquid de lumine intellectus. unde etiam dicitur ratio particularis. Et huic potentiæ assignatur organum in media parte cerebri.

s.t.ubi su. de me. & re.lec.2. *Præter æstimatiuam, uel cogitatiuam oportet in animalibus ponere memoratiuam.* 67

Sicut enim ad conseruationem specierum sensatarum, oportet in animalibus ponere phantasiam tanquam thesaurum earum, ita etiam oportet aliam uirtutem ponere ad conseruandum intentiones non sensatas, & quod huiusmodi intentiones conseruentur in animali, signum est, quia uidemus quod principium memorandi fit in eis ex aliqua huiusmodi intentione, ut puta ex eo, quod nociuum uel conueniens præteritum eis præsentatur. Canes enim aliquando uidentes aliquem, qui iam percusserat eos, uel minatus fuerat fugiunt tanquam inimicum, & ideo oportet ponere in animalibus uirtutem memoratiuam, quæ est thesaurus specierum uel intentionum huiusmodi.

Memoria

68 *Memoria est actus memoratiuæ, quo percipit præteritum.* *s.t. prima 79.6*

Non enim memoramur præsentium, uel futurorum, sed eorum, quæ ante fuerunt in nostra cogitatione, non autem eorum, quæ insunt nouiter, uel quæ inerunt. Memoratur autem animal se prius sensisse in præterito & etiam sensisse se quoddam præteritum sensibile. Vnde proprie memoria est in parte sensitiua, quæ percipit motum & magnitudinem singulariter cum hic & nunc. *de me. & re ubi supra.*

69 *Memoria in homine est nobilior quàm in brutis.* *s.t. prĩa 78.4.*

Sicut enim cogitatiua est nobilior in homine, quàm æstimatiua in brutis, ita oportet quod memoratiua in homine sit nobilior quàm in brutis, cum memoratiua sit thesaurus intentionum cogitatiuæ & extimatiuæ. unde sicut cogitatiua in homine est collatiua intentionum, & non solum perceptiua ita & memoratiua in homine nõ solũ memoratur subito, sed etiam habet reminiscentiam, quasi syllogistice inquirendo præteritorum memorationẽ secundũ intentiones indiuiduales. *de me. & re. lec. 8. in prin.*

70 *Reminiscentia est motus ad memorandum.* *de me. & re. lec. 4. prope fi.*

Cum enim homo uult reminisci incipit per aliquas intentiones discurrere quasi syllogizando, ut perueniat ad memoriam eius quod quærebat, memoria igitur sequitur reminiscentiam, sicut terminus motum.

71 *Reminiscentia & memoria possunt arte adiuuari.*

Natura enim per artem iuuatur, ut patet in

multis rebus, homo autem qui uult bene memorari debet alligare subtilia intelligibilia phantasmatibus crassis, quia hæc crassiora sunt nobis in promptu & ideo aliqui ponunt intelligibilia sua in locis uel figuris uel rebus alijs eis notissimis, quæ habent similitudinem aliquam cum intelligibilibus illis, debet etiam cum magna attentione apprehendere, quæ uult memorari, & quasi cum quadam admiratione, quia sic magis

de me. et re. lec. imprimuntur, & retinentur. unde quæ uidentur à
3. s.t. ibi pueritia magis retinentur quia pueri tanquã noui in mundo cum admiratione apprehendunt noua si uidentur esse magna: licet secundum complexionem corporis fluentis sint male memoratiui, & labilis memoriæ, quemadmodum contingit & senibus. Item debet ordinare taliter omnia, quod unum dependeat ex altero, & frequenter per hunc ordinem discurrere, quia sic unũ ducet
de me. & re. eum in cognitionem, uel memoriam alterius, &
lec. 5. maxime si à principio incœperit. Dico autẽ uel à principio temporis uel à principio rerum memorandarum, & aliquando etiam memoramur à contrario, sicut & à simili.

s.t. prima 78.4 *Potentiæ sensitiuæ interiores sunt quatuor solum.* 72

Est enim primo sensus communis quoniam percipit differentiam propriorum sensibilium et actus sensuum propriorũ. Et quia oportet etiam quod animal conseruet species receptas, ideo alia potentia ponitur, quæ est phantasia uel imaginatiua, quamuis aliqui distinguant imaginatiuam à phantasia per hoc, quod hæc conseruat species,

illa

illa uero componit, sed alij dicunt, quod ad hanc compositionem faciendam sufficit phantasia, & hanc opinionem putamus probabiliorem. Tertio oportet quod etiam animal percipiat amicitiam, & odium, & huiusmodi intentiones, quæ non percipiuntur sensibus exterioribus, & ideo tertia potentia ponitur in animalibus quæ dicitur æstimatiua in brutis, & cogitatiua in homine. Cum autem oporteat istas intentiones conseruari, & potentiæ sensitiuæ sint in organis, quæ sunt proportionata potentijs, utputa quia necesse est potentiam recæptiuam habere organum, quod facilè recipiat, et potentiam conseruatiuam habere organum, quod fortiter retineat, humidi autem est recipere faciliter & sicci retinere, oportet diuersa organa assignare istis actibus, & per consequens diuersas potentias, & ideo oportet ponere quartam potentiam, quæ est memoratiua. Non inueniuntur autem in animalibus plures operationes sensitiuæ, ijs quæ dictæ sunt, ergo tot sunt, quot diximus. De sensibus ergo exterioribus & interioribus satis dictum esse arbitror.

Explicit liber undecimus de anima sensitiua.

Postilla

Postilla in librum undecimum.

POst consyderationem animæ uegetabilis, sequitur consyderatio de anima sensibili, quæ est supra uegetabilem, de qua agit in hoc libro quo ad partem cognitiuam, quæ est prima pars eius hoc ordine. Quia primo agit de sẽsibili & sensu in communi. secundo de singulis sensib. exterioribus. tertio de ipsis in communi. quarto de sensibus interioribus. Quo ad primum tria facit. primo enim ostendit necessitatem sensus, seu questionem an est de sensu in prima conclusione, naturam obiecti eius in 2. & modum quo reducit in actum in 3. est enim potentia passiua, secundo ne putares esse unum obiectum commune omnibus sensibus ostendit ipsum distingui iuxta distinctionem sensuum in 4. & quomodo sensus est cognitiuus illorum; scilicet in singulari in 5. tertio determinat de illis obiectis distinguens & manifestans tria genera sensibilium, scilicet propria in 6. communia: in 7. per ac in 8. Quo ad secundum præmisso ordine procedendi. Circa sensus in speciali in nona, incipit a sensu uisus tanquã a nobiliori inter exteriores. Circa quem primo agit de obiecto, scilicet colore, diaphano, & lumine: hec enim tria pertinent ad obiectum uisus, de colore quidem ostendit quid sit in 10. & quomodo uisibilis in 11. de diaphano autem quid sit in 12. de lumine uero quid sit in 13. ex quo deducit quid non sit in 14. & 15. subiungens in 16. aliam diffinitionem eius quæ est quasi materialis: prima autem quasi formalis, ex qua diffinitione deducit

ducit duo: scilicet lucem non habere contrarium in 17. & quæ sint corpore magis suscæptiua lucis in 18. secundo agit de necessitate luminis, ostendēs an requiratur propter obiectum, uel propter medium in 19. ex quo deducit quomodo diaphanum sit uisibile & quomodo non in 20. tertio agit de medio excludens uacuum in 21. & ostendens quomodo se habet medium ad immutationem uisus in 22. quarto de modo uidendi declarans duo: scilicet cur uisio nō fit a remotis, uel minus fit in 23. & an fiat extramittendo, ut quidam dixerūt in 24. quinto agit de quodam uisibili innominato, quod uidetur & in lumine, & in tenebris licet diuersimode in 25. Demum ex dictis deducit diffinitionem uisus in 26. & eius nobilitatem in 27. Circa sensum auditus primo determinat de obiecto eius. s. sono. in 28. de echo in. 29. quæ est quædam species soni, & de uoce in. 30. quæ etiam est species soni. secundo deducit diffinitionem auditus in 31. Circa olfactum qui sequitur auditum in nobilitate sicut auditus uisum, primo determinat de eius obiecto declarās duo: scilicet difficultatem tractandi de illo præ alijs sensibilibus in trigesimasecunda, & naturam eius in trigesimatertia: secundo agit de ipsa potentia olfactus declarans similiter duo scilicet naturam eius in trigesimaquarta, & unitatem specificam eius in trigesimaquinta. Circa gustum qui sequitur olfactum, duo quoque agit, primo de obiecto, ostēdens quid sit in trigesimasexta et per qđ mediū sentitur in 37. secundo de ipsa potētia gustus

de qua

de qua declarat, et quomodo se habet ad saporem quo ad esse naturale in 38. & quid sit secundum naturam suam in 39. Circa tactũ qui est ultimus sensuum exteriorum quo ad nobilitatem: licet sit primus quo ad naturam, quia est fundamentum aliorum, docet multa. primo declarat eius obiectum: in 40. secundo diffinit ipsum tactum in 41 deducens ex illa diffinitione eius necessitatem in 42. tertio agit de organo eius ostẽdens quid non sit, et qd sit in 43. quarto de medio in 44. quinto de unitate et diuersitate eius in 45. non. n. uidetur unus sensus sicut cęteri: et quia eius organum nõ potest penitus denudari a qualitatib. tangibilibus, ostendit in 46. quomodo est in potentia ad illas quod requiritur ad sensationem. Demum cõparatur ad gustum qui uidetur quidam tactus in 47. Quo ad tertium principale docet quatuor, primo quid sit sensus exterior in communi in 48. secundo quomodo se habet ad excellentias sensibilium in 49. tertio agit de numero sensuum exteriorum in 50. & quia hic numerus sumitur secũdum distinctionem sensibilium propriorum, demum excludit sensum proprium respectu sensibilium communium in 51. hæc enim quatuor restabant circa sensus exteriores. Quo ad quartũ præmissa necessitate sensuum interiorũ in 52. incipit a sensu communi qui est primus inter illos, quem uenatur ex duabus operationibus interponens unum quod est commune utrique. primo igitur declarat & necessitatem & naturam sensus communis ex percæptione differentiæ sensibiliũ propriorum in 53, ex quo deducit ipsum esse po-

tent iam

tentiam organicam, & quid sit organum eius in 54. & nobilitatem eius respectu exteriorum sensuum, in 55. secundo interponit idemtitatem actus sensibilis & sentientis in 56. tertio declarat iterum & necessitatem & naturam eius ex percæptione actuum sensuum exteriorum, quam prius remouet ab ipsis sensibus exterioribus in quinquagesimaseptima: & deinde attribuit illam sensui communi in quinquagesimaoctaua: post sensum communem agit de phantasia quæ sequitur ipsum, cuius primo ostendit necessitatem in 59. secundo quid non sit, remouens quædam quæ putabātur esse: scilicet opinionē in 60. sensum in 61. & intellectum cum quibusdam alijs simul in 62. tertio ostendit quid sit, ponens eius diffinitionem in 63. ex qua deducit quādam eius proprietatem, in 64. post phantasiam agit de extimatiua in brutis & cogitatiua in homine, declarans primo necessitatem & naturā earum in 65. & secundo differentiam earundem in 66. post hanc agit de memoratiua, declarans primo necessitatem et naturam eius in 67. secundo actum qui dicitur memoria in 68. tertio comparat memoriā in homine ad memoriā in brutis in 69. & quia in homine est etiam reminiscētia, declarat quarto quid sit in 70. & quomodo tam ipsa quā memoria possunt arte iuuari in 71. Demum pro complemento huius partis in libri agit de numero & sufficientia sensuum interiorum, ostendens esse tantum quatuor dictos in 72.

Incipit

INCIPIT LIBER DVODECIMVS DE APPETITV SENSITIVO.

s.t.priã 80.1. 12 8.1. 1.ethi.t.c.1. s.t.priãs.1

APPEtitus est potentia, qua appetens inclinatur ad bonum. 1

Vnaquæq; enim res secundũ suam formam ad aliquid inclinatur, nihil autem inclinatur nisi ad aliquid sibi simile uel conueniens, quod est ens. Cum igitur omne ens sit bonum, necesse est q̃ omnis inclinatio sit ad bonũ. Ideo dicitur quod omnia bonum appetũt. Appetitus ergo est inclinatio ad bonum.

s.t.ubi su. priã 59.1.60.1.

Triplex est appetitus. 2

Nam cũ appetitus consequatur aliq̃ formã si consequit̃ formã in natura existentẽ, dicitur appetitus naturalis, sicut est appetitus inanimatorũ. Si aũt consequitur formã apprehẽsam, aut est apprehensa per sensum, aut per intellectũ, si per sensum sic est appetitus sensitiuus. si autem per intellectum, est appetitus rationalis, qui dicitur uolũtas. de appetitu ergo naturali non est hic tractandum. sufficiant enim ea quæ de inanimatis uel insensibilibus dicta sunt in superioribus, quia hic proprie non est appetitus. de appetitu autem rationali est dicendum posterius, qui etiam non dicitur proprie appetitus, sed uoluntas. igitur nunc agendum est de appetitu sensitiuo, qui sequitur formam apprehensam per sensum, et dicitur proprie appetitus.

3 *Obiectum appetitus sensitiui est bonum apprehen= sum per sensum.* 12. 8, 1, 23, 1.

Non enim inclinatur animal inquātum est animal ad aliquid, quod aliquo modo non cognoscit. sed cum repraesentatur ei sub ratione boni prosequitur illud. si autem sub ratione mali fugit: unde malum pertinet ad appetitum, sed sub alia ratione quàm bonum, quia fugit malum appetitus & hoc fugere repraesentatur sibi ut bonum. itaq; se habet ad malum propter rationem boni: nihil autem refert utrum inclinetur ad uere bonum uel apparens bonum: quia sequitur bonum apprehēsum, non autem bonum in re non apprehensum.

4 *Appetitus diuitur in irascibilem & concupiscibilem.* pria 81, 1

Quia enim obiectum appetitus est bonum uel malum sensibile apprehensum per sensum, necesse fuit in animalibus esse hanc potentiam ad saluandam eorum uitam, ut scilicet possent bonum prosequi & fugere malum, & quia aliquando animalia patiuntur difficultatem in adipiscendo huiusmodi bonum et in fugiendo malum inquātum apprehenditur, quod est eleuatum supra facilem potestatem animalis, ideo necessarium fuit duas potentias appetitiuas ponere in animali. unam scilicet qua prosequatur bonum, & fugiat malum absolute consyderata ambo. aliā uero, qua prosequitur bonum, uel malū fugiat inquantum habent rationem ardui. prima ergo dicitur concupiscibilis, & secunda irascibilis, & hae potētię dicuntur habere radicē organi in corde, ubi est fontalis radix sensuum omnium.

Vna

12.22.2.3 *Vna quæq; istarum potentiarum habet proprias passiones.* 5

Omnis enim potentia est ordinata ad actum: unde cum appetitus sit inclinatio quædam ad appetibile, oportet quod habeat aliquem actum, quo ad appetibile tendat. hi autem actus dicuntur passiones, tum quia pati est trahi ad alterum, et appetitus trahitur ad appetibile: tum quia sunt cum aliqua transmutatione corporali: ut ira, per quam accenditur sanguis circa cor, & in timore relinquit sanguis partes exteriores, habent igitur hi appetitus aliquas passiones.

12.23.1. *Non sunt eædem passiones in irascibili & concupiscibili.* 6

Idem enim est obiectum potentiæ et actus eius cum ergo potentiæ habeāt diuersa obiecta, oportet quod habeant diuersos actus ad illa terminatos. Actus enim cōcupiscibilis terminatur ad bonum simpliciter. Actus autē irascibilis ad bonū arduum. hi autem actus, ut dictum est, sunt passiones, non ergo sunt eædem passiones ipsorum.

Vbi su. ar. 4

In concupiscibili sunt tres passionum combinationes. 7

Bonum enim quod mouet appetitū se habet ad ipsum sicut mouens, quod trahit ad se patiens. primo enim dat ei quandam naturalem inclinationem uel aptitudinem, ut in ipsum tendat. secūdo trahit ipsum ad se. Tertio dat ei quietem in se adepto. sicut graue cum est extra locum proprium primo habet inclinationem ad ipsum, secundo descēdit. tertio quiescit in ipso. Et similiter per

contra

contrarium dum fugitur malum, primo appetitus inclinatur ad fugam. secundo fugit. tertio apprehenditur à malo, et succũbit. Inclinatio igitur, seu connaturalitas, uel complacentia, aut aptitudo ad bonum est amor, cui per contrarium coniungitur odium, prosequutio autem est desiderium, cui per contrarium coniungitur fuga, uel abominatio, quies autem in bono adepto est delectatio, cui per contrarium cõiungitur tristitia. In cõcupiscibili ergo sunt tres passionum combinationes, & sex passiones, scilicet amor & odiũ. desiderium & fuga. delectatio & tristitia.

8 *In irascibili sunt tantum quinq; passiones.* *ubi su.*

In irascibili enim præsupponitur inclinatio ad bonum prosequendum, & malum fugiendum, quia respicit bonum arduum, quod simpliciter bonum præsupponit, & similiter se habet ad malum arduum, non autem ad malum simpliciter. si ergo respiciat bonum arduũ nondum adeptũ, aut prosequitur eũ sperans arduitatẽ superare, & hoc facit per spem, aut arduitas superat eum, & sic desperat habere. si autem respicit malum arduum nondum imminens, aut contra eum pugnat, & hoc facit per audaciam, aut ab arduitate uincitur, & sic per timorem succumbit, si aut arduum bonum sit iam adeptum, quiescit in eo & delectatur, & non habet tunc rationem ardui, & sic non fit per hoc passio in irascibili, sed in concupiscibili, quia delectatio est passio concupiscibilis, sed si malum arduum sit iam imminens, aut insurgit contra, ut superet illud, & sic causatur

u passio

paſſio iræ aut totaliter ſuccumbit, & ſic triſtitia cauſatur, quæ eſt paſſio concupiſcibilis. Itaque quinq; ſunt paſſiones iraſcibilis, & duæ combinationes cum dimidia, ſcilicet ſpes et deſperatio, timor & audacia, & ultimo ira.

12.23.2. *Paßiones iraſcibilis alio modo contrariantur quàm paßiones concupiſcibilis.* 9

In motibus enim & mutationibus inuenitur duplex contrarietas, una eſt ſecundum cōtrarietatem terminorum. Altera ſecundum acceſſum & receſſum ab eodem termino, ut patet ſupra in quarto libro, concluſione. 19, &. 20. Quia ergo concupiſcibilis reſpicit bonum & malum abſolute, et bonum inquantum huiuſmodi nunquam habet rationem termini à quo, ſed ſemper termini ad quem. Malum autem ecōtrario, ideo in concupiſcibili paſſiones habent contrarietatem ſecundum terminos, nam amor, deſiderium, et delectatio ſunt ad bonum: odium uero & fuga & triſtitia reſpiciunt malum, paſſiones autem iraſcibilis reſpiciunt bonum, uel malum arduum, & ideo propter arduitatem poteſt bonum habere rationem termini à quo, & malum termini ad quem, ut ſcilicet in ipſum tendatur ad euitandū eius ſubiectionem et ideo contrarietas in paſſionibus iraſcibilis eſt non ſolum per cōtrarietatem terminorum, ſed etiam per acceſſum & receſſum ab eodem termino. ſpes enim tendit in bonū arduū, à quo recedit deſperatio, et audacia tendit in malū arduū, à quo recedit timor, diuerſimode igitur contrariantur paſſiones horum appetituum.

Non

10 *Non omnis paßio habet contrarium.* *ubi ʃu.ar.3.*

Singulare eſt enim in paſſione iræ, quod non poteſt habere cõtrarium. Cum enim cauſetur ex malo difficili iam adiacẽte non poteſt habere motum ad fugiendum, quia iam malum eſt præſens uel præteritum, et ideo non habet ira contrarium ſecundum acceſſum uel receſſum: nec ſecundum cõtrarietatem termini, quia malo adiacenti contrariatur bonum adiacens, quod cauſat delectationem, quæ eſt paſſio concupiſcibilis contraria triſtitiæ. Si igitur malo adiacenti appetitus ſuccũbit, cauſatur triſtitia, quæ eſt paſſio concupiſcibilis. Si autem inuadit illud, ut excludat, ſic eſt motus iræ, & non habet aliam oppoſitionem niſi quietem et ceſſationẽ ab illo motu ſeu inuaſione, & hæc ceſſatio dicitur manſuetudo, uel mititas, quæ opponitur ei priuatiue uel negatiue.

11 *Paßiones cõcupiſcibilis priores ſunt paßionibus iraſcibilis aliquo modo, & aliquo modo non.* *12 25.1.*

Nam excæptis delectatione et triſtitia omnes aliæ paſſiones important quendã motũ. In ijs ergo, quæ important motũ priores ſunt paſſiones cõcupiſcibilis, quia reſpiciunt bonũ & malũ abſolute. ſed paſſiones iraſcibilis reſpiciunt illa cum additione ardui, ſed ſi cõparentur paſſiones iraſcibilis delectationi, ſic delectatio, cũ habeat rationem finis eſt prior intentione, ſed poſterior executiõe. ſpes enim pręcedit gaudiũ et cauſat ipſũ. Triſtitia tamẽ ſequitur timorẽ mali & præcedit irã, ſed cũ ira inſurrexerit cõtra malũ imminens,

 ſi uincit

si uincit illud, gaudium generatur in appetitu, & sic tandem terminatur ad gaudium. Itaq; spes ad gaudium terminatur, desperatio autem ad tristitiam, quia non habere bonum desideratum reputatur etiam malum, & similiter timor si succumbit malo, & audacia & ira terminantur ad tristitiam. si autem uincit malum, audacia & ira terminantur ad gaudium. Et sic tandem terminantur ad gaudiũ, uel ad tristitiam, itaq; passiones irascibilis sunt in medio inter passiones concupiscibilis, quæ important motum, & inter eas quæ important quietẽ, unde habent principium ab eis & in eas terminantur.

ubi su. ar. 2. *Amor est prima paßio in concupiscibili.* 12

Illæ enim quæ respiciunt bonum, sunt his priores quæ respiciũt malum, inter eas autem, quę respiciunt bonum prior est illa, quæ est aptitudo, ad bonum, quàm illæ, quæ tendunt ad bonũ, uel fruuntur bono adepto, hęc autem est amor. ergo amor est prima passio in executione, sed delectatio prima est in intentione, desideriũ autem est in medio, & hoc etiam modo ordinantur illæ, quæ malum respiciunt, prius odio habetur malum. secundo fugitur. tertio si imminet contristatur.

ubi su. ar. 3. *Spes est prima paßio in irascibili.* 13

Bonum enim quod respicit spes & desperatio est prius malo, quod respiciũt aliæ passiones irascibilis, sed quod recedatur à bono est per accidẽs respectu boni & per se inest ei quod ad ipsum accedatur, et ideo spes est prior desperatione, apti

tudo

tudo autem ad aliquid est prior ipsa consecutione, & ideo timor, & audacia, quæ consequuntur aptitudinem ad malum, quæ est odium. (respiciunt enim malum, quod potest imminere) sunt priores ira, quæ respicit malum iam imminens, sed quia fugere malum est per se, & ipsum prosequi est per accidens, ideo timor, qui fugit malum est prior audacia, quæ ipsum aggreditur: itaque spes est prima inter omnes.

14 *Paßiones irascibilis sunt inter paßiones concupiscibilis in uia generationis.* ubi su.

Hoc ex dictis patet, unde sic omnes possunt ordinari. primo enim sunt amor & odium. secundo desiderium & fuga. tertio spes & desperatio. 4. timor & audacia. 5. ira. 6. & ultimo gaudium & tristitia. ita tamen quod amor est prior odio. & desideriū fuga & spes desperatione, & timor audacia & gaudium tristitia, hæ ultimo loco ponuntur quia consequuntur ad omnes alias.

15 *Paßiones principales sunt gaudium & tristitia, spes & timor.* ubi su. ar. 4.

Principales ideo dicuntur quia sunt aliarum completiuæ. Et quidem gaudiū & tristitia sunt completiuæ & finales omnium passionum ut dictum est, spes autem & timor sunt completiuæ earum omnium, quæ tendunt in aliquid quasi futurū. respectu enim boni incipit motus ab amore, & procedit in desiderium, & terminatur in spe, respectu uero mali incipit in odio, & procedit in fugam, & terminatur ad timorē. ira autem

non est principalis, quia est quasi quidã effectus audaciæ, quę non potest esse principalis, quia tendit ad malum. quod quidem tendere, non potest esse nisi per accidens. quod autem est per accidẽs non potest principale esse.

12.27.1. *Bonum cognitum est obiectum & causa amoris.* 16

Cum enim amor ad appetitiuam potentiam pertineat, quæ est uis passiua, ad quam cõparatur obiectũ eius, ut causa motus, oportet quod idẽ sit causa amoris & obiectũ. obiectũ aũt amoris est bonũ sicut & appetitus. Amor enim importat quandam cõnaturalitatem, uel complacentiam amantis ad amatum, unicuiq; autem est bonum id quod est sibi connaturale & proportionatum, quia uero bonum non est obiectum appetitus, nisi sit apprehensum, ideo ad amorem requiritur cognitio. Et sic cognitio est causa amoris sicut et bonum, quia non potest amari nisi cognitum.

ubi su. ar. 3. *Similitudo est causa amoris.* 17

Similitudo enim est rerum differentiũ eadem qualitas uel natura. si ergo sit eadem in duabus rebus actio, causabit amorẽ amicitiæ, quia sunt illa quodãmodo unum. si autem una res habeat id in potentia, quod altera habet actu, causabit amorem concupiscentiæ, quia est propter suum utile, uel delectabile, quia id, quod est in potentia, in quantum huiusmodi desiderat actum tanquam bonũ sibi. uerũ aliquando similes se odiũt per accidens, inquantum, scilicet unus est impeditiuus boni alterius. unde figuli corrixantur adinuicem & inter superbos semper iurgia sunt.

Vnio

18 *Vnio est effectus amoris.* 12.28.1

Vnio enim realis amantis & amati procedit ex amore, qui mouet ad desiderandum & quærendum amatum. Verum unio, qua amans afficitur rei amatæ apprehendens amatum, quasi aliquid pertinens ad bonum suum, uel uult ei bonum, quasi sit alter ipse, cum non sit realis, non est effectus amoris, sed est potius ipse amor, qui est nexus duorum.

19 *Mutua inhæsio est effectus amoris.* ubi su. ar. 2.

Amans enim dicitur esse in amato dum nititur ipsum non solum cognoscere superficialiter, sed etiam singula eius disquirere, & eo perfecte frui, uel inquantum reputat bona uel mala amici quasi sua, reputans se esse quasi ipsummet amatum. Amatum autem est in amante in quantum immoratur in apprehensione amantis, & est in eius complacentia & affectu, dum delectatur in eo, uel in bonis eius. Et sic patet, quod unum est in altero. & quantum ad uim apprehensiuam, & quantum ad uim appetitiuam.

20 *Amor ponit amantem extra se.* ubi su. ar. 3.

Amor enim facit amantem cogitare de amato & ad ipsum per appetitum ferri. & sic ponit amantem extra propriam cognitionem & extra se dum exit ad alterum. In amore tamen concupiscentiæ reuertitur ad se ipsum. quia bonū quod amat, tali amore uult sibi.

21 *Zelus ex intensione amoris causatur.* ubi su. ar. 4.

Est enim zelus quædam iugis attentio ad

expellendum ea, quæ repugnant quietæ fruitioni rei amatæ. manifestum est autem, quod quanto aliquid intensius amatur, tanto intensius in illud tenditur: & per consequens fortius eius contrarium repellitur. amoris ergo intensio est causa zeli. ex qua intensione etiam prouenit quandoque
ar.5. quod amor sit læsiuus, scilicet propter excellentiam immutationis corporalis.

Vbi su. ar.6. *Amans omnia agit ex amore.* 22

Omne enim agens agit propter finẽ aliquem. finis autem est bonum amatum & desideratum unicuique. manifestum est ergo quod omne agens quodcunque sit illud: agit quamcunque actionem ex aliquo amore.

12. 29. 1. *Obiectum odij est malum apprehensum.* 23

Contrariarum enim passionum sunt contraria obiecta. amoris autem obiectum est bonum apprehensum, quia consistit in quadam consonantia cum eo. ideo obiectum odij quod in dissonantia consistit, est malum apprehensum.

Vbi su. ar.2. *Sine amore non potest esse odium.* 24

Odium enim consistit in dissonantia & amor in consonantia, oportet autem prius considerare quid alicui cõueniat quàm quid ei repugnet. non enim aliquid repugnat, nisi quia est impeditiuũ, uel corruptiuum conuenientis, & ideo amor est prior odio, & dicitur esse causa odij. licet enim sint contraria, quando sunt circa idem, non tamen quando sunt de contrarijs sed sic se inuicem consequuntur & amor est causa odij.

Amor

25 *Amor est fortior odio.* *Vbi su.ar.3.*

Causa enim est fortior effectu, sed amor est cã odij. sine qua non esset odium. praeterea fortius tẽdit aliquid ad finem, quàm ad ea, quae sunt ad finem. Recessus autem a moto ordinatur ad consecutionem boni sicut ad finem. Et ideo amor est fortior odio. Quod autem dicitur aliquãdo quod odium est fortius, est propter hoc quia non comparatur odium ad amorem sibi correspõdentem, sed ad amorẽ minorem illo amore, qui odio correspondet, ut cum dicitur quod odium doloris est fortius amore uoluptatis, quia amor suae conseruationis, qui correspondet odio doloris, est maior amore uoluptatis.

26 *Concupiscentia est passio specialis concupiscibilis.* 12.30.1.2.*eth. cap.x*

Secundum enim diuersitatem obiecti diuersificantur passiones. diuersitas autem obiecti potest attendi, uel secundum naturam ipsius, uel secundum diuersitatem in uirtute agẽdi. Delectabile igitur secundum sensum, quod est obiectum appetitus sensitiui, inquantum sibi appetitum adaptat causat amorem. inquantum uero absens attrahit ad seipsum, causat concupiscentiam, inquãtum uero presens quietat in seipso, causat delectationem. Concupiscentia ergo est passio specialis, cuius obiectum non est delectabile absolute, sed inquantum est absens. oppositum autem concupiscentiae est innominatum, nisi quod dicitur fuga, cuius obiectum est malum, uel tristabile absens, pro qua passione aliquando ponitur timor, sicut etiam quandoque loco spei ponitur cupiditas.

ditas. 26

1.eth.c.11. 12.34.1. *Delectatio est passio quædam & motus.* 27

Quamuis enim post consecutionem boni cesset motus executionis in appetitu quo ad finem tendit, non tamen cessat motus appetitiuæ partis qua appetitus delectatur in bono adepto. Et iste motus dicitur delectatio.

ubi su. ar. 2,10. eth.c.2,4. *Delectatio secundum se non est in tempore.* 28

Delectatio enim est in bono iam adepto, unde est quasi terminus motus: & non sicut generatio, uerum si illud bonum adeptum transmutationi subiaceat. erit delectatio per accidẽs in tempore. si aũt sit omnino intransmutabile delectatio nec per se nec per accidens erit in tempore, & licet sit motus quidam, non tamen est motus imperfecti qui est in tempore, sed motus perfecti, qui non est in tempore.

3.eth.c.12. 12.31.6 *Delectationes secundum tactum sunt potentißimæ.* 29

Nam est cognoscitiuus eorum, ex quibus consistit animal, scilicet calidi & frigidi, humidi & sicci. unde huiusmodi delectationes sunt maiores cęteris, quasi fini propinquiores. præterea ad huiusmodi delectationes ordinantur concupiscẽtiæ naturales, id est concupiscentiæ cibi: et uenereorũ quæ magis sequuntur naturam, quàm apprehensionem. Id autem, quod est naturale in unoquoque est potentissimũ, uerum est tamen quod delectationes uisus sunt potiores, inquantum consyderatur uisus prout deseruit intellectui.

Sed hæc delectatio pertinet ad hominem inquan tum est homo. Animalia enim bruta non delectantur secundum alios sensus, nisi in ordine ad sensibilia tactus.

30 *Delectatio delectationi potest esse contraria.* 12.31.8, 10. ethi c. 5.

Quietes enim quæ sunt in contrarijs terminis sunt contrariæ, sed delectatio est quædam quies, ergo si sit in contrario bono ad alteram erit ei contraria.

31 *Dolor delectationi contrariatur.* ar. 2. 3. 4.

Dolor a tristitia differt, quia dolor sequitur exteriorem apprehẽsionem mali, tristitia autem interiorem, sicut delectatio sequitur exteriorem apprehensionem boni, gaudium uero interiorem. Dolor igitur est contrarius delectationi, quia habet contrarium obiectum obiecto delectationis, huius quidẽ est bonum adeptum, illius uero malum, & sic etiam tristitia & gaudium sunt contraria, non tamen omnis dolor, uel tristitia cõtrariatur omni delectationi, & omni gaudio. oportet enim quod sint de eodem, gaudere enim de bono, & tristari de malo non sunt contraria, sed idem reputari bonum sibi ab uno, & delectari in eo, & ab altero reputari malum & tristari de eo sunt contraria.

32 *Spes & desperatio in brutis inueniuntur.* 12.40.3

Hoc enim deprehendimus exteriori motu eorum. Nam si canis uidet leporem a longe nimis, non mouetur ad ipsam, quasi desperãs se posse eam adipisci, si autẽ sit in propinquo, mouetur quasi

quaſi ſub ſpe adipiſcendi, et ſic etiam facit accipi-
ter, et multa alia animalia, et q̃uis non cognoſcāt
futurum, tamen quodam inſtinctu naturali mo-
uentur ad ipſum. obiectum.n.ſpei eſt bonum fu-
turum arduum poſſibile adipiſci.

12.41.2.3.ite42
1.2.2.æth, cap.5 *Timor eſt ſpecialis paßio animæ.* 33

Habet enim ſpeciale obiectum. hoc autem eſt
malum futurum difficile, cui reſiſti non poteſt. et
ſi timor eſt de malo corruptiuo, quod natura refu
git propter naturale deſyderium eſſendi, dicitur
timor naturalis. ſi aũt eſt de malo, quod nõ repu-
gnat naturæ, ſed deſyderio appetitus, talis timor
non eſt naturalis. Et hoc modo etiam amor dici-
tur naturalis, & concupiſcentia & delectatio. Ti
mori autem contrariatur audacia: ſicut.n. timor
refugit nocumentum futurum propter eius uicto
riam ſuper ipſum timẽtem, ita & audacia aggre-
ditur periculum immĩnẽs, propter uictoriam ſui
ſuper ipſum periculum.

12.46.2. *Obiectum iræ non eſt ſolum malum.* 34

Motus.n.iræ tendit in duo.ſ.in ipſam uindictã
quam appetit, & ſperat, ſicut quoddam bonum,
unde et de ipſa delectatur, et in illum de quo quæ-
rit uindictam, ſicut in contrarium & nociuum,
quod pertinet ad rationem mali. De paſſionibus
ergo ſenſitiui appetitus breuiter hæc diximus in
hoc loco ſperantes diffuſius dicere quando de ap-
petitu rationali; id eſt de uoluntate tractabimus,

tunc

tunc enim ea, quæ restant dicenda poterunt melius intelligi.

Explicit liber duodecimus de appetitu sensitiuo.

Postilla in librum duodecimum.

POstquã dictum est de anima sensitiua quo ad partẽ cognitiuam hic agitur de illa quo ad partem appetitiuam, nam appetitus sequitur cognitionem, & quia consyderatio communis precedit specialem prius agitur de appetitu sensitiuo & actibus eius in communi deinde in speciali. Circa primum duo principaliter facit author. primo enim agit de appetitu sensitiuo, præmittens diffinitionem appetitus in communi in prima conclusione, et eius diuisionem in secunda. hæc enim sunt tanquam duo principia ad sequentia, & declarans obiectum appetitus sensitiui in tertia, et eius distinctionem in quarta. secundo agit de actibus eius in communi quæ sunt passiones, primo ostendens utrunque appetitum, scilicet tam irascibilem quàm concupiscibilem habere suas passiones in quinta, & illas esse diuersas in sexta. secundo docens, quæ sint passiones concupiscibilis in septima, & quæ irascibilis in octaua. tertio comparans illas inter se, & quo ad contrarietatem in nona, & decima, & quo ad ordinem quem prius põnit inter passiones utriusque appetitus in undecima, deinde inter passiones concu-

piscibilis

piſcibilis in duodecima, & inter paſſiones iraſcibilis in tertiadecima, deducẽs ordinem omnium ſimul in quartadecima, & quæ ſint principales inter eas in quintadecima. Circa ſecundum ſimiliter duo facit, primo agit de paſſionibus concupiſcibilis. (ſunt enim priores) & incipiens a prima. primo agit de amore et declarat eius obiectũ in ſextadecima, cauſam in decimaſeptima, & effectus plures in decimaoctaua, uſque ad uigeſimamſecundam, & quia oppoſitorum eſt eadem diſciplina, ſubiungit de odio quod opponitur amori, declarãs eius obiectum in uigeſimatertia, & comparans ipſum amori, quo ad eſſe quidem in uigeſimaquarta, & quo ad efficaciam in uigeſimaquinta. ſecundo agit de ſecunda, ſcilicet concupiſcentia, & eius oppoſito, ſcilicet fuga in 26. tertio de tertia, ſcilicet delectatione, declarans eius naturam in 27. & 28. & comparans delectationes inter ſe, quo ad principalitatem ſiue maioritatem in 29. & quo ad contrarietatem in trigeſima, ſubiungens de oppoſita illi. ſcilicet triſtitia uel dolore in 31. poſtea agit de paſſionibus iraſcibilis, & primo declarat eius primam combinationem in 32. ſecundo ſecundam in 33. tertio ultimam paſſionem eius quæ non habet contrarium ſcilicet iram in 34.

Incipit

INCIPIT LIBER TERTIVSDECIMVS DE PRINCIPIO MOTIVO ANIMALIVM SECVNDVM MOTVM LOCALEM.

1 *Principium motiuum secundum locum in animali non est potentia uegetatiua.* 3.d'aia.t.c.44

Motus.n.localis in animal b. est propter aliquid imaginatum, uel desyderatum, imaginatio autem & desyderium non cõpetunt parti uegetatiuæ, ergo aliter sequeretur quod plantæ mouerẽtur motu locali a seipsis, quod est falsum: habent enim potentiam uegetatiuam.

2 *Nec hoc principium est potentia sensitiua inquantum huiusmodi.* t.c.45.

Sic.n. omnia animalia mouerent seipsa motu locali, quia omnia habẽt animam sensitiuam. Et hoc etiã est falsum, nõ est igitur potẽtia sensitiua.

3 *Appetibile apprehensum est primum, quod mouet animal localiter.* t.c.49.54

Non.n. mouetur animal nisi aliquid appetat, nihil autẽ appetit nisi illud apprehendat per phãtasiam uel intellectum, sed de intellectu posterius est tractandum. appetibile ergo apprehensum est primum mouens in isto motu.

Potentia

5.t.prĩa 78.1.q̃r tum. *Potentia motiua est uirtus quá animal mouetur immediate,* 4

Motus enim localis est diuersa operatio ab operatiõe appetitus. Et ideo oportet quod assignetur huic operationi aliqua uirtus uel potentia, a qua immediate procedat, hæc autẽ est uirtus motiua, quæ dicitur esse in musculis tanquam in organo, uel in uenis, sed primum in corde, ergo, &c. cætera.

3.d'aĩa t.c. 54. d' motib.ani. *Diuersimode a diuersis mouetur animal.* 5

Ab appetibili enim mouetur animal tanquam trahente appetitum, a phantasia uero tanquam a dirigente & bonum ostendente, ab appetitu autem tanquam ab imperante motum, a potentia uero motiua tanquam ab exequente, a corde autem tanquam ob organo potentiæ motiuæ.

Licet omnia ista sint diuersa numero, sunt tamen unũ mouens specie. 6

Vbi su. Omnia enim suscipiunt quodammodo rationem & speciem primi mouentis, id est appetibilis. nam potentia apprehensiua mouet ut præsentans ipsum appetibile. appetitus autem, quia appetit illud idem. Potentia uero motiua, quia tendit ad illud. Cor autem, quia est organum mouẽdi ad illud. Et sic patet, quod omnia mouent, quodãmodo sicut appetibile quia omnia aliqualiter suscipiunt rationem illius.

5.t.opu.35 *Motus cordis non est ab anima nutritiua.* 7

Eius enim est generare, augmentare et nutrire non

non autem localiter mouere. Motus autem cordis est motus localis, ergo non est ab anima uegetatiua, aliter in plantis esset motus localis.

8 *Nec est ab anima sensitiua per appetitum.* *ubi su.*

Quia motus cordis animalium non subiacet imperio appetitus, aliter possemus imperare cordi, ut quiesceret, ergo non est ab appetitu.

9 *Nec est à calido generato per fluxum & refluxum spirituum uitalium.* *ubi supra.*

Quia motus cordis est magis causa illius caloris. primum enim quod mouetur localiter in animali est cor, unde est causa omnis motus localis in animali, & per consequens cęterorũ motuum. Calor enim non est causa motus localis nisi per accidens. Cor enim se habet in animali, sicut coelum in uniuerso, primus autem motus in uniuerso, qui est causa omnis motus, est motus localis, & motus coeli. igitur & primus motus in animali est motus cordis, non ergo causatur ab illo calore.

10 *Nec est à causa uniuersali tantum.* *ubi su.*

Quia omne naturale habet in seipso principiũ motus et quietis, motus autem cordis est animali naturalis, non igitur tantum à causa uniuersali, aliter aliquando cessaret moueri. sicut aliquando deficit fluxus & refluxus maris, quia est à causa uniuersali tantum.

11 *Nec est motus uiolentus.* *ubi su.*

Quia nullum uiolentum et extra naturam con

seruat naturam, sed motus cordis conseruat animal, quia illo cessante, animal periret, non potest ergo esse uiolentus.

ubi su. *Motus cordis est naturalis.* 12

Cum enim non sit uiolentus, nec animalis, id est ab anima sensitiua per appetitũ, sequitur q̃d sit naturalis. Et rationabiliter hoc dicitur quia omnis motus animalis & hominis habet principium naturale, nam & principia scientiarũ sunt naturaliter nota. Ex quibus ratiocinando deuenit in cognitionem conclusionum. Et appetitus finis, à quo omnes alij motus appetitus procedunt est naturalis, & ideo etiã motus localis eius habet principiũ naturale, quod est motus cordis, uerum est aliter naturalis quàm motus grauium & leuium, quia est ab alia forma.

de/mo.ani.opu= cu.ubi supra. *Motus cordis est ab anima sensitiua inquantum est forma talis corporis.* 13

Non enim est inquantum apprehensiua uel appetitiua, quia non sequitur iste motus apprehensionem per se, nec per appetitum. sequitur ergo animam inquantum est forma talis corporis, id est corporis habentis tales dispositiones, in quo est cor, cuius est forma principaliter, ad quam sequitur iste motus, sicut ad formam grauis sequitur descendere deorsum, & ad formam leuis moueri sursum. Et sicut ad formam ferri sequitur motus ad magnetem, sicut autem composita quædam ascendunt sursum propter similitudinem, quam habent cum igne, uel aëre, & quædam deorsum,

orsum, propter similitudinem, quam habent cum terra, ita hoc modo mouetur cor propter similitudinem, quam habet cum cœlo, quia habet etiam formam nobiliorem cæteris formis sicut & cœlum.

14 *Motus cordis est similis cælo.* *ubi su. 3. de animat.. 55.*

Est enim aliqualiter circularis, quia est secundum pulsum & tractũ ab eodem ad idem, & est etiam aliqualiter continuus, licet in his deficiat à cœlo, nec est inconueniẽs, si uideatur moueri motibus contrarijs, quia cum non possit assimilari totaliter cœlo, assimilatur ei quantum potest.

15 *Inuoluntarij sunt motus cordis, & motus membri pndendi.* *opuscu. ubi su. de mot. an. secunda secũde 151. 4*

Non enim mouentur ista duo membra iussu rationis seu uoluntatis, sed aliquando etiam contra uoluntatem, & aliquando per uoluntatem, inquantum intellectus et phantasia repręsentant aliqua, ex quibus consequũtur passiones animæ, ad quas consequitur motus horum membrorum itaq; ad motus eorum requiritur aliqua alteratio naturalis, id est caliditatis, uel frigiditatis, quæ non subiacet imperio rationis. Et tamen aliquando potest imperare uoluntas, inquantum potest imperare phantasiæ, ut talia cogitet, quibus excitentur passiones ad hos motus faciendo;, & aliquãdo eam diuertere à tali cogitationé ne hic motus sequatur, licet etiã aliquando non obediatur ei ex aliqua causa. Qualiter autem alia membra uel aliæ potentiæ obediant uoluntati, inferius

 dicetur.

dicetur. Nunc autem postquam de principio motiuo, quo animalia localiter mouentur, dictum est, quædam de quibusdam animalibus per modum historiæ ad utilitatem scripturarum subiungamus.

Alb. lib. 22. de ani. ubi et de infra scriptis quadrupedibus.

Leo. 16

Est animal gaudens, liberale, communicatiuum prædæ, indignatur prouidere in crastinum, aliquãdo parcit petentibus ueniam, scorpionem timet & gallum album, rex est animalium, & omnium fortissimus.

Vnicornis. 17

Est animal in montibus & desertis habitans, longum cornu gestans in fronte, quod ad saxa limat, & cum ipso etiam perforat elephantem, nec timet uenatorem & dicitur quod uenatur uirgines puellas, & quod ipsis uisis mansuescit.

Vrsus. 18

Est animal in brachijs forte et debile in capite & comedit carnes et herbas, & mel & fructus arborum, & habet anhelitum fœtidum.

Elephas. 19

Est animal castum, forte & magnum habens ossa pulchra, & nares longas, longosq; dentes duos de ore egrediẽtes, et est ualde disciplinabile.

Tigris. 20

Est animal miræ uelocitatis & ferocitatis, uncorum unguium, & acutorum dentium, & fœmina à uenatoribus deluditur cum speculis, Respiciens enim proiecta à uenatoribus putat imaginem

ginem apparentem esse filiũ suum, et ibi immoratur, et sic fugiunt uenatores filios deportantes.

21 *Panthera.*

Est animal totum uarietate distinctum, infestum draconi, à quo fugit draco.

22 *Pardus.*

Est animal præceps in sanguinem, saltibus potius quàm cursibus consequens, simile pantheræ & aliquoties inter frondes & fructeta latẽs grassatur in aues suæ uelocitati confidens.

23 *Lynx.*

Est animal perspicax oculis, linguam habens serpentinam & uelox saltu.

24 *Ceruus.*

Est notum animal, quod agitatum magis fugit ad uias hominum publicas, q̃ ad latibula, ne sua occulta prodantur. Et docet filios suos currere per fructeta ne cornibus capiantur.

25 *Capreolus.*

Est animal acuti uisus & uocis debilis.

26 *Dama.*

Est animal magnitudinis capræ cornupetũ, et est uelox cursu.

27 *Damula.*

Est bestiola parua & debilis, præda aliorum animalium.

28 *Aper.*

Est bestia syluestris sæua armis dentiũ ad impugnandũ armata, et spissæ pellis ad defendendũ.

Istrix. 29

Est animl, quod uulgariter dicitur el porco spinoso de genere ericij latens æstate, & de cauernis hyeme prodiens grauis iræ in dorso longas habens spinas, quas ad libitum aliquando in canes & homines iaculatur.

Ericius. 30

Siue Erinacius, uel Corogulus est animal spinosum in cauernis habitans timens uentos, propter quam causam duo siue quatuor facit in antro ostia, ut fugiat uentum unde spirat.

Glis. 31

Est animal, quod succo pomorum uescitur, & dormit tota hyeme, & dormiendo pinguescit, & æstate uigilat.

Ibex. 32

Est animal de genere capræ maius hirco, uastis cornibus capite ita ut cadens de rupibus totũ corpus cornibus excipiat & scindit ualde rupes.

Lamia. 33

Est animal magnum & crudelissimum nocte syluis exiens, & hortos intrans, dissipat omnia, & homines morsibus uulnerat.

Pilosus. 34

Est animal compositum ex homine superius & inferius ex capra, sed córnua habet in fronte et est de genere simiarum & aliquoties incedit rectum & efficitur domitum.

Bubalus

35 *Bubalus.*

Est animal fortissima habens crura, & cornua longa, cuius omnis defensio est in fixione ungularum, & conculcat ea, quibus nocet, nec de facili insequitur extra uiam rectam.

36 *Onager.*

Est asinus ferus zelotypus, quem cum insequuntur canes dicitur emittere stercora odorifera & delectabilia canibus, ut eos detineat & hominum frequentiam fugit, & sitis impatiens, aquam limpidissimam quærit ad potandum, libidine excitatus in rupibus stat, attrahens uentum ad temperandum libidinis calorem.

37 *Taurus.*

Est animal notum: ualde ferum & cornibus pugnans extra armenta semper solitarie, non longe tamen à uaccis pascens, si autem castratur, efficitur aptus iugo & diligit tunc socium secum ferentem iugum & pascitur simul cum eo.

38 *Canis.*

Est animal notum fidele domino suo, ita ut etiã à mortuo uix separetur, & mortem aliquando pro domino subeat, optimi est odoratus. Curare uulnera sua & aliena dicitur lingua eius, & si lingua tangere non potest pede saliua infecto locum læsum tangit & sanat.

39 *Vulpis.*

Est animal dolosum, quod cum canis insequitur caudam per os canis huc illucq; deducit illudens eum, & est animal fœtidum ore.

Aquila uel Herodius. 40

Alb. de an. li. 23. ubi de omnibus auibus infra scriptis. Tres habet acuitates, scilicet, iræ, uisus & instrumentorum uenandi, unde in rotam solis dicitur aspicere & altissime uolare & fertur etiam quod rostrum nimis aduncum, & ungues ad lapidem deponit in senectute.

Accipiter. 41

Est auis rapax & iracunda propter quod solitarie uolat, singulis annis plumas nouat.

Bubo. 42

Est auis de nocte ambulans & de die latens in antris, nam quãdo de die apparet ab alijs auibus deplumatur, & ideo ab aucupibus ponitur iuxta retia ad capiendas cæteras aues.

Ciconia. 43

Est auis nota, fortissima rostro, serpentes non uenenatos comedens, latens hyeme, & non est compertũ ubi lateat, falsum est autem quod hyeme recedat ad partes orientis, cum sit auis frigida, & frigido utens cibo et uiscoso, & climata ab oriente ad occidentem sint eiusdem complexionis in frigore & calore. nullum enim remedium ex hoc sentiret, latet ergo tempore generationis phlegmatis, ut superfluitates uiscosas digerat sicut & alia quædam animalia.

Coruus. 44

Est auis nigra & clamosa, quæ aliquando aliquem filiorum eijcit de nido tædio nutriẽdi: dicitur etiam quod in principio uidẽs eos albos, derelinquit donec nigrescant.

Alauda.

45 *Alauda.*

Auicula est musica, quæ sereno & calido congaudet tempore, multæ modulationis, quæ prænunciat æstatem & auroram.

46 *Calandris.*

Est auis multæ modulationis & quasi nihil aliud requirit nisi cantare.

47 *Cornix.*

Est auis generis coruini, in quo genere mas fœminam suis ouis incubãtem pascit, & diu fœtum insequitur iam uolantem, ut pietate pascat, infesta est auibus rapacibus.

48 *Columba.*

Est animal fœcundum non habẽs in epate fel, non lædens rostro, granis pascitur & gregatim uolans, gemitum pro cantu habet.

48 *Coturnix.*

Statim comedit cum exijt de ouo, hyeme latet, et multi mares unam fœminam insequuntur, et dicitur diligere semẽ herbarum uenenosarum, & ideo uetatur a nonnullis.

50 *Regulus uel cochrilus.*

Est auis minima omnium corpore, sed ausu magna, ita quod contra aquilam pugnare conatur, solitaria uolat, & cantat tempore magni & sicci frigoris: & si in ueru paruo deplumata ad ignem ponatur, girat semetipsam.

Falco

Falco. 51

Est auis rapax, quæ cito mouetur in prædam, & dicitur plus audere quàm possit.

Grifus. 52

Est auis in capite & rostro & alis & pedibus, interioribus, in posteriori uero parte imitatur leonem, infestus est hominibus et equis, & habitat in montibus hyperboreis, ubi dicitur esse aurum & gemmæ, & maxime smaragdus.

Grus. 53

Est auis, quæ ordine literato cũ alijs uolat flatibus uentorum se committit, ducem constituit & custodem in castris, qui leuat lapidem in pede ut casu eius excitetur, qui si cadit omnes clamant quasi ipsum redarguendo, et se inuicem diligunt.

Gallus. 54

Facile aure sentit mutationes ex motibus solis contingentes, & ideo cantu horas distinguit, & nocte canens se erigit & percutit, alis excutiens se ut uigilantius cantet.

Gallina. 55

Vltra modum diligit fœtum suæ speciei, & non ei est cura cuius sint oua quæ fouet, clamore accedit ad nidum, & clamore recedit, & si agitetur & persecutionem patiatur, cum securitatem accæperit perficit cantum. Dicitur autem quod illa die cum ouum fecerit, a serpente percuti non potest, & caro eius percussis est medicina.

Ibis

56 *Ibis*

Est auis magna in Aegypto iuxta Nilum Ciconiæ naturam imitans, & pugnat cum serpente q̃dam, qui etiã ibis uocatur, sed declinatur Ibis i-bis, & potest in omne uenenosum & oua serpentis pro desyderatissimo cibo fert pullis suis, & ideo caro eius est uenenosa.

57 *Irundo.*

Est auis garrula, bis in anno ouans indomabilis, licet Albertus dicat se uidisse domitas, & ad manus uolantes, & custodit tempus aduentus sui, uolando cibum colligit, & est optimi uolatus.

58 *Miluus.*

Est auis, quæ carnibus & pulliculis domesticis insidiatur & cadauerib. timida et poda grosa.

59 *Larus.*

Est auis de genere milui, tam in aqua natãs quàm in aere uolans.

60 *Merula.*

Est auis modulatrix, & cantat tempre uerno, sed hyeme balbutit.

61 *Mergus.*

Statim de ouo exiens nutrit seipsum, et dicitur ꝙ tempore tẽpestatis ad litus maris se confert ipsam prenuncians.

62 *Noctua.*

Est auis uaria crura habens plumosa, caput ingens, rostrum curuum, nocte uolans solis fulgorem

rem

Pelicanus. 63

Dicitur quia habet pellem, id est pennas canas & duo sunt genera pelicani, unum aquaticum, quod piscibus delectatur, et unum terrestre, quod serpentibus uiuit, & dicitur delectari lacte cocodrilorum, et pullos sibi infestos interficere, & deplanctos aliquandiu, sanguine quem de pectore elicit, ad uitam reuocare, & eodem modo eos uiuificare a morsu serpentis.

Parphyrion. 64

Auis est unum habens pedem anserinũ ad natandum, et alium diuisis digitis, et pede hauriens aquam bibit, & cibum capit pede, et in omni bolo bibit.

Pauo. 65

Auis est pulcherrima, incessum habens simplicem, uocem sonoram & terribilẽ, & sua pulchritudine gaudet, fœmina ab eo abscondit oua, quia nimio desyderio fouendi occupat & frangit, caput, habet paruum & serpentinum.

Perdix. 66

Est auis fraudulenta, aliena oua rapiens & fouens, debilis uolatu, & se obijcit persequenti, ut dum eam insequitur a nido abstrahatur, & sic auolat.

Pica. 67

Nidum facit exterius spinatum & tectum & duo foramina in lateribus oppositis ad intrandũ

& exeundum, & frequenter habet duos nidos ut aspicientes decipiat.

68 *Passer.*

Auicula est multi coitus & nidificat in tectis & parum uiuit.

69 *Passer solitarius.*

Est auis musica, parua, & cum nullo sui generis congregatur, nisi tempore generationis, habitat in parietibus, & cum alijs passeribus se iungit despiciens suum proprium genus.

70 *Philomena.*

Auis est miræ modulationis, quæ amat cantus dulces.

71 *Psytachus.*

Auis est uiridis & disciplinabilis, quę discit loqui, & amat pluuias.

72 *Structio.*

Pennas habet & uolare non potest, sed alis extensis citat cursum, & ferrum comedit, oua in sabulo abscondit, quę cum calore solis egrediuntur ad ea amplius non reuertit, quia nuda fouere non potest: et aliquando custodit ea, et respicit locum & hinc rumor exiuit, quod oculo fouit ea.

73 *Turtur.*

Solitaria est, secundum coniugem non admittens, inter omnes aues patientissima, genitum

pro

pro cantu habens, & nutrit uernum tempus aduentu suo.

Vespertilio. 74

Volat uespere in rimis umbrosis, aut cauernis habitans, & non habet pennas.

Vlula. 75

Est ab ululatu dicta fugiens lucem.

Vpuppa. 76

Est auis hyeme dormiens & muta, in uere autem clamosa, & dicitur quod de stercore hominis nidum facit.

Vultur. 77

Est auis magna & grauis, sequens cadauera, & sentit odorem a longe, & dum exercitum & homines sequitur, dicitur prognosticari futuram stragem & pestilentiam.

Anguilla. 78

Piscis est, habens anguis similitudinem, & est magnæ humiditatis, in tonitru natat de fundo ad superficiem. timēs in hyeme latet in limo, diu uiuit etiam diuisa & delectatur aqua clara.

Cetus. 79

Piscis est magnus, cuius fœmina balena uocat, tā nimię magnitudinis, ut insulis ęquiparetur.

Crocodilus. 80

Piscis est de nocte stans in aqua, de die propter pastum egreditur ad terram, & pigrum est animal infestum bubalis &, cum potest interficit hominem.

Canis

81 *Canis.*

Eſt piſcis mordax: & cum multis de genere ſuo uenatur alios piſces.

82 *Cæruleum.*

Piſcis eſt habens brachia ſæua, et rapit beſtias in profundum.

83 *Delphinus.*

Ambulat gregatim, & tempeſtatis tempore de fundo aſcēdit ad ſuperficiem, gaudet muſicis, & delphini ſe inuicem diligunt.

84 *Margaritæ.*

Sunt de genere oſtreorum, duræ teſtæ, quæ ſi ueniāt ad litus rore cœli concipiunt margaritam rotundam, & habitant in conchis.

85 *Purpuræ.*

Sunt conchæ marinæ, quæ uerno tempore per rorem hauſtum liquorem pretioſum ſpumant, quo purpuræ regum tinguntur, fœtidis odoribus delectantur.

86 *Sirena.*

Monſtrum marinum eſt, & figuram mulieris ſuperius habens, longis mammis, fœtus lactans facie horribili, & crine longo & ſoluto, aquilinis pedibus, alas habens & caudam ſquamoſam, qua regitur ad natandum, ſibilos habet dulces, quibus audientes ſoporat, et ſoporatos dilaniat, ſed prudentius auribus obturatis tranſeunt, & auolāt.

Teſtudines

Testudines.

Habet indicum mare ita latas testas habentes quæ hominibus sufficiant ad hospitium, & sunt durissimi oris, ita etiam ut lapides comminuant.

Alb. d'an. li. 25. ubi de oĩbus serpentib. infrascriptis.

Aspis. 87

Serpẽs est qui uenena morsu diffundit, et mortuo compare insequitur interfectorẽ etiam inter turbas hominũ. Et dicitur quod habet lapidem pretiosum in fronte, quem obseruat ab incãtatore. Incantari enim se sentiens unam aurem terræ uel lapidi allidit, & alteram extremitate caudæ obturat.

Basilicus. 88

Est regulus qui est serpens, qui uidetur habere coronam in capite, flatu suo omnia adurens et interficiens & similiter uisu & sibilo, fugit mustelam, & dicitur quod cum mustellis interficitur, quia ipsæ interficiunt eum.

Cerastes. 89

Serpens est habens cornua octo in capite flexuosa, & absconditur in puluere, & passeres insidentes cornib. eius quasi festucis moriuntur ueneno, et similiter cætera animalia eum calcantia. Et dicitur quod cornu eius sudat ad præsentiam ueneni.

Draco. 90

Est serpens magnus cuius morsus parum in principio generat dolorem, postea uero inflammat

mat & adurit uentrem ita ut aqua non prosit.

92 *Idra.*

Est omnium serpentium pulcherrima de genere uiperarum.

93 *Salamandra.*

Est animal serpenti simile, & dicitur uiuere in igne si tamē, ut dicit Galenus, paruo tēpore moretur in eo, aliter adureretur quia nihil potest resistere contra naturam ignis.

94 *Vipera.*

Serpens est habens uenenum feruidum, & caput acutum & os dentatum.

95 *Buffo.*

Vermis est, cuius habitatio est sub terra humore terreno uiuens.

Alb. de ani. lib. 26. ubi de omnibus animalibus infra scriptis.

96 *Brucus.*

Est paruus fœtus locustæ, totum depascitur usq; ad radices nihil uiroris relinquens.

97 *Cynomia.*

Est musca canina eliciens sanguinem, & maximè insidiatur auribus canum.

98 *Cynifes.*


Sunt uulgariter dictæ zenzare, quæ de sero uolant & sunt hominibus importunæ.

99 *Culex.*

Ab aculeo dicitur, nam excutit sanguinem à pelle animalium & diligit Solem.

100 *Crabrones.*

Y Sunt



Sunt magnæ uespæ aculeos habentes ueneno-sos & facientes mel inutile.

Papiliones. 101

Rorē sugunt de floribus et hoc modo uiuunt.

Sanguisuga. 102

Dicitur la sanguitula, eo quòd sanguinem animalium sugat, est autem animal uenenosum, & ideo est purganda aqua & sale in olla noua.

Tinea. 103

De exhalatione corruptę lanę oritur & ipsam lanam & pilos corrodit.

Teredo. 104

Est uermis ligni de humore eius corrupto nascens & perforat lignum & exit.

Apis. 105

Est animal notum claro tempore euolat et nubilo manet ad aluearis purgationem, excubias custodiunt apes, tunc quando examina egrediuntur, habent regem, quem sequuntur maiorem cæteris, et aculeo pungit, & secundum Auicennam aculeum in uulnere emittit. De anima sensitiua igitur & appetitiua & motiua & de brutis animalibus hæc sufficere putamus secundum præsentem intentionem.

Explicit liber tertius decimus de principio motus animalium.

Postilla

Quoniam anima sensitiua est principiũ non solum sentiendi & appetendi, sed etiam mouendi ipsum animal ideo post cõsiderationem eius quo ad partem cognitiuam & appetitiuã, sequitur consideratio eius quo ad partem motiuam. Circa quam tria principaliter docet auctor, primo enim agit de principio motiuo animalis secundum locum, secundo de motu cordis, & eius principio. tertio de quibusdam animalibus per modum historiæ. Circa primum horum primo remouet duo ab hoc principio, de quibus poterat esse dubium, in. 1. & 2. conclusionibus. secundo assignat et declarat duo principia huius motus, scilicet principale in 3. et secundariũ in 4. tertio quia diuersa concurrunt ad causandũ hunc motũ ostendit in 5. quomodo animal mouetur ab illis, & quomodo omnia reducuntur in unum in 6. Circa secundum principale primo remouet quatuor à principio talis motus de quibus poterat esse dubium in 7. 8. 9. & 10. secundo declarat qualitatem huius motus, remouens ab eo, uiolentiam in 11. et ostendens esse naturalem, in 12. hoc enim deseruit ad cognoscendum eius principium. tertio manifestat uerum principium eius in 13. quarto declarat duas conditiones eius, alteram sibi propriã, scilicet esse similem motui cœli in 14. alterã cõmunem sibi & motui membri pudendi, scilicet esse inuoluntarium in 15. Circa tertium principale seruat hũc ordinem, primo agit de animalibus terrestribus incipiens à rege

eorum, scilicet leone, à 16. usq; ad 39. secūdo agit de auibus incipiens à præcipua, scilicet aquila, à 40. usq; ad 77. tertio de piscibus à 78. usq; ad 87 quarto de serpentibus, ab 88. usq; ad 94. ultimo de quibusdā animalibus imperfectis, ab 95. usq; ad finem libri. ordinantur aūt hæ partes secundū dignitatem generum animaliū de quibus agitur.

INCIPIT LIBER QVARTVSDECIMVS DE INTELLECTV ET ANIMA INTELLECTIVA.

2. de aīa t.c.29. IN *homine est aliqua potentia cognoscitiua altior sensu.* 1

Experimento enim cognoscimus quod homo cognoscit uniuersalia, quæ nullo modo à sensu cognosci possunt, quia sensus cognoscit per species indiuiduales, cum recipiat species rerum sensibilium in organis corporalibus, unde, nec incorporalia sensu cognoscuntur, cum qualitates sensibiles, sine quibus sensus non cognoscit, solum in corporalibus inueniātur, homo tamen

3. de aīat.c.7. extenditur cognoscēdo usq; ad incorporalia. Præterea ab excellenti sensibili corrumpitur sensus, sed potentia in homine, qua cognoscit uniuersalia & incorporalia perficitur ab excellenti cognoscibili. ergo habet excellentiorem potentiam sensu, & hæc potentia dicitur intellectus.

Solus

2 *Solus homo in animalibus habet potentiam intelle-ctiuam.* 7.poli.

Potentia enim intellectiua se extendit ad diuersa & opposita, ut patet per experientiam, unideunus homo operatur diuersa & opposita ijs, quæ alius homo operatur: immo ferè nulli homines eadem operãtur. Et si eadem operentur, non tamen eodem modo, cętera uero animalia, quando sunt eiusdem speciei, eadem faciunt & eodem modo, quasi à natura mota ad determinatas & uniformes operationes, sicut omnis irundo facit eodem modo nidum, solus igitur homo habet istam potentiam, quæ est intellectus.

3 *Intellectus non idem est, quod imaginatio.* 3.de aĩa t.c. 7.

In brutis enim animalibus est imaginatio, ut in superioribus determinatum est, sed tamen in eis nullum opus intellectus apparet, ut dictum est: in homine autem apparent opera imaginationis, & intellectus diuersa, quia, ut diximus, intelligit uniuersalia & incorporalia, & diuersa diuersimode operatur, quod nullũ aliud animal facit. si enim imaginatio & intellectus essent idem, in brutis etiam esset intellectus, quod est falsum, ut dictum est. s.s.ibi.item.2. cõ.cap.66.

4 *Intellectus est potentia animæ, non autem essentia.* s.t.pria 79.ar.1

Ad idem enim genus entis pertinet potentia, ad quod pertinet actus, ad quem per se ordinatur illa potentia, nam potentia & actus diuidunt ens & quodlibet genus entis, si ergo intellectus esset essentia animæ, sequeretur, quòd intelligere esset

ſubſtantia & non accidens in homine, ſic homo ſemper eſſet in actu intelligendi, ſicut ſemper eſt in actu eſſendi. anima ergo non eſt immediatum principium intelligendi, ſed eſſendi, quia ſi eſſet immediatum principium intelligendi, idem eſſet in homine eſſe, quod intelligere, quia ita ſe habet eſſentia ad eſſe, ſicut potentia ad operari. In ſolo autem deo intelligere eſt eſſe, in quo ſolo eſſentia & eſſe ſunt idem et unum, eſt ergo intellectus, potentia animæ diſtincta ab eius eſſentia.

3. de anima t. c. *Intellectus eſt potentia paſſiua.* 5

2. 3. 14. 5. t. priũ 79. 2. Potentiam paſſiuam hic dicimus intellectũ, non quaſi aliquid proprie patiatur per motum naturalem, ſed quia recipit, unde paſſionem uocamus receptionem. Videmus enim quod intellectus noſter primo eſt in potentia reſpectu omnium intelligiblium, quia in principio nihil intelligit, & eſt ſicut tabula, in qua nihil eſt ſcriptum, poſtea de potentia reducitur ad actum, quando in ſeipſo recipit rerum ſimilitudines, unde noſtrũ intelligere eſt quoddam pati & recipere, & ob hoc dicitur intellectus potentia paſſiua.

prima ubi ſu. ar. *Neceſſe eſt ponere intellectum agentem.* 6

3. 3. de anima t. c. 17. 18. Nam cum non intelligamus niſi ſubſtantias rerum ſenſibilium, quæ non ſunt abſtractæ à materia, et cum materia, cum ſit potentia, impediat intellectum, ſequitur quod intellectus noſter, cum ſit immaterialis potẽtia, ut probabitur non poſſit moueri à ſenſibilibus ſecundũ ſe ſicut mouetur potẽtia uiſiua à coloribus indiuidualibus,

nam

nam recipiens & receptum debent esse proportionata, itaq; sensibilia non sunt secundum se intelligibilia in actu, sed solum in potentia. Cum ergo illud, quod est in potentia, fiat in actu per id quod est ens actu, oportet ponere aliquam aliam potentiam præter intellectum possibilem, quæ faciat ea, quæ sunt intelligibilia in potentia, esse actu, intelligibilia, hæc autem est intellectus agens. ergo.

7 *Intellectus agens est uirtus animæ.* *pria ubi su. ar. 4 5. 3. de anima ubi su.*

Natura enim non deficit in necessarijs & maxime in rebus naturalibus. sicut ergo cæteris rebus præter uniuersales causas agentes propriæ uirtutes sunt inditæ rebus, per quas possunt operari & perfici, ita etiam multo magis oportet dicere, quod in anima est uirtus quædam, per quam anima seipsam possit reducere in actum intelligēdi, hoc autem fit per hoc quod sensibilia fiunt actu intelligibilia, quod nullo modo fit, nisi quia à cōditionibus indiuiduantibus abstrahuntur, & fiunt uniuersalia, conditiones autem indiuiduantes per phantasmata intellectui offeruntur, seu appropinquant, & per uirtutem intellectus agentis similitudo uniuersalis resultat in intellectu possibili. sicut per lumen, quod est in medio resultat species coloris in pupilla: unde dicitur, quod intellectus agens est habitus, sicut lumen. Ex quo *3. de aia t. c. 18.* patet quod unusquisq; homo habet suum intellectum agentem, nisi quis uelit uocare intellectum agentem deum tunc erit unus intellectus communis agens in omnibus hominibus.

3.de aĩa t.c.1 *Intellectus agẽs differt realiter ab intellectu poßibili*

priã ubi sup. ar. t.10. Actus enim & potentia differunt realiter. intellectus autem possibilis est sicut materia & potentia. Agẽs uero sicut actus in cuius uirtute sunt oẽs species intelligibiles, unde actus eorũ sunt realiter differẽtes, multũ enim inter se distant abstrahere à phantasmatibus & recipere species intelligibiles. igitur & ipsi intellectus realiter differũt.

priã ubi su. ar.6. *Memoria est in parte intellectiua animæ.* 9

Voco autem nunc memoriam non illam, quę respicit præteritum inquantum præteritum. hoc enim modo solum est in parte sensitiua quæ cognoscit cum hic et nunc, sed dico memoriam conseruationem, uel potentiam conseruatricem earum specierum, quas recipit. Cum igitur unumquodq; recipiatur in aliquo secundum modum recipientis, & intellectus sit stabilis naturæ, & immobilis, multò magis quàm materia corporalis. si materia corporalis, formas quas recipit, retinet etiam postquam agere cessauerit, multo magis intellectus conseruabit species, quas recipit postquam intelligere actualiter cessauerit, & sic sequitur quod hoc modo in parte intellectiua sit memoria.

prima 79.7 *Intellectus poßibilis non differt realiter à memoria intellectiua.* 10

De ratione enim memoriæ est conseruare, intellectus autem possibilis conseruat id, quod recipit ut dictum est: unde non diuersificatur intellectus possibilis à memoria, cum respiciant idem

idem obiectum, et conseruare non sit contrarium ad recipere, quamuis autē intellectus possibilis, & intellectus agens respiciant idem obiectum formaliter, tamen differunt realiter quia idem obiectum cōtrario modo respiciunt, ut dictum est. Vbi su. ar. 8.

11 *Ratio non est alia potentia ab intellectu possibili.*

Nam ratiocinari & intelligere uersantur circa idem obiectum non modo contrario: immo per unum deuenimus ad alterū. intelligere enim est simpliciter ueritatem intelligibilem apprehendere. Ratiocinari autem, est procedere de uno intellecto ad aliud, ad ueritatem intelligibilem cognoscendam et contuendam. unus ergo actus: id est intelligere est finis & perfectio alterius, id est ipsius ratiocinari. unde non differunt nisi sicut motus & terminus motus, clarum est autem, ꝙ motus & quies ad eandem potentiam reducuntur. per eandem enim uirtutē aliquid mouetur & quiescit. sunt igit̄ ratio & intellectus una potētia. Vbi su. ar. 9

12 *Ratio superior et ratio inferior non sunt diuersæ potentiæ.*

Ratio enim superior est, quæ intendit æternis conspiciendis quantum ad speculabilia, & consyderandis quantum ad agibilia. Ratio uero inferior est, quæ intendit temporalibus rebus. eadem autem potētia intellectiua cognoscit omnia ista, quia obiectum intellectus est ens, inquantum ens: uerum temporalia sunt medium ad cognoscendum æterna, & hæc ad iudicandum de illis, est ergo una potentia, quæ dicitur ratio superior,

& ratio inferior.

ubi sup. ar. 2. Intellectus speculatiuus non est diuersa potētia ab intellectu practico. 13

Potentiæ enim distinguuntur per obiecta formaliter distincta, illud autem, quod accidentaliter se habet ad rationem obiecti, quod respicit aliqua potentia, non diuersificat potentiam, sicut esse hominem uel leonē, uel quantum illud, quod est coloratum, non diuersificat potentiā uisiuam. Accidit autem quod id, quod per intellectum apprehenditur, ordinatur ad opus, uel non ordinatur, secundum autem hoc differūt intellectus speculatiuus & practicus, unde uterque denominatur a fine. sunt igitur eadem potentia.

3. d'aīa t.c. 49. prīa ubi s. ar. 11. Intellectus principiorum et synderæsis differunt realiter a potentia intellectiua. 14

Intellectus enim principiorum & synderæsis sunt habitus, nam ratiocinari cum sit quidā motus intellectus, procedit ab aliqūibus per se notis & sine discursu cognitis, quia motus ab aliquo immobili procedit. Ratio igitur speculatiua procedit a principijs speculabilibus per se notis, ratio uero practica a principijs operabilium similiter per se notis, habitus ergo primorum dicitur intellectus: secundorum uero dicitur syndæresis, constat ergo quod non sunt potentia intellectiua sed habitus in ea existentes.

Intelle

15 *Intellectus humanus est separatus ab organo corporali.* 3.d'aïa t.c.4 5.6.

Si enim esset coniunctus organo, non cognosceret omnia, sicut etiam si pupilla esset colorata colore rubeo non cognosceret omnes colores, sed omnia uiderentur ei rubea, secũdum exigentiam organi, ita intellectus solum intelligeret, ea quæ organo possent proportionari, oportet enim potentiam quæ debet aliquid recipere esse denudatam et priuatam eo, quod recipere debet. Intellectus autem omnia potest cognoscere, ergo oportet quod sit denudatus ab omnib. & sit sicut materia prima, quæ secundum se est sine formis, aliter non possemus intelligere uniuersalia et immaterialia, quia unumquodq; recipitur in altero per modum sui, si ergo intellectus indiuiduaretur per materiam corporalem, id est per organũ, omnia in eo particulariter reciperentur, et sic non posset uniuersalia & immaterialia cognoscere, est ergo separatus ab omni organo corporeo.

16 *Intellectus cognoscit corpora.* s.t.pria 84.1.

Cum enim scientia sit in intellectu si intellectus non cognoscit corpora, nulla scientia esset de corporalib. sed hoc est falsum, quia experimur nos scire corporalia & de corporalibus inuentæ sunt scientiæ, igitur cognoscit intellectus corpora seu anima per intellectum.

17 *Intellectus non intelligit aliquid per species naturaliter inditas.* ubi s.ar.3. 3.d'aïa t.c.14.

Nam sequeretur quod a principio suæ generationis

rationis homo cognosceret, & haberet scientiam rerum, nec potest dici quod cum ingreditur corpus, omnium obliuionem capiat, quia nullus homo obliuiscitur eorũ, quę naturaliter cognoscit, maxime tanta obliuione ut nesciat non se talium fuisse oblitum. Præterea nulla ratio posset assignari, quare anima corpus ingreditur, cũ ei melius esset extra corpus esse, si per corpus non acquireret perfectionem scientiæ. Item sequeretur quod aliquis posset habere scientiam eorum, quę pertinent ad unum sensum, etiam deficiente sibi sensu, quod est falsum. intelligit ergo anima corpora per species abstractas a phantasmatibus, ut dicetur.

priã 85.1
priã 84. ar. 4

Species intelligibiles non effluunt in anima ab aliquibus formis separatis. 18

Sic enim nõ posset reddi ratio, quia unitur corpori, cum sit ei melius esse extra, quia separata a corpore est magis habilis ad suscipiendas illas species, si autem dicatur quod indiget corpore, quia indiget cognitione sensibilium, ut per ea excitetur ad intelligibilia, certe non indiget anima tali excitatione, nisi quia est aliquo modo in corpore consopita, & ideo melius esset ei esse extra. Præterea nihil obstaret, quin posset habere scientiam eorum, quę pertinent ad unum sensum, quo omnino esset priuata, quod experimur falsum, non ergo effluunt species intelligibiles animæ a formis separatis.

Cognitio

19 *Cognitio intellectiua ortum habet a sensu.* *ubi su. ar. 11.*

Nam cum species intelligibiles, per quas intelligit intellectus non sint inditæ, nec ab aliqua forma materiali procedant, & anima sit in corpore ut acquirat perfectionem scientiæ in illo per adiutorium rerum sensibilium, quæ cognoscuntur a sensu, sequitur quod intellectiua cognitio ortum habeat a sensu. Impressio enim corporum sensibilium in phantasia deducit intellectum in actum intelligendi, non quidem propter propriam uirtutem, sed per uirtutem intellectus agentis, qui facit phantasmata a sensibus accepta, intelligibilia in actu per modum cuiusdam abstractionis, sicut enim lumen in medio facit, ut similitudo coloris in actu sit in pupilla, ita intellectus agens uirtute sua, cum sit quoddam lumen facit, ut similitudo rei sensibilis, quæ est in phantasia resultet in intellectu possibili, & quia intellectus possibilis est immaterialis, & similiter intellectus agẽs est uirtus excedens materiam, quamuis in phantasia sit similitudo sensibilis rei particularis, tamen in intellectu resultat immaterialiter similitudo uniuersalis, iccirco intellectus agens dicitur abstrahere quia facit intelligere rem sensibilem in phantasmate repræsentatam indiuidualiter, sine cõditionibus indiuiduantibus & uniuersaliter, unde intelligimus per species abstractas a phantasmatibus.

1. met. ĩ prooe. 2. post lec. ulti. s. t. priã 84. 6

20 *Necesse est intelligentem phantasmata speculari.* *3. d'aĩa t. c. 30. 33 39. s. t. priã 84. 7. 8.*

Si enim per species, quas penes se habet intelligens posset speculari sine phantasmatibus, certe

per læsionē alicuius organi non impediretur speculatio, sed impeditur, ut experientia docet. ergo indiget phantasmate. Preterea unusquisque in seipso hoc experitur, quia cū quis uult aliquid intelligere statim format phantasmata sibi quasi exemplaria, in quibus speculatur. Ratio etiam esse potest, quia cum de ratione naturę rerum naturalium sit, quod sit in aliquo indiuiduo materiali, si debet habere perfectionem essendi: necesse est ad cognitionem perfectam naturæ uel quidditatis rei materialis qđ intellectus speculetur eam in aliquo particulari, quod per phantasma repræsentatur, nihil ergo sine phantasmate intelligit.

pria 85. 2 *Species intelligibilis est id, quo intellectus intelligit.* 21

Nil enim operatur secundum quod est in potētia, igit̃ oportet quod intellectus fiat in actu si debet intelligere, fit autem in actu per speciem intelligibilem, ipsa ergo est forma intellectus, qua intelligit, uerum quia intellectus supra seipsum potest reflecti per quandam reflexionem, etiam species est id, quod intelligitur, tamen id quod primo intelligitur et directe ab intellectu est res, cuius species intelligibilis est similitudo.

3.phy.t.c.3.4.5 5.t. pria 85.3 *Intellectus noster prius cognoscit magis uniuersalia quam minus uniuersalia.* 22

Intellectus enim cum procedat de potentia ad actum, oportet quod prius res cognoscat indistincte quam distincte, cognoscere enim indistincte est potentia quædam ad cognoscendum distincte, minus enim uniuersalia in magis uniuersalibus

salibus indistincte continetur. iccirco intellectus noster prius cognoscit magis uniuersalia, huius est signum, quia cum uidemus aliquem nobis notum a longe, primo cognoscimus quod est sub-substantia, deinde quod est animal postea quod est homo, & tandem determinate quod est amicus noster, & similiter pueri primum appellant omnes uiros patres, & oēs mulieres matres, postea & determinate unumquemque cognoscunt.

23 *Licet intellectus possit multa scire, non tamen multa simul intelligere.* 2.topi.cap.24. 3.d'aīā t.c.24. s.t.p'rīa 85.4.

Actus enim intelligendi a specie intelligibili procedit tāquam a forma. impossibile autem est unum & idem diuersis formis actu informari simul: sicut impossibile est idem corpus diuersis formis simul uel figuris figurari, uerum est tamē quod, cum modus cuiuscūque actionis sequatur formam, si sub una specie plura possunt comprehendi, tunc intellectus poterit simul plura intelligere, sed non ut plura sunt, sed ut unū, quia in una specie conueniunt. potest autem multa scire, quia sciētia est habitus et nō est actus intellectus, habere autem simul multas formas in habitu, non repugnat. intelligere ergo est unum solum, scire uero multa.

24 *Intellectus noster componendo & diuidendo intelligit.* 3.de aīā t.c.21.22.26.1.ubi su. ar.5

Cum enim intellectus noster exeat de potentia ad actum non statim in principio capit perfectā rei cognitionē. sed primo apprehēdit aliquid de

de ipsa, ut puta quidditatem, deinde proprietates uel habitudines circunstantes essentiam, et secundum hoc necesse habet intellectus unum alteri componere, uel ab altero diuidere. Et hoc manifeste unus quisque homo experitur. Itaque experientia docet, quod tres sunt actus intellectus, scilicet simplicium apprehensio & compositio & diuisio, & discursus de uno in alterum cognoscendum.

9.met.t.c.21.22
3.d'aïa ubi su.i.
phi.l.3.1.ubi.s.
ar.6.

Intellectus non est falsus circa proprium obiectum. 25

Sicut enim se habet sensus circa proprium obiectum ita & intellectus, sed sensus circa propriũ obiectũ nunquã decipitur: nisi forte per accidens ex impedimento circa organum contingente, ergo nec intellectus decipitur in simplici apprehensione, sed omnis falsitas eius est in compositione & diuisione, & etiam in discursu. unde circa diffinitionem intellectus nunquam fallitur, nisi per accidens, id est quando aliquam compositionem facit, utputa cum implicat in diffinitione compositionem incõpossibilem, uel cum diffinitionem aliquam attribuit rei, cui non est attribuenda.

3.d'aïa.t.c.25 1
Vbi su.ar.8.

Intellectus prius cognoscit diuisibile, quam indiuisibile. 26

Indiuisibile dico sicut est punctum & unitas. hoc igitur indiuisibile habet quãdam oppositionem ad rem corporalem, cuius quidditatem primo & per se intellectus accipit, ut infra declarabitur. oportet igitur ut prius cognoscat diuisibile.

27 *Intellectus noster non intelligit directe singularia sed reflexe.* 1.86.1.

Quod enim intelligat singularia patet ex hoc quia aliter non posset formare istam propositionem. sortes est homo. nec posset cognoscere differentiã inter singulare & uniuersale. oportet enim quod qui facit differentiam, uel comparationem inter aliqua, utrunq; cognoscat, quia autem intelligit abstrahendo à phantasmatibus & à condonationibus indiuiduantibus: ut dictum est. & illud, quod hoc modo abstrahitur est uniuersale, necesse est quod primo, & directe cognoscat uniuersale. At uero, quia non cognoscit nisi phantasmata speculãdo, in quib. uidelicet uniuersale speculatur, facile est ei propter similitudinem uniuersalis & particularis. à quo sumitur uniuersale reflectere se super particulare postquam uniuersale intellexit. quod quidem reflectere nihil aliud est quam ab intellectu uniuersalis ad intellectũ particularis procedere. sicut à phãtasmate, quod particulare repræsentat, processerat ad intellectũ uniuersalis. Per uirtutem enim intellectus agentis, et ordinationem phantasmatis ad speciem intelligibilem, fit ut intellectus postquam naturam rei uniuersaliter cognouit, & quasi confuse per abstractionem, postea intelligit magis distincte & particularius per quandam reflexionem ad phantasmata.

28 *Intellectus noster non potest habere distinctam cognitionem infinitorum, sed confusam. & in potentia.* 1.phy.t.c.35.2. 11.met.ubi 1.s. ar.2.

Intellectus enim noster non potest simul actu

z cogno

cognoſcere, niſi quod per unam ſpeciem cognoſcit. infinitum aũt non habet unam ſpeciem alioquin haberet ratiõẽ totius & perfecti. Non poteſt ergo intellectus cognoſcere infinitũ per unã ſpeciem & ſimul, oportebit ergo quod ipſum cognoſcat per partem poſt partem, ſi debet ipſum cognoſcere, ſed hoc eſt impoſſibile, quia infinitũ pertranſiri non poteſt, ergo impoſſibile eſt quod intellectus actu cognoſcat infinita directe, ſed nec poteſt intelligere uel cognoſcere habitu infinita, quia cognitio actualis, habitualem cauſat, uerum in intellectu noſtro eſt infinitum in potentia & confuſe quia ſub una ſpecie in potentia ſunt infinita indiuidua, & non tot intelligit intellectus, quin poſſit plura intelligere, & hoc eſt cognoſcere infinita in potentia.

6. æth. cap. 7. *Intellectus noſter contingentia futura non cognoſcit.* 29

prima ubi ſu. ar. 3. 4. Contingẽtia nanq; ſecundum quod, aliquid neceſſitatis habẽt, ut cum dico, neceſſe eſt ſortem currere, dũ currit, cognoſcuntur per intellectũ. Et ſi ad cauſas uniuerſales reducũtur, directe cognoſcuntur, et hoc modo ſcientiæ de rebus contingentibus ſunt ſcientiæ neceſſariorum. Si igitur futura reſoluuntur in cauſas neceſſarias, uel quæ producunt effectũ, ut in pluribus, poterunt ſciri certitudinaliter uel probabiliter. Si aũt ſint cõtingẽtia, cauſas, ſcilicet contingentes habentia, non poteſt de eis habere ſcientiã in ſe, quia hoc ſoli deo cõuenit, cui omnia ſunt præſentia, nec in ſuis cauſis, quæ ſunt indifferentes ad producendum, & non producendũ, ergo nullo modo habetur de eis ſcientia

entia uel ars. de futuris enim contingentibus non est determinata ueritas.

30 *Aĩa intellectiua seipsam cognoscit p̃ actus proprios et proprios habitus, non tamen per propriã essentiã.* *1. perhier. lec. 13 prĩa q. 87. 1. 2. 3.*

Cum enim nõ intelligat nisi abstrahat à phantasmatibus, & essentia animæ, actus quoq; et habitus eius non cadant sub phantasmate, clarũ est q̃ non cognoscit seipsam, nec actus siue habitus suos per essentiã propriam, nec per essentiã ipsorum actuum uel habitum. Sed primo oportet q̃ cognoscat illud, quod primo à phantasmatibus abstrahitur, hoc autem est quidditas rei materialis, deinde cognoscit proprios actus habituũ & sic tandem cognoscit homo q̃ habet animã, aut habitus, & demum ducitur ad inuestigandũ subtiliter quid ipsa sit & quid sint etiam tales habitus & actus.

31 *Intellectus noster non potest in statu huius uitæ cognoscere substantias separatas.* *prima 88. 1. 2.*

Cum enim non intelligat nisi phantasmata speculando, & substantiæ immateriales non cadant sub phantasmate nec sub sensu, patet q̃ non poterit has substãtias per seipsas cognoscere, nec potest manuduci per ista sensibilia, ut cognoscat eorũ quidditatem, quia cum sint formæ immateriales multũ hæc materialia excedunt & sunt omnia alterius rationis, & ideo nõ potest intellectus per hæc infima ad tantam altitudinem eleuari.

32 *Obiectum primum et per se intellectus nostri est ens inquantum ens.* *prima 5. 2.*

Nam intellectus noster cum abstrahendo

intelligat uniuersaliter & immaterialiter, patet quòd potest quodammodo omnia intelligere, et ideo obiectū eius oportet esse intelligibile, quod complectatur omnes species entis. hoc autem est ens. Præterea unumquodque in tantum dicitur intelligibile in quantū habet rationem entis, id est in quantum habet esse, cum unumquodque sit intelligibile, inquantum est in actu. unde uidemus etiam quòd primum, quod ab intellectu concipitur est ens, igitur ens est primum & adæquatum obiectum intellectus nostri inquantū ens, quod per se ei offertur et primo, sed uerum est obiectum intellectus nostri adæquatum, sed non formale, quia nō omnia cognoscimus sub ratione ueri, sed inquantū ad cognitionem cuiuslibet rei assequitur uerum, siue ratio ueri. nihil enim potest intelligi nisi sit conforme intellectui, in quo consistit ratio ueri, sicut nihil potest intelligi nisi sit intelligibile. unde uerum est cōditio generalis obiecti, quia semper ens intellectū est uerum, licet nō semper intelligendo ens, intelligatur uerum.

prima 16.3. tertium.

prima 12,4.87,3. item 84,7. *Obiectum proportionatum nobis ad intelligendum pro statu præsentis uitæ est quidditas rei materialis.* 33

Cognitio enim est secundum quod cognitum est in cognoscente. Cognitū autem est in cognoscente secundum modum cognoscentis, ideo cuiuslibet rei cognitio est secundum modum suę naturæ, cum igitur intellectus sit in corpore hoc modo, quia anima intellectiua est forma corporis, ut infra probabitur, & tamen non sit uirtus in organo corporali, habet homo modum essendi materialem

terialem quodãmodo & immaterialem, & ideo quodãmodo materialiter & immaterialiter intelligit, hoc autem nõ est, propter aliud, nisi quia intelligit materialia sine cõditionibus indiuidualib. nã dictũ est ꝙ indiuidualia quidditatiue non cognoscit, hoc aũt est propter abstractionẽ specierũ intelligibiliũ à phãtasmatibus, ergo primũ & proportionatũ ens, quod intellectui offertur est, illud, quod repręsentatur per species intelligibiles abstractas à phatasmatibus rerũ sensibiliũ et materialiũ, ergo in statu isto hoc est obiectũ eius materiale, dico autem materiale, quia non repræsentatur sibi sub ratione formali materialis quidditatis, sed magis ut diximus sub ratione entis, quia ens est obiectum formale sed ista ratio entis non mouet intellectum in statu huius uitæ nisi materiali quidditati coniungatur, propter quod non oportet ꝙ homo possit omnia cognoscere quocunq; modo si ens est eius obiectum formale, sed quod possit aliquo modo omnia cognoscere, id est secundum quod patitur status præsentis uitæ. obiectũ enim cuiuslibet intellectus formale est ens, & omnis intellectus omnia entia est aptus natus cognoscere uel intelligere. nõ tamẽ omnia omnibus modis, sed omnia secundum statum & conditionem suæ naturæ.

34 *Anima intellectiua est subsistens.* *prima 75. 2.3.*

Omne enim agens agit secundum quod est in actu, & eo modo quo est in actu, eo modo etiam agit: si ergo per se aliquid operatur necesse est ipsũ per se subsistere. Cum igitur iam dictũ sit, quod

intellectus non est alligatus organo corporali, patet quod anima intellectiua, per se operatur sine organo corporali: ergo per se est subsistens. Animæ autem brutorum animalium non subsistũt, quia nulla per aliquam potentiam operantur per se, eo quod omnis potentia sensitiua est alligata organo corporali. Non tamẽ propter hoc potest dici quod anima intellectiua sit substantia prima uel persona, quia non est ita per se subsistens, quasi sit aliquid completum in natura speciei, est enim pars speciei humanæ.

prima 75.4. *Anima non est homo.* 35

Animam enim esse hominem potest dupliciter intelligi, uno modo quòd homo sit anima, sed hic homo non sit hæc anima, sed compositum ex anima & corpore puta socrates, quod ideo dico, quia quidam posuerunt solam formam esse de ratione speciei, quod quidem non potest esse uerũ, quia ad naturam speciei pertinet id quod significat diffinitio, diffinitio autem in rebus naturalibus non significat formam tantum, sed formam & materiam, unde materia est pars speciei in rebus naturalibus, non quidẽ materia signata quæ est principium indiuiduationis, sed materia communis: sicut enim de ratione huius hominis est q̃ sit ex hac anima & his carnibus & his ossibus, ita de ratione hominis est q̃ sit ex anima & carnibus & ossibus, oportet enim de substantia speciei esse, quicquid est communiter de substantia omnium indiuiduorũ eius. Alio uero modo potest intelligi sic, quòd etiam hæc anima sit hic homo, &

mo, & hoc quidem ſuſtineri poſſet ſi poneretur quòd animę ſenſitiuæ operatio eſſet eius propria ſine corpore, quia omnes operationes quæ attribuuntur homini conuenirent ſoli animę, illud autem eſt unaquæq; res quod operatur operationes illius rei, oſtenſum eſt autem quòd ſentire non eſt operatio animæ tantũ. cum igitur ſentire ſit quędam operatio hominis, licet non propria, patet quòd homo nõ eſt anima tantum, ſed eſt aliquid compoſitum ex anima & corpore, Plato autem ponens ſentire eſſe proprium animæ, ponere potuit quòd homo eſſet anima utens corpore.

36 *Anima non eſt compoſita ex materia & forma.* *ubi ſu. 5.*

Patet hoc primo ex ratione animæ in communi, eſt enim de ratione animæ quòd ſit forma corporis, aut igitur eſt forma ſecundũ ſe totam, aut ſecundũm aliquam partem ſui, ſi ſecundum ſe totã, impoſſibile eſt quòd pars eius ſit materia, quia forma inquantũ forma eſt actus, materia autem eſt ens in potentia tantũ: potentia aũt repugnat actui, utpote contra actũ diuiſa. Si autem ſit forma ſecundũ aliquam partem ſui, illam partem dicimus animam, & illam materiã cuius primo eſt actus dicemus primum animatum, patet idem ſecundo ex ratione animę intellectiuæ nam quod recipitur in aliquo recipitur in eo per modum recipientis, & ſic cognoſcitur unumquodq; ſicut forma eius eſt in cognoſcente: anima intellectiua cognoſcit rem aliquam in ſua natura abſoluta, puta lapidẽ inquantũ lapis eſt: Eſt igitur forma lapidis abſolute ſecundũ propriã rationẽ

formalem in anima intellectiua, anima igitur intellectiua est forma absoluta, & non cōpositum ex materia & forma. si enim esset sic composita, formæ rerum reciperentur in ea ut indiuiduales, et ita non cognosceret nisi singulare, sicut accidit in potentijs sensitiuis quæ recipiūt formas rerum in organo corporali. materia enim est principiū indiuiduationis formarum. Anima igitur intellectiua & omnis substātia intellectualis caret compositione materiæ & formæ.

ubi su. ar. 6. *Anima intellectiua est incorruptibilis.* 37

Illud enim quod secundum se alicui conuenit est inseparabile ab eo, sed esse per se conuenit formæ, cum forma sit actus. Vnde secundum hoc materia acquirit esse in actu, quia acquirit formam, & secundum hoc accidit in ea corruptio, quia ab ea forma separatur. Impossibile est autē quod forma à seipsa separetur. Cum igitur anima intellectiua sit per se subsistens, oportet quod esse per se ei conueniat. Non potest ergo corrūpi, quia nec ipsa à seipsa nec esse ab ipsa potest separari, hoc etiam patet ex eo quod ipsa non habet contrarium. generatio enim & corruptio ex contrarijs sunt, et in contraria, est igitur incorruptibilis, signum autem huius est quòd omnis substantia intellectualis appetit esse semper, sicut intellectus apprehendit esse absolute & secundū omne tempus, omnis igitur substantia intellectualis est incorruptibilis.

prima 76. 1. 2. *Anima intellectiua unitur corpori ut forma.* 38

de anima t. c. 24. Illud enim quo primo aliquid operatur, est forma

ſorma eius, cui attribuitur operatio, quia nihil agit, niſi ſecundum quod eſt in actu. Non autem eſt in actu, niſi per formam, ſed homini inquantum homo attribuitur intelligere. Anima autem eſt principium quo uiuimus, mouemur, ſentimus & intelligimus & operamur. ergo oportet dicere quod eſt forma corporis, aliter actio, quæ eſt intelligere non eſſet hominis inquantum homo, & iſte homo non intelligeret, ſed aliquid aliud. At unuſquiſque homo in ſemetipſo experitur quod intelligit, ſi autem dicitur quod intellectus poſſibilis ſaparatus unitur homini per ſpeciem intelligibilem, quæ eſt in intellectu poſſibili, & phantaſmatibus, hoc ſtare non poteſt, quia in intellectu ſunt in actu: in phantaſmatibus uero in potentia, & non poſſunt per hoc coniunctionem talem facere, ut ſortes, uel iſte homo intelligat: ſed magis intelligit aliquid ab iſto homine ſeparatum. Et præterea cum ſecundum Ariſtotelem phantaſmata ſe habeāt ad intellectum, ſicut colores ad uiſum, ſequitur quod ſicut colores nō uidet nec ſubiectum coloris, ita nec phātaſmata, nec ſubiectum phantaſmatum intelligūt, ſed magis intelliguntur. Dicendum eſt ergo quod cum iſte homo ſit eſſentialiter homo, & non ſit homo niſi per animam intellectiuam, quod anima intellectiua eſt forma, uerum quia eſt ultima in nobilitate formarum, in tātum ſua nobilitate excedit alias formas uel aliquam operationem habeat ſine materia. Quanto enim forma eſt nobilior, tanto magis dominatur materiæ corporali. 3. d'aiat. c. 50

Intelle-

priã ut s.ar.3 *Intellectiuum principium multiplicatur secundum multiplicationem corporum.* 39

Si enim nõ multiplicaretur esset unum in omnibus hominibus. Cum ergo sit forma hominis, sequitur quod oẽs homines sint unus homo, quia habent unam formam, & quod non differunt ab inuicem, nisi sicut sortes tunicatus, & sortes cappatus, aut differentia indiuiduorum hominis erit per animam sensitiuam. Et similiter quod intelligere omnium hominum sit unum. Ab eodem enim principio est eadem actio, & multa alia inconuenientia, ut non dicam impossibilia sequerẽtur, quæ pro breuitate relinquo. Multiplicatur igitur secundum corpora humana.

ubi s.ar.3.4. *In homine non sunt aliæ formæ per essentiam differentes præter animam intellectiuam.* 40

Quia aliter sequeretur quod homo non esset unum simpliciter. unumquodque enim est unum simpliciter per suam formam: ubi ergo sunt plures formæ substãtiales, ibi sunt plura simpliciter. Præterea forma substantialis dat esse simpliciter, aliæ autem formæ superuenientes dant esse secundum quid, quod est proprium formæ accidentalis. si ergo essent plures formæ in uno homine, una tantum daret esse simpliciter, aliæ uero secundum quid. Non ergo essent substantiales, sed accidentales. Signum autem huius est, quia una operatio animæ, cum fuerit intẽsa, impedit aliam, quod non esset si in homine essent plures formæ. Præterea cum per animam intellectiuam introducãtur oẽs perfectiones aliarum formarum, habet enim

enim quicquid hēt aliæ & aliquid plus eo quod perfectius semper cōtinet quicquid habet minus perfectum & aliquid plus, cum formæ sint sicut numeri, frustra ponerentur aliæ formæ in homine & cętera.

41 *Anima intellectiua conuenienter unitur corpori corruptibili..* *prima 76.*

Anima enim unitur corpori, quia indiget acquirere perfectionem scientiæ in corpore mediantibus sensibilibus, quæ per sensum cognoscuntur, oportuit ergo ꝙ uniretur tali corpori, quod conueniens organum sensus posset esse. Cum igitur omnes alij sensus fundentur super tactum, cuius organum requirit meciocritatem in qualitatibus sensibilibus contrarijs, necesse est quod anima intellectiua uniatur corpori cōposito ex contrarijs. hoc autem est corruptibile, conuenienter ergo unitur corpori corruptibili.

42 *Anima intellectiua nullo mediante unitur corpori.* *pria ubi s. ar. 6. 7*

Forma enim immediate suæ materiæ unitur per se et non per accidens. Pręterea primum inter omnes actus est esse substantiale, quod est forma. ergo necesse est ante omnem alium actum formam substantialem materiæ aduenire. iccirco in illo instanti, in quo introducitur anima, omnes dispositioēs præcedētes recedūt a materia, et aliæ sequētes adueniunt ei, uerū anima ut forma, prius secundū naturā dicitur introduci ad quā sequuntur dispositiones perfectionis formæ corporeæ:

&

& introducta hac perfectione sequuntur dispositiones ad perfectionem animæ uegetatiuæ, qua introducta, sequuntur dispositiones ad sensitiuã, qua introducta sequuntur dispositiones ad intellectiuam, & sic fit tota introductio, hoc autẽ intelligendum est secundum prioritatem naturæ, non autem temporis, quia in eodem instanti introducuntur omnes istæ perfectiones cum suis dispositionibus. præintelligitur tamem, quod materia primo perficiatur secundum esse substantiale per animam inquantum est forma, quia forma inquantum forma non requirit dispositiones, sed inquantum hęc forma: deinde secundum esse corporeum, esse animatum, esse sensitiuum, et esse intellectiuum.

ubi sup. ar. 8 *Anima est tota in toto & tota in qualibet parte.* 43

Totum enim ex partib. constat, igitur forma quæ non dat esse toti, et cuilibet parti est compositio & ordo, ut forma domus, quæ quidem est forma accidentalis, sed anima est forma substantialis totius & partis, cuius signum est, quia sicut recedente anima, totum corpus non dicitur amplius homo, nisi æquiuoce, ita nec oculus, nec manus, nec aliæ partes dicuntur tales nisi æquiuoce, unde nulla pars corporis habet proprium opus anima recedente, & hoc maxime patet in anima intellectiua, quæ cum sit forma subsistens, oportet quod sit indiuisibilis, et ideo cum nulla alia anima sit in homine præter ipsã, & quælibet pars hominis sit animata, patet quod sit actus cuiuslibet partis, hoc autem est intelligẽdum quantum ad

ad essentiam. Nam quantum ad uirtutes, non est tota in qualibet parte: sed in oculis per uirtutem uisiuã et per auditiuã in aurib. & sic de cęteris.

44 *Aĩa intellectiua nõ traducitur ex semine sed creatur.* *prima 118.2 item 90.2.*

Impossibile est enim uirtutem actiuã quæ est in semine excedere suam actionem, hoc autem faceret si produceret effectum immateriale, qualis est intellectus qui est ab organo separatus, et si dicatur quod agit in uirtute animæ generantis, hoc non sufficit quia non agit in uirtute eius nisi secũdum quod est actus corporis, utens ipso corpore in sua operatione. In operatione autẽ intellectus non cõmunicat corpus, & ideo uirtus intellectiui principij, ut sic non potest ad semen pertinere. Præterea cum anima intellectiua sit forma immaterialis, per se subsistens, ei competit etiam per se operari, & per se fieri, sed substantia immaterialis non potest fieri per generationem, quia non potest fieri ex materia præiacenti, neque corporali, quia sic esset naturæ corporeæ, neq; spirituali, quia sic substantiæ spirituales inuicem transmutarentur, necesse est igitur quod non fiat nisi per creationem, sicut fiunt aliæ substantiæ immateriales.

45 *Anima intellectiua fit a solo deo immediate.* *ubi su.3*

Fit enim ut dictum est per solam creationem, solus autem deus potestt creare quia solius primi agentis est agere nullo presupposito, cum semper agens presupponat aliquid a primo, quod autem agit ex aliquo presupposito agit trãsmutando, solus autem deus agit creando, id est nullo presupposito, fit igitur anima a solo imme-

diatę

diate, licet generans disponat materiã in qua sit.

prima 90.1 *Anima intellectiua non est facta de substantia dei.* 46

Si.n.esset de substãtia dei, esset semper actu intelligens, quod est falsum, & substantia dei esset diuisibilis, quod etiam est falsum, nec haberet anima diuersas potẽtias cum sit deus omnino simplex, & hæc conclusio est adeo manifesta ut probatione non egeat, fit igitur ex nihilo.

ubi s.4.118.3 *Anima non est producta ante corpus.* 47

Si.n.animæ est naturale corpori uniri, contra naturam eius est non uniri, ergo habet esse imperfectum extra corpus sed inconueniens est ut inceptum fuerit hoc opus ab eo quod est pręter naturam, nec potest dici quod uniri corpori sit ei innaturale cum sit forma corporis, alioquin uniretur corpori uiolenter. Præterea non poterit assignari differẽtia inter animas cum sint eiusdem speciei, & indiuidua differãt per materiam, nec ratio cur hæc anima magis uniatur, illi corpori quã alteri, uel quã alia anima illi uniatur, nec quare corpori uniatur, creantur ergo omnes in corporibus cum illis infunduntur, et sic per illa indiuiduantur, unde falsum est quod fuerint omnes creatæ ab æterno, uel a principio mundi, ut quidam dixerunt, possent multa alia de intellectu & anima intellectiua dici, sed ista pro nunc sufficiant ut possimus etiam aliqua de eius uoluntate tractare.

Explicit liber quartusdecimus, qui est de intellectu & anima intellectiua.

Postilla

Postilla in librum quartumdecimum.

POstquam dictum est de anima sensitiua dicendum est de anima intellectiua, & primo quo ad partem cognitiuam in hoc libro, secundo quo ad partem appetitiuam in sequenti. In hoc igitur libro tria prncipaliter facit auctor, primo agit de potentijs intellectiuis, secundo de actib: qui producuntur a potentijs. tertio de ipsa anima intellectiua, quæ per actus & potentias suas cognoscitur. Quo ad primū horum, primo agit de intellectu possibili, quo scilicet intelligimus manifestans questionem an est in prima cōclusione, & 2. naturam eius in 3. 4. & quia affirmatur esse potentia, declarat in 5. qualis potentia sit. secundo agit de intellectu agente, declarans quæstionem an est in 6. quid sit in 7. & quomodo se habet ad intellectum possibilem in 8. tertio de memoria ostendens quæstionem an est in 9. & quomodo se habet ad intellectū possibilem per quod ostenditur quid sit in 10. quarto agit de ratione, declarans quid sit in 11. & quomodo diuiditur in superiorem et inferiorem in 12. quinto agit de intellectu speculatiuo & practico, declarando quid sit uterque, & quomodo se habent adinuicem in decimatertia. Demum agit de intellectu principiorum & synderæsi in decima quarta. hæc enim omnia pertinent ad potentias intellectiuas. Quo ad secundum principale incipit a cognitione corporaliū, & inuestigat tria, scilicet per quid ea cognoscat, quo ordine et quid in eis cognoscat.

Circa primum præmissa separatione intellectus ab organo corporali in 15. quæ est quasi prinpiorũ, ostendit per quam potentiã anima cognoscit corpora in 16. per quam formam intelligit in 17. unde habeat illam formam in 18. & quomodo in hac cognitione intellectiua se habet ad sensum, tã quo ad principium 19. quàm quo ad usum in 20. Circa secundum ostẽdit quomodo se habent species intelligibiles ad istam cognitionem in 21. quid prius intelligit in 22. quot simul intelligit in 23. quomodo intelligit in 24. ex quo deducit an intellectus sit falsus & quando in 25. & demum quomodo se habet circa cognitionem diuisibilis & indiuisibilis in 26. Circa tertium uolens ostendere quid intelligat in rebus corporalibus manifestat tria de quibus est dubium, scilicet an cognoscat singularia, & quomodo in 27. an infinita quod sequitur ex primo, quia singularia sunt infinita in 28. an contingentia quod etiam sequitur ex illo in 29. Procedit postea ad cognitionem spiritualium siue immaterialium, & primo quidem ostendit quomodo anima intellectiua cognoscit seipsam ex ijs quę sunt in seipsa in 30. secũdo quomodo substantias separatas in 31. tertio ex dictis deducit quid sit obiectum intellectus tam commune in 32. quàm proprium pro isto statu in 33. Quo ad tertium principale, tria agit de ipsa anima, nam primo tractat de eius natura siue essentia, & presupposito quod non sit corpus, sed actus corporis ex diffinitione animæ in superioribus posita, ostendit qualis forma est, scilicet immaterialis & subsistens in 34. & ne propter hoc putaretur

putaretur esse ipsum hominem ut quidam dixerunt, ostendit consequenter in 35. esse eam partem humanæ naturæ, & cum hoc esse formam simplicem in 36. & quia omnis forma immaterialis est incorruptibilis, id demum ostendit in 37. Secundo agit de unione eius ad corpus ostendens quomodo illi unitur, scilicet ut forma in 38. ex quo sequitur quòd multiplicatur ad multiplicationem corporum quod ostendit consequenter in 39. & quia est forma substantialis non compatitur secum aliam formam substantialem in corpore quod manifestat in quadragesima, & hæc se tenent ex parte animæ, ex parte autem corporis ostendit cur tali corpori unitur, scilicet corruptibili in quadragesimaprima, & quomodo, an, scilicet aliquo mediante in quadragesimasecunda, & demum declarat modum essendi in illo, in quadragesimatertia. Tertio agit de eius productione manifestans quatuor ordinate, scilicet modum quo producitur in quadragesimaquarta, à quo producitur in quadragesimaquinta de quo producitur in quadragesimasexta, & quando producitur in quadragesimaseptima.

A Incipit

INCIPIT LIBER QVINTVS-DECIMVS ET VLTIMVS DE VOLVNTATE ANIMAE INTELLECTIVAE.

s.t.prima 19.1. 59.1. Item pria 80.1.2 2.de ani.t.c.27. Item 3. de anima t.c.42.

Appetitus, qui dicitur uoluntas est in anima intellectiua. 1

Necesse est enim aliquem appetitũ ponere in homine, cum uideamus omnes homines inclinari ad bonum, sicut & cæteras res, sicut autem homo inclinatur ad aliquod bonum, ad quod nulla alia res naturalis inclinatur, id est ad bonum uniuersale, ita necesse est ponere in homine specialiter appetitũ qui dicitur uolũtas, quælibet enim res ad suam formam, uel ad suam perfectionem hanc habet habitudinem, ut quando ipsam habet, quiescat in ea, & cum non habet tendat in eam. Et hæc inclinatio in rebus cognitione carentibus dicitur appetitus naturalis. In rebus autem per sensum cognoscentibus dicitur appetitus sensitiuus. In homine autem & alijs rebus cognoscentibus per intellectum dicitur uoluntas, utrunq; enim pertinet ad uoluntatem, scilicet tendere in bonum apprehẽsum per formam intelligibilem cum non habetur, & cum habetur quiescere in illo. Est igitur talis appetitus in anima intellectiua.

prima 59.2. itẽ prima.80. 1.secndum. itẽ de ue.22.10.

Voluntas & intellectus sunt potentiæ in anima realiter distinctæ. 2

Diuersi-

Diuersitas enim formalis obiectorum, ostendit diuersitatem potentiarum. Certum est autem quod formaliter differunt ens, quod est obiectum intellectus, & bonum quod est obiectum uoluntatis, hoc etiã patet ex modo operandi, nam intellectus intelligit per hoc quod intellectum suscipit in seipso, uoluntas autem tendit ad rem prout in seipsa. Præterea uoluntas tendit in illud, quod est apprehensum per intellectum, nam actus intellectus præcedit actum uoluntatis, non ergo sunt idem realiter intellectus & uoluntas.

3 *Intellectus simpliciter est altior & nobilior potentia quàm uoluntas.* *prima 82.3. 10.ethi.c.8.*

Nobilitas enim potentiarum simpliciter consyderatur ex ratione formali obiectorum. Certum est autem quod obiectum intellectus est simplicius & magis absolutum quàm obiectum uoluntatis, ut potest patere ex ijs, quę diximus in libro primo, omnia enim se habent per additionem ad ens, uerum potest esse, quod secundum aliquid uoluntas sit nobilior, ut puta quia nobilius est in hac uita diligere deum, q̃ cognoscere, eo quod uoluntas per dilectionem tendit in rem, sicut in seipsa se habet, sed intellectus recipit similitudinem rei in seipso, est autem nobilius tendere ad deum sicut in seipso se habet quàm eius similitudinem recipere, sed econtrario melius est intelligere res materiales quàm tendere ad ipsas per affectum, simpliciter ergo intellectus præcellit uoluntatem secundum quid autem econtrario.

prima ubi ſu. ar. 4. item 1. 2. 9. 1. 3. de anima t. c. 50. 54.

Voluntas mouet intellectũ et mouetur ab intellectu. 4

Cum enim bonum intellectum ſit obiectum uoluntatis & obiectum moueat potentiam per modum finis, patet quod intellectus hoc modo mouet uoluntatem, id eſt per modũ finis, uel per modum ſpecificationis actus, dum ſibi obiectũ offert quo ſpecificatur actus eius: ſed uolũtas mouet intellectum, & cæteras animæ uires præter illas, quæ ad uegetatiuam pertinent per modum agentis ſeu etiam impellentis, quia in omnibus potentijs actiuis ſiue naturalibus ſiue politicis ordinatis ad inuicem, illa potentia, quæ reſpicit finem uniuerſalem mouet potencias, quæ reſpiciunt fines particulares, ſicut cœlum omnia inferiora mouet, et rex omnes præpoſitos ciuitatum: uoluntas autem reſpicit bonum uniuerſale tanquam proprium obiectum, aliæ autem potentiæ reſpiciunt bonum ſibi conueniens, ideo uoluntas mouet omnes iſto modo, quod dicitur mouere quo ad exercitium actus.

1. ubi ſ. ar. 1. 2. Item 1. 2. 10. 2.

Et ſi uoluntas aliquid ex neceſſitate uelit, non tamen cogi poteſt. 5

Sicut enim intellectus ſe habet ad uerum, ita et uoluntas ad bonum, ſicut ergo intellectus ex neceſſitate naturali adhæret principijs primis, ita ex neceſſitate naturali uoluntas tendit ad finem ultimum quod in rebus agibilibus eſt principium, unde etiam in uoluntate ponitur neceſſitas finis: quia neceſſe eſt ſi uult aliquem finem, quod uelit ea ſine quibus ille finis haberi non poteſt. Non eſt tamen neceſſarium, quod uelit ea, ſine quibus haberi

haberi potest etiam si melius haberetur cũ illis. At uero coactio non potest in ea, quia motus uoluntatis est inclinatio in aliquid, si igitur uiolenter inclinetur, ille motus esset uoluntarius & inuoluntarius, quod implicat contradictionem sicut etiam implicat contradictionem, quod aliquis sit motus uiolentus & naturalis, hoc autem intellige quantum ad actum interiorem, non autem quantum ad actus imperatos. Nam aliquãdo uoluntas uellet ire ad unum locum & non potest: quia cogitur stare.

6 *Voluntas non est alligata organo corporali.* 1.2.9.5.2.cõ.c. 59.79.

Potentiæ enim alligatæ organo corporali per ipsam materiam induiduantur, unde necesse est quod respiciant obiecta particularia, sed obiectũ uoluntatis est obiectum uniuersale. Præterea obiectum appetitus sensitiui est bonum cognitum per sensum, quia ergo sensus non apprehendit nisi particulare: etiam appetitus sibi correspondens non potest respicere nisi particulare, quia non respicit nisi illud, quod ei pręsentatur, sed obiectum uoluntatis est bonum apprehensum per intellectum, qui apprehendit uniuersaliter, unde sicut intellectus non est alligatus organo corporali, ita nec uoluntas.

7 *Voluntas non distinguitur per irascibilem & concupiscibilem.* 1.82.5.3.de anima t.c.42.

Potentia enim quæ ordinatur ad aliquod bonum non diuersificatur per diuersitatem rationũ specialium sub illo cõmuni obiecto contentarum

ficut potentia uifiua non diuerfificatur per diuerfitatem rationum albi & nigri, obiectum autem uoluntatis eft bonum commune, fub quo continetur ratio boni ardui, & boni delectabilis, quorum diuerfitas diftinguebat irafcibilem & concupifcibilem in appetitu, qui non refpicit bonum uniuerfale, qui eft appetitus fenfitiuus, non diftinguitur ergo uoluntas per ifta.

1.20.1.1.1.2. *Amor & defyderium & cæteræ paffiones appetitus* 8
12.3.3. *funt fimplices actus in uoluntate.*

Dico autem fimplices actus: quia funt in uoluntate abfq; paffione uel motione corporali aut animi concitatione, fed ex iudicio rationis. Cum enim uoluntas non fit alligata organo corporali, patet quod actus eius funt fine corporali motione, nifi forte per accidens fiat in corpus redundantia, uehemens enim defyderium uoluntatis aliquando nocet corpori, & gaudium prodeft, poffunt ergo diftingui ifti actus in uoluntate fecundum illum numerum & ordinem & modum quo fuperius fuerunt diftinctæ paffiones appetitus.

Amor & dilectio, amicitia & charitas, non omnino 9
1.2.26.3.2.2. *idem funt.*
23.

Amor enim magis uidetur effe in concupifcibili quia uidetur importare quandam paffionem & quendam impetum, dilectio autem eft in uoluntate magis: & fupra amorē, electionem præcedentem importat, ut ipfum nomen fonat. Amicitia autem dicit quendam habitum. Charitas

uero

uero poteſt omnia iſta ſignificare, tamen addit quandam perfectionem amoris, dum illud quod amatur, magni pretij æſtimatur, unde extenditur ad amorem diuinum.

10 *Amor concupiſcentiæ & amor amicitiæ differunt.* 1.2. ubi ſu. ar. 4

Cum enim amare ſit uelle alicui bonum, ad illud bonum, quod quis uult ſibi, uel alicui, habetur amor concupiſcentiæ, ad illud uero, cui bonũ uolumus, habemus amorem amicitię, & hęc ſimpliciter & per ſe amamus, unde ſi quis amat alterum propter ſuam utilitatem uel delectationem, ad ipſum habet amorem concupiſcentiæ, ſi autem uult ei bonum propter ſe, ſic eum amat amore amicitiæ.

11 *Nullus poteſt ſeipſum habere odio per ſe.* 1.2. ubi ſu. 29.4

Naturaliter enim unuſquiſq; appetit ſibi bonum, & ſi appetit malum, non appetit illud ſub ratione mali, ſed ſub ratione boni, unde per ſe loquendo omnis creatura refugit malum, idcirco omnis creatura naturaliter ſeipſam diligit per ſe loquendo: ſed per accidens contingit aliquem ſeipſum odio habere, dum ſibi uult uerè malum, quamuis illud uelit ratione boni, ut cum aliquis ſibi uult bonum ſenſualitatis contra rationem.

12 *Veritas odio per ſe haberi non poteſt.* Vbi ſup. ar. 5.

Veritas enim ſemper conſonat intellectui inquantum eſt ueritas, conſonantia autem eſt cauſa amoris. Igitur per ſe ueritas uon poteſt odio haberi, ſed per accidens inquantum habet rationem

repugnantis, ut cum aliquis nollet esse uerum, quod est uerum, ut si quis nollet esse uerum se peccasse, uel quando nollet cognoscere ueritatem, eo quod repugnat sibi ne possit peccare, uel quia nollet quod ab altero cognosceretur, quia uellet in peccato latere.

1.2.30.3.
1.eth.c.xi.
Concupiscentia non naturalis solum ad homines pertinet. 13

Concupiscentia enim est appetitus boni delectabilis, dicitur autem uno modo delectabile, quia est conueniens naturæ, sicut cibus & potus, & concupiscentia huius dicitur naturalis. Alio modo dicitur delectabile aliquid secundum apprehensionem, quia solum apprehenditur, ut bonum, & concupiscentia huius dicitur nō naturalis, & solet magis appellari cupiditas & hæc est hominis propria, cuius est excogitare aliquid ut bonum & conueniens præter id quod natura requirit, quod non ita cōuenit brutis, sed prima cōmunis est brutis & hominibus.

Vbi su.ar.4.
1.poli.lec.7.
Concupiscentia est infinita.

14 Actu quidem infinita naturalis concupiscentia esse non potest. Natura enim semper requirit aliquid finitum & certum, sed per successionem est infinita, dum unum post aliud desyderat. quia bona corporalia perpetuo non manent, sed deficiunt. Concupiscentia uero nō naturalis, quę sequitur rationem quę in uniuersale tendit: est omnino infinita, unde qui concupiscit diuitias, potest eas sine aliquo termino cōcupiscere, & desyderare se esse diuitem quantumcunque potest, & presertim

quando

quando in eis ponit finem, quia finis per se deside ratur. unde concupiscentia finis non habet finem: eo quod homo desiderat esse perfectus quantum esse potest.

51 *Delectatio & gaudium differunt.* 12.31.3

Delectatio enim proprie est in parte sensitiua. cum aliqua transmutatione corporali. Gaudium autem est solũ in uoluntate & ratione unde aliqñ quis sentit delectationem secundum corpus, de qua tamen non gaudet secundum rationem: distinguuntur ẽt secundum magis & minus commune. Nam delectatio in plus se habet. unde omne gaudium est delectatio: sed non conuertitur.

16 *Delectationes spirituales simpliciter sunt maiores corporalibus.* ubi su. ar. 5. 10. eth. c. 8

Si enim comparentur secundum quod delectamur in actionibus, ut in cognitione sensus & intellectus. patet ꝙ spirituales sunt maiores: quia intellectualis cognitio est perfectior et altior et magis cognita. Cum intellectus reflectatur supra suum actum: & etiam ab omnibus hominibus magis dilecta: unusquisque enim potius uult carere uisu quam intellectu. similiter si secundum se comparentur: tum quia obiectum spirituale est maius bonum quam corporale. tum quia intellectus est potentia nobilior et perfectior sensu. tum quia etiam actus eius est perfectior cum usque ad interiora penetret ꝙ̃ actus sensus, qui solum circa exteriora uersatur, tum quia obiectũ intellectus magis cõiungitur ei quam sensui obiectum eius,

propter

nis propter malam consuetudinem, ut cum quis delectatur in comestione carnium humanarum, uel in coitu bestiarum, aut masculorum & huiusmodi.

18 *Omnis delectatio aliquam operationem consequitur, quæ est causa eius.* 1.2.32.1 10 ethi.c.5

Ad delectationem enim duo requiruntur, scilicet coniunctio boni adepti, & cognitio eius, non adipiscimur autem bonum conueniens nisi per aliquam operationē, & ipsa cognitio eius est quædam operatio, quæ etiam est delectabilis: unde oportet quod delectatio omnis sequatur aliquam operationem, tanquam eius propriam cām.

19 *Motus est causa delectationis in nobis.* 1.2.32.2

Cum.n. nostra natura in transmutatiõe quadā consistat, accidit q illud, quod nunc est nobis delectabile, non erit postea delectabile, sicut calefieri ad ignem non semper est delectabile, & pōt etiam accidere ex transmutatione rei, in qua delectamur, uel quia nimis auget actionē suam uel minuit. Accidit etiam hoc ex parte cognitionis, quæ non potest simul unum totum cognoscere, unde delectat q una pars succedat alteri, & sic totum sentiatur. in natura autem intransmutabili, motus non erit causa delectationis

20 *Spes est causa delectationis* 1.2.32.3

Per ipsam .n. & si bonū amatū realiter nobis non coniungitur, tñ coniungitur propter apprehensiõem & facultatē et potestatē habendi illud, unde hoc modo causat delectationem.

Memoria

ubi s.1.ethi.c.11 *Memoria est causa delectationis.* 21

Nam coniungit bonum amatum cum amãte si est memoria de bono amato, ad hoc autem sequitur delectatio memoria ergo rei amatę est delectabilis.

ubi s.ar.4. *Tristitia est causa delectationis per accidens.*

1.eth.c.11 Si em̃ est in actu, causat memoriam rei dilectę de cuius apprehensione amans delectatur. si autem tristitia non sit in actu, sed in memoria tantum, sic causat delectationem inquantum sub ratione boni cõprehenditur euasio mali causantis tristitiam. 22

ubi.s.ar.5 *Actiones aliorum sunt in nobis causa delectationis.* 23

Ratio huius primo potest esse ex eo quod aliquando per actiones aliorum aliquod bonũ nobis coniungitur: aliquando quia per has fit in nobis ęstimatio proprij boni, uel etiam cognitio, ut cum laudamur uel honoramur maxime a sapientibus, uel amamur, uel in admiratione sumus: aliquando etiam, quia operationes aliorum ęstimantur a nobis, ut proprium bonum nostrũ propter uim amoris, quæ facit ęstimare amicum esse alterum se. His omnibus modis operatiões aliorum sunt nobis delectabiles.

ubi s.ar.6. *Benefacere alteri est delectabile.* 24

2.poli.lec.5.
1.ethi.c.11 Tum quia aliquando bonum alterius reputamus nostrum, tum aliquando quia per hoc aliq̃d bonum sperat quis consequi. Spes autem causat delectationem. tum etiam quia fit per hoc aliqua imaginatio superabundantis boni in seipso: tum

etiam

etiam quia aliquando hoc est naturale, sicut naturale est liberali dare, tum etiam quia id facimus quandoque propter aliquem amicum: quod autem fit propter amicum delectabile semper est.

25 *Similitudo est causa delectationis.* 1.2.32.7.

Cum enim sit causa amoris, & amor causa delectatiōis, sequitur quod similitudo etiam sit causa delectationis, similitudo enim est quædam unitas, unde simile inquantum unum est delectabile & amabile per se: per accidens uero contristat, dum aliquando proprium bonum corrumpit: unde nimia copia cibi non delectat: & similiter faber non delectatur in simili fabro propter lucrum. Vbi s. ar. 8.

26 *Admiratio est causa delectationis.* 1. eth. c. 11

Nam admiratio est quoddam desyderium sciendi causam, quam ignorat homo uidendo effectum. Ex desyderio autem causatur delectatio, si bonum desyderatum consequutus quis fuerit, & tanto maior quanto maius fuit desyderium, si autem nondum consequutus est bonum, sed spem habeat consequendi, cum ex spe causetur delectatio, patet quod admiratio, si speretur cognitio est causa delectationis. Sunt etiam admirabilia delectabilia: sicut ea quæ sunt rara. Gaudet enim anima conferre unum cum altero & noua ueteribus iungere, quia hoc conferre est proprius & connaturalis actus rationis.

27 *Delectatio est effectus delectationis.* 1.2.33.1

Delectatio enim apprehensionem boni coniun-

cti requirit: per hoc autem quod homo cognoscit sibi coniunctum esse aliquod bonum, apprehendit se quandam perfectionem adeptum, quæ est spiritualis magnitudo, & sic magnificatur & dilatatur. Ex parte quoque appetitus dum quiescit in bono amato, quodammodo dilatat se ad capiendum interius bonum totum amatum.

ubi s. ar. 2

Delectatio causat desyderium sui ipsius. 28

Si enim est in actu, accipiēdo deyderium pro appetitu rei non habitæ, sic causat desyderiū sui ipsius, non per se loquendo, sed secundum quod imperfecte habetur ut cū auditur oratio uel melodia, & etiam hoc patet in cognitione dei in uita præsenti. si uero accipiatur desyderium pro affectu qui tollit fastidium, sic delectationes spirituales causant sui ipsius desyderium, quia perficiunt naturam, & cum peruenitur ad consummationem in ipsis: tunc sunt magis delectabiles, quod non contingit in corporalibus, eo quod augmentatæ & continuatæ faciunt superexcedentiam naturalis habitudinis, & sic efficiuntur tædiosę unde ēt contemplatio per accidēs efficit tediosa inquātum ei coniunguntur aliquæ operationes uirtutum corporalium. si autem delectatio non sit in actu, sed in memoria solum, sic est apta nata causare sui ipsius desyderium, si tamen homo sit in ea dispositione, in qua fuit ei delectabilis, aliter causabit fastidiū, unde memoria cibi quibusd eāst fastidiosa, ppter indispositionē.

ubi. s. ar. 4
10. ethi. c. 4

Delectatio perficit operatonem. 29

Quia est sicut quidam finis superueniēs secundum

dum quod poteſt dici finis omne bonũ complectiue superueniens, inquãtum ſcilicet ſuper hoc bonum, quod eſt operatio ſuperuenit aliquod bonum quod eſt delectatio, quæ importat quietem appetitus in bono præſuppoſito. Item ex parte agentis, indirecte tamen inquantum ſcilicet agẽs, quia delectatur in ſua actione uehementius attẽdit ad ipſam, & diligentius in ea operatur, unde qui delectatur contẽplari a delectatiõe adiuuatur. 1.2.33.3.

30 *Delectationes corporales impediunt uſum ratiõis.* 6.eth.c.6

Tum quia deſtruunt rationem ab uſu ſuo cum alijs faciant animam uehementius intẽdere, tum quia ſunt cum quadam tranſmutatione corporali, quæ perturbat lumen rationis, & impedit, ac quodammodo ligat, tum etiam aliquando, quia ſunt contrariæ alicui uſui rationis, ſicut cum deſtruunt exſtimationem prudentiæ, non autem ſpeculationẽ, cui delectatio non eſt contraria.

31 *Delectationi contemplationis non eſt aliqua triſtitia contraria.* 1.2.35.5

Intellige aũt de delectatiõe, quæ habetur de ipſa contẽplatione, nã ſicut dictũ fuit in libro xij. delectatio & triſtitia ſunt contraria propter contrarietatem obiectorum, at obiecto contemplationis nihil eſt contrarium. Nam etiam contrariorum rationes ſecundũ quod ſunt apprehenſę, nõ ſunt contrariæ, immo unũ contrariũ eſt ratio cognoſcendi alterum. Verum ſi delectatio contemplationis, accipitur pro delectatiõe quæ ſequitur contemplationem, cum ſit quies in re contẽplata tunc poſſet habere triſtitiam contrariam, ſi de re contraria triſtaretur.

Dolor

ubi sup. ar. 7 *Dolor cordis maior est quam dolor exterior.* 32

Dolor enim interior repugnat per se appetitui, sed dolor exterior repugnat appetitui, quia repugnat corpori, semper autẽ quod est per se est prius eo, quod est per accidens. Ex parte quoque apprehensionis, quia obiectum doloris & tristitiæ est malum cõiunctum apprehensum: cum igitur imaginatio & ratio sint altiores uirtutes quam sensus exterior, sequitur quod per se loquendo dolor interior sit maior dolore exteriori, hoc ex eo potest esse manifestum, quia dolor interior est uniuersalior. Nam quicquid repugnat corpori, potest esse repugnãs interiori appetitui, et quicquid apprehenditur sensu, potest apprehẽdi per imaginationem & intellectum, non autem econtrario, uerum ex dolore exteriori magis immutatur corpus quam ex interiori, sicut etiam ex imaginatione maior fit mutatio in corpore quam ex ratione, quia ratio est magis a corpore eleuata.

2.2.36.2.3 *Amor est primum principium tristitiæ.* 33

Obiectum enim quod est malum coiunctum seu imminens est causa tristitię per modum finis. Amor autem per modum principij, quia Amor dicit inclinationem quãdam ad bonum. In quolibet autem motu terminus mouet sicut finis, principium autem est inclinatio mobilis ad illum. Si enim non amaremus aliquam rem, non tristaremur de absentia eius, uel de contrario eius nobis coniuncto, & quia bonum uniuscuiusque rei in quadam unitate consistit, ideo eo modo, quo amor

amor boni est causa tristitiæ, sic etiã amor seu appetitus unitatis est causa eius, similiter quia bonum amissum habet rationem mali, ideo sicut malum coniunctum est causa tristitiæ, sic & bonum amissum, & eo modo .s. per modũ obiecti.

34 *Dolor aufert facultatem addiscendi.* 1.2.73.1.3.

Omnes enim potentiæ animæ in una essentia animæ radicantur, & ideo necesse est quando intentio uehementer trahitur ad operationem unius potentiæ, ꝙ retrahatur ab operatione alterius; dolor autem sensibilis maxime trahit ad se intentionem animæ, iccirco multum impedit facultatem addiscendi, immo potest esse etiam tantus, ut impediat facultatem contemplandi iam scitũ, unde etiam alias operationes impedit, maxime quando illæ sunt eius obiectum, nam homini repræsentantur, ut malum, & sic retrahitur ab eis, operationes tamen, quæ expellunt tristitiam ex ipsa fortius augentur, nam quanto est maior tristitia tanto homo magis conatur ad eam expellendam.

35 *Aggrauatio est effectus tristitiæ.* *Vbi su. ar. 3.*

Nam tristitia causatur ex malo imminenti, qđ quidem ex hoc quod repugnat motui appetitus aggrauat animum & impedit ipsam ne fruatur eo quod uult, & si sit spes euadendi, remanet ei motus ad expellendum nociuum, si autem deficit spes, impeditur etiam motus animi interior, ut nec hac uel illac diuertere queat, & quandoꝗ etiam impeditur motus corporis, ita ut homo stupidus remaneat in seipso, & quia humana

B uita

uita consistit in quadam motione, quæ à corde in cætera membra diffunditur, cui contrariatur tristitia, ideo tristitia maximum corpori nocumentum infert: quia repugnat uitali motioni secundum spem suam, & non solū secundum quantitatem, sicut aliæ passiones, post hanc etiam nocent illæ passiones, quę impediunt motum istum secundum speciem suam, quæ scilicet important motum cum fuga & retractione, sicut timor & desperatio. Illæ uero, quæ important motum appetitus ad prosequēdum aliquid, nocent propter nimium excessum, sed quia non contrariantur huic motioni secundum speciem, sed solum secundum quantitatem, ideo non tantum nocent, sicut tristitia, & similes ei.

1. 2. 38. 1. 7. ethi. c. ulti. *Quælibet delectatio quemlibet dolorem aliqualiter mitigat.* 36

Delectatio enim ita se habet ad tristitiā in motibus appetitus, sicut se habet in corporibus quies ad fatigationem, sicut ergo quælibet quies remedium affert contra quamlibet fatigationem ex quacunq; causa prouenientem, ita etiam quęlibet delectatio affert remedium ad mitigandum quamlibet tristitiam ex quocunq; procedat.

Vbi sup. ar. 3. 4. 5. 9. eth. c. 13. *Fletus, dolor amici compatientis, contemplatio ueritatis, somnus & balnea mitigant tristitiam.* 37

Fletus quidem, quia omne nociuum interius inclusum magis affligit, quia magis multiplicatur intentio animę circa illud, sed quando ad exteriora diffunditur, quodammodo disgregatur. Et hoc fit

hoc fit per fletum, & uerba manifestando dolorem, secundo etiam, quia fletus est operatio conueniens dolenti, dolor autem amici compatientis, quia cũ tristitia sit quasi quoddam pōdus sit imaginatio dolenti, quod illud onus alij cum ipso ferunt, & etiam quia per hoc sentit se amari, quod est delectabile. Contemplatio autem ueritatis, quia in ea est maxima delectatio, unde contemplatio diuinorum maximè tristitiã mitigat. Balnea uero & somnus, quia cum tristitia repugnet uitali motioni corporis, illa quę reformãt naturã corporalem in debitum statum uitalis motionis repugnant tristitiæ & mitigant eam, balnea autem & somnus sunt homini, ergo.

38 *Spes pertinet ad uim appetitiuam.* 1. 2. 40. 2.

Vis enim cognoscitiua perficitur non secundum motum cognoscentis ad res, sed secundum quod res cognitæ sunt in cognoscente, spes autem dicit quandam extensionem in proprium obiectum, ut patet ex ratione eiusdem proprij obiecti, ad quam quatuor requirũtur, primo quidem ut sit bonum, malum enim non speratur, secundo ut sit futurum, quia præsens non speratur, tertio ut sit arduum, quia parua non speramus, quarto quod sit possibile haberi, quia impossibilium nõ est spes. In huiusmodi ergo obiectum spes extenditur, cui contrariatur desperatio, quia spes tendit ad hoc bonum. Desperatio autem recedit, pertinet igitur ad appetitum sicut & desperatio.

Vbi ſu.ar.ſ.6. *Experientia iuuentus & ebrietas ſunt cauſa ſpei.* 39

2.eth.c.12.3. Experientia quidem quia facit arduū eſſe poſ-
eth.c.10. ſibile, eo quod per ipſam acquiritur facultas aliquid faciendi, unde etiam hoc modo diuitiæ & fortitudo ſunt cauſa ſpei. Doctrina autem & perſuaſio ſunt cauſa ſpei, quia faciunt æſtimationem quod aliquid ſit poſſibile, & hoc etiam modo
2.eth.c.13. experientia eſt cauſa ſpei, quo etiam modo poteſt eſſe cauſa defectus ſpei, quia per experientiam homo aliquando facit ſibi æſtimationem, quod aliquid ſit ei impoſſibile. Iuuentus autem, quia cum obiectum ſpei ſit bonum arduum futurum poſſibile adipiſci, & iuuenes habeant multum de futuro & parum de præterito, & cum etiam abundent caliditate, ex qua ampliatur cor, & cum non ſint paſſi repulſam, nec experti impedimenta in ſuis conatibus, iccirco ſunt bonæ ſpei, quia uiuunt in ſpe futuri, & in ardua tendunt animoſe, & de facili reputant aliquid ſibi poſſibile. Ebrij uero ſunt bonæ ſpei propter caliditatem & multitudinem ſpirituum, & propter inconſyderationem periculorum. Stulti quoq; ſunt bonæ ſpei, quia propter inconſyderationē omnia tentant.

1.2.40.7. *Spes eſt aliquo modo cauſa amoris.* 40

Quia enim bonum arduum poſſibile, ſit nobis aliquando per alios poſſibile, ideo mouemur in eum, per quem ſit nobis poſſibile bonum tanq; in bonum noſtrum, & ſic incipimus eum amare, uerum ſi ſpes reſpiciat bonum ſperatum, ſic non cauſat amorem, ſed ex amore cauſatur, non enim eſt niſi de bono amato. Spes

41 *Spes adiuuat operationem.* *Vbi ſu. ar. 8.*

AEſtimatio enim ardui excitat attentionem. AEſtimatio uero poſſibilis non retardat conatū unde ſequitur q̄ homo intente operatur propter ſpem. Item cum ſpes cauſa ſit delectationis, quæ adiuuat operationem, ſequitur quod etiam ſpes hoc modo operationem adiuuet, & ſic adiuuat eā & ratione obiecti, & ratione effectus.

42 *Timor proprie non eſt de malo culpæ.* 1. 2. 42. 3.

Timor enim eſt de malo futuro arduo propinquo quod non poteſt de facili uitari. Sed malum culpæ omnino ſubiacet noſtræ uoluntati, & ideo non habet proprie rationem terribilis, poteſt tamen eſſe timor de inclinatiuo ad culpam, ut de mala ſocietate & hic eſt magis timor ſeductiōis q̄ culpæ. 2. eth. c. 5.

43 *Timor timeri poteſt.* 1. 2. 42. 4.

Poteſt enim quis timere ne immineat ei neceſſitas timendi, propter ingruentiam alicuius excellentis mali & ſic illum timorem apprehendit tanquàm malum arduum. Verum eſt tamen q̄ aliquando dicimus quod timor non poteſt timeri, quia accipitur timor ſenſibilis qui ſubiacet imperio rationis & uoluntatis, & ideo proprie ille non timetur.

Inſolita & repentina & ea quæ non habent remedium incutiunt maiorem timorem quàm cætera. *ubi ſu. ar. 5. 6.*

44 Omnia. n. corporalia & bona & mala quanto magis conſyderantur, minora apparent. Quia ergo inſolita mala & repentina ſunt minus conſy-

derata, & quia etiam ad ea repellenda homo minus est præparatus, iccirco maiorem timorem incutiunt q̃ cætera, ea etiam, quæ non habent remedium apprehenduntur, ut diuturna & quasi perpetua & consequenter sub ratione maioris mali, & ideo ea magis timentur quàm alia.

1.2.43. per totũ *Amor & defectus sunt causa timoris.* 45

Amor quidẽ, quia ex hoc ꝙ aliquis amat aliqđ bonũ, sequitur quod priuatio talis boni sit ei malũ, & sic hęc priuatio ab eo timetur. Si.n. quis nihil amaret, etiã nihil timeret. Defectus aũt quia malum arduũ propinquũ, cui de facili non potest resisti, est cã timoris. Qđ aũt illi non de facili põt resisti, causa est debilitas uirtutis ipsius timentis. Ex quo etiam sequitur quod uirtus incutientis timorem sit causa timoris, sicut cum quis timet, ꝙ aliquis uelit inferre nocumentum sibi, quia læsus fuit, uel quia timet lædi.

1.2.41. 4. *Timori sex species assignantur.* 46

In operatiõe.n. hominis põt labor timeri, et sic causatur segnities, dũ.s. quis refugit operari, ꝑpter timorẽ excedentis laboris, põt ẽt timeri turpitudo futura, et sic est erubescentia, uel turpitudo pręterita, & sic est uerecũdia. In exterioribus aũt rebus aliquis aliqñ timet, ꝑpter malũ magnũ, cuius exitũ cõsyderare nõ sufficit, & sic causatur admiratio, uel timet ex dissuetudine, propter quam ei ut malum repręsentatur, et sic causatur stupor, qui procędit ex insolita imaginatione, uel quia nõ potest prouidere & sic causatur agonia.

1.2.44. per totum. 2. eth. c. 5. *Timor est causa contractionis, tremoris, consilij & impedit operationem.* 47

In

In paſſionibus.n.animæ formale eſt motus appetitiuæ potentiæ: materiale aũt eſt tranſmutatio corporis,ſed in uoluntate timor & aliæ paſſiones ſunt ſimplices actus,& non fit per hoc tranſmutatio corporalis,niſi per quandã redundantiã ſuperioris partis ad inferiorem,ideo ſecũdũ rõnem appetitiui motus ſequitur trãſmutatio corporalis Timor aũt quandã contractionẽ importat, quia cauſatur ex defectu uirtutis,uirtus aũt deficiẽs ad interiora ſe trahit tanquam ad arcem , ſicut patet in morientibus,quorũ uirtus ad interiora ſe trahit propter debilitatem , & ex hoc ſequitur contractio ſpirituũ & caloris ad interiora,& ex conſequenti cum exteriores partes relinquantur à calido,& à uirtute animæ cõtinente illa membra, accedit in eis frigiditas,& tremor,cum apprehẽdimus malum futurum,ut magnum & difficile, quærimus conſilia ut euadamus.Ex tremore autem ſequitur debilitas in operationibus,& ſic exteriores operationes impediuntur,ſi etiam ſit tãtus,ut rationem perturbet,impedit etiam operationem rationis. Si uero ratio non perturbatur magis adiuuat inquantum facit hominem magis ſolicitum,& facit attentius ipſum operari & conſiliari.

48 *Nihil quod ad defectum pertinet eſt cauſa audaciæ.* 1. 2. 45. 2. 3.

Audacia .n. ſequitur ſpẽm ex hoc.n. ꝙ aliquis ſperat ſe poſſe ſuperare periculũ imminens,audacter inſequitur ipſum.Nam paſſiones,quæ malũ ꝓſequuntur,non illud proſequuntur per ſe,ſed inquãtũ eſt eis aliqđ bonũ adiunctũ,unde ſequũtur

passiones, quæ bonum prosequuntur, sicut ergo audacia sequitur spem, ita timorem desperatio, quia etiam bonum non fugitur per se, sed inquantum ei coniungitur malum. Illa ergo, quæ faciunt æstimationem aliquid esse possibile adipisci per se, uel per alios, sunt apta nata causare audaciam, sicut fortitudo corporis, experientia, diuitiæ, multitudo amicorum, & presertim auxilium diuinū, unde philosophus dicit in rhetorica, ꝙ illi qui be-
3.de par aīā.c.4 ne se habent ad diuina, audaciores sunt. Itē etiā remotio terribilium excludens timorem causat audaciam, ut cum homo nō habet inimicos, uel nulli nocuit, uel nullum aliud periculū uidet. Item ēt illi, qui habent cor calidum, sunt audaciores cęteris, unde qui habent paruum cor, sunt audaciores eis, qui habent magnum, & qui habent pulmonē sanguineum, quia ex eo sequitur caliditas in corde, & similiter uini amatores, per caliditatem .n. amplificatur cor & extenditur.

1.2.45.4. *Audaces sunt promptiores in principio periculorum* 49
3.ethi.c.8.lec.15 *quàm in ipsis periculis, sed fortes econuerso.*

Nam audacia sequitur apprehensionem sensitiuam, quæ non est collatiua, & ideo audaces subitum habent iudicium, unde in principio non pñt omnia, quę circunstant, agnoscere, & ideo, quando sentiunt periculum, habent maiorem difficultatem & deficiūt: sed fortes omnia per rationem cōsyderant, unde frequenter inueniunt in periculis multo minora quam credebant, & ideo in principio sunt remissi, quia cum deliberatione agunt, sed cum sunt in periculis, propter bonū uirtutis,

tutis, quod in eis perseuerat fortiter agunt.

50 *Ira est ad eos solum, ad quos est iustitia uel iniustitia.* 1.2.46.3.4.5.7 8. 7.eth.c.9. lec.6

Ira enim respicit duo obiecta, scilicet uindictã quam appetit, & eum de quo uindictam querit, & circa utrunque quandam arduitatem requirit. Nam quæ modica sunt, nulla re digna existimamus, unde contra talia non irascimur, ideo qui irascitur syllogizat de pœna infligenda pro nocumento sibi illato, quoniam scilicet oportet tales statim oppugnare, qui inferunt nocumenta, ideo appetit malum sub ratiõe iusti uindicatiui, inferre enim uindictam ad iustitiam pertinet, lædere uero ad iniustitiã, ira ergo ad eos ẽ, ad quos est iustitia & iniustitia, potest tamen esse in brutis animalibus inquantum naturali instinctu mouentur ad aliquid simile operibus rationis, unde etiam homo ex sola imaginatione iniuriam nunciante, mouetur etiam contra res inanimatas secundum similitudinẽ illius motus, qui est in animalibus cõtra quoddam nociuum. Quia ergo ira est cum ratione, ideo dicitur magis naturalis homini q̃ concupiscentia, quæ minus rationem sequitur secundum naturam speciei, sed secundum naturam qua homo est animal, est naturalior concupiscentia. Ex ipsa enim natura generis homo habet quandam naturalem inclinationem ad appetendum ea, quæ sunt conseruatiua speciei uel indiuidui, quæ magis appetuntur quam uindictæ. Ex complexione tamen indiuidui, ira uidetur esse naturalior; quia colera quæ igni assimilatur citius

4.eth.c.11.lec. 13.ſcd'ũ ſcdẽ 58. mouetur quam cæteri humores, unde quidam irati uocantur acuti, quia cito iraſcuntur, quidam amari, quia retinent diu iram, quidam difficiles quia nunquam quieſcunt, niſi puniant.

1.2.47.p totũ 2.ethi.c.2 *Ira eſt appetitus punitionis cum triſtitia propter apparentem parui pẽßionem non communiter factam.* 51

Vindicta enim & appetitus punitionis non habent locum, niſi ubi præceſſit iniuria, quę pertinet ad eum, qui iraſcitur. Nam naturaliter unuſquiſque proprium malum repellit, unde motiuũ iræ ſemper eſt aliquid contra ſe factum, quod ut ſic apprehenditur ſub ratione iniuſti. Et hoc maxime eſt, quando malitia creditur eſſe factum, nã quando aliquis iniuriatur ex ignorãtia uel ex paſſiõe ſuperueniente, non iraſcimur contra eum, uel minus iraſcimur, quaſi putantes ipſum eſſe uenia dignum. Cum autẽ ex induſtria facit, iraſcimur, quia credimus ex contẽptu peccare & nos paruipendere, & agere contra excellentiam noſtram, quã ualde omnis homo deſyderat, & ideo homines excellentes facilius iraſcuntur, quaſi iniuſtius paruipenſionem patientes, & præſertim ſi a perſonis uilibus paruipendantur, licet etiam infirmi & defectibus ſubiacentes faciliter iraſcantur propter triſtitiam, cui multum ſubiacent, quia nocumentum eſt cã triſtitiæ & iræ, licet diuerſimode & triſtitia deponit ad iram.

1.2.46.7.ſcd'm *Ira non eſt ad ſe, ſed ad aliũ non tamen ad oẽs iniuriãtes, ſed ad aliquos & magis ad unum quã ad alium.* 52

Licet enim aliquis uideatur quandoque iraſci ſibijpſi

sibijpsi,& de seipso uindictam facere, ut patet de poenitente, tamen hoc non dicitur proprie irasci, sed metaphorice, sicut & metaphorice dicitur hō habere ad se iustitiam & iniustitiam, inquantum scilicet ratio regit cōcupiscibilem & irascibilem, proprie autem quis irascitur alteri, sicut proprie ad alterum est iustitia, quā ira, ut dictum est, attendit non tamen ad omnes iniuriantes, quia nō est ad personas multum excellentes, nam cum respiciat uindictam & possibilem, nō insurgit motus iræ, nisi adsit spes uindicandi, quod respectu personę multum excellentis non contingit. Quādo ergo talis persona infert nocumentum, insurgit tristitia, & non ira. Item non est ad mortuos, nisi modo dicto de rebus inanimatis, inquātum motus iræ ex imaginatione & non ex ratione ꝓcedit, tum quia non dolent, quod maxime quærunt irati in eis, quibus irascuntur, tum quia non est ad eos uindicta, cum eorum non sit iniuriam facere. Non est etiā æqualiter ad omnes, ad quos pōt esse, magis enim irascimur amicis, si parui pendant, & iniuriam inferunt, quam inimicis, quia talis iniuria uidet magis indigna, ut pote ab ijs a quib. putabamus magis oportere benefieri.

1.2.46.1. 1.2.46.7.primum.2.reth.c.2 1.2.47.4.tertium 2.the. 1.2.48.ꝑ totū 2.reth.c.2

53 *Ex ira procedit delectatio. feruor, impedimentum rationis & taciturnitas.*

Ira enim insurgit ex iniuria contristante, cui tristitiæ remedium adhibetur per uindictam, & ideo ad præsentiam uindictæ sequitur delectatio, & si uindicta realiter perficiatur, fit delectatio perfecta, si autem non sit perfecta, tunc

tunc causat delectationem per continuationem imaginationis eius & spē, & quia transmutatio corporalis sequitur motum appetitus & motus iræ est motus insecutionis, cui proportionatur calor, consequenter motus iræ est causatiuus cuiusdam feruoris sanguinis & spirituum circa cor, quod est instrumentum passionum animę, & ex hoc impeditur ratio, quæ & si non sit in organo corporali, indiget tamē quibusdam naturalibus instrumentis sensitiuis, quorum actus impediuntur corpore perturbato, & quia talis perturbatio usque ad exteriora membra perducitur, maxime ad ea in quibus relucet uestigium cordis, sicut in oculis, in facie, & in lingua, hinc est quod per irā, facies ignescit, lingua se præpedit & balbutit, uel totaliter silet, exasperātur oculi, cor palpitat, corpus tremit: aliquando tamē taciturnitas sequitur ex uigore rationis, quæ imponit sibi taciturnitatem in illo impetu iræ, ne inordinate loquatur. Igitur de anima uegetatiua, sensitiua, appetitiua, motiua & intellectiua, quantum ad intellectum & uoluntatem, & de omnibus rebus naturalibus hęc compendiose dicta sufficiant. Reliquum est ergo, ut ad moralia descendamus.

Explicit liber quintus decimus & ultimus de uoluntate. Et explicit cōpendium philosophiæ naturalis fratris Hieronymi de Ferraria ordinis prædicatorum.

Postilla

Postilla in librum quintum decimum.

QVoniam uoluntas sequitur intellectum conuenienter post tractatum de intellectu et anima intellectiua sequitur tractatus de uoluntate. In quo duo principaliter facit author. primo enim agit de ipsa uolūtatis potentia, secundo de actib. eius. Quo ad primum, primo determinat quęstionē an est in 1. cōclusione, secundo quęstionem quid comparando illam ad intellectum quo ad distinctionem in 2. quo ad nobilitatem in 3. et quo ad motionem in 4. tertio manifestat modum quo aliquid uult in 5. ex quo sequitur ipsam esse separatā ab organo, sicut & intellectus quod declarat in 6. Demū ostendit eius unitatem, quia scilicet non distinguitur in duos appetitus, sicut appetitus sensitiuus in 7. Quo ad secundum præmisso quales sint actus uoluntatis in 8. primo agit de amore, ostendens quid sit per comparationem ad dilectionem, amicitiam et charitatem in 9. & quomodo diuiditur in 10. secundo de odio, quod opponitur amori, & specialiter de odio sui in 11. & odio ueritatis in 12. de his.n. est dubium an possint odio haberi. tertio de concupiscentia quæ sequitur amorē, ostendens quomodo est propria homini, & quomodo non in 13. & q̄pta est in 14. uidetur.n. præ alijs habere quendā excessum. quarto de delectatione, declarans naturā eius per comparationem ad gaudiū in 15. diuersitatem. s. spiritualiū & corporaliū, cōparando illas adinuicem in 16. & naturalium & innaturaliū in 17. causas in 18. usq; ad 26. in quib. manifestat 9. cās

refert.

eius, quæ quouis modo ordinentur non multum refert. Et effectus eius qui sunt quatuor a 27. usq; ad 30. quinto agit de tristitia quę opponitur delectationi, & ostenso quomodo contrariatur illi in 31. distinguit ipsam per interiorem et exteriorem cōparando illas ad inuicē in 32. deinde agit de cā eius in 33. de effectibus eius in 34. & 35. & de remedijs in 36. 37. sexto agit de spe manifestās eius naturam in 38. cām in 39. & effectus in 40. & 41. septimo agit de timore qui opponitur spei, declarando eius obiectū siue de quo est, timore uel esse potest in 42. & 43. a quib. causatur in 44. et 45. quot species habet in 46. & quos effectus producit in 47. octauo agit de audacia quæ opponitur timori, ostendens cās eius in 48. et effectū in 49. Demum agit de ira, secundum quod est actus uoluntatis declarans obiectum eius in 49. Motiuū siue cām in 50 ad quos est in 51. & eius effectus in 52. & sic terminatur scientia naturalis in notitia animæ rationalis & merito, quia est finis omniū naturaliū, & terminus etiam ipsius philosophiæ naturalis, ut docet philosophus in secundo phy. Est .n. partim separata & partim coniuncta corpori, ut ibi dicitur. De libero aūt arbitrio q̄uis sit eius facultas hic non agitur: tum quia est idem in essentia cum uoluntate: tum quia tractatur de ipso immediate in principio philosophiæ moralis: hæc igitur de naturali sufficiant.

FINIS.

COMPENDIVM PHILOSOPHIAE MORALIS FRATRIS HIERONYMI DE FERRARIA ORDINIS PRAEDICATORVM.

INCIPIT LIBER PRIMVS DE VLTIMO FINE HVMANAE VITAE.

1 H*Omini conuenit agere propter finem.* S.t.1.2.q.1.ar.1

Actionum enim quę ab homine aguntur, illæ solum dicuntur humanæ, 2.phy.t.c.49.
quæ sunt hominis inquantum homo, hoc est in- 1.eth.c.1.lec.1
quantum ab alijs animalibus differt. homo au- s.t.
tem ab alijs animalibus differt per hoc, quod est dn̄s suorum actuum per rationem & uoluntatem, unde illæ actiones proprie dicuntur humanæ, quæ ex deliberata ratione procedunt, alioquin poterunt esse actiones hominis, non tamen humanæ. Quia ergo obiectum uoluntatis est bonum, & finis & omnes actiones, quæ procedunt ab aliqua potentia, causantur ab ea secundum rationem sui obiecti, sequitur quod omnes actiões humanæ sunt propter finem, & sic homini conuenit agere propter finem, inquantum est homo.

2 *Homo est liberi arbitrij.* s.t.pria.q.83.

In naturalibus enim quædam absque iudicio ar.1.
agunt

agunt ut grauia, quæ deorsum descendunt, quædam cum iudicio naturali sed non libero, quia ad iudicandum naturali instinctu dicuntur de solis particularibus, ut bruta. homo uero agit iudicio libero, quia iudicium eius est ex collatione quadam rationis, unde potest in diuersa ferri, et diuersa eligere, & unum eligere refutato altero, hoc autem est liberum arbitrium, ergo homo est liberi arbitrij.

ubi su. ar. 2.3.4 *Liberum arbitrium hominis non est habitus, sed est realiter ipsa hominis uoluntas.* 3

Habitus .n. sunt qualitates per quas homo ad actus bene, uel male se hẽt ita q̃ si hẽt habitũ malũ male se habet ad actum, si bonũ, bene: liberũ autem arbitrium indifferenter se habet ad bonũ, & ad malum eligendum. Cum igitur bonum inquantum huiusmodi obiectum sit appetitus, patet quod liberum arbitrium pertinet ad uirtutem appetitiuam. Cum autem sequatur rationem, patet etiam quod pertinet ad appetitum ratiõalem, sed in homine nõ ponimus nisi unum appetitum rationalem qui est uoluntas: ergo oportet quod liberum arbitrium sit idem quod uolũtas: distinguitur autem ab ea, ratione secundum quandam proportionem ad intellectum & rationem, intellectus enim prout est circa prima principia uocatur intellectus, prout uero discurrit ad conclusiones dicitur ratio: ita etiam uoluntas prout respicit finem dicitur uoluntas, quia finis in agibilib. est sicut principium in speculabilibus, prout uero respicit ea quę sunt ad finẽ dicitur liberũ arbitriũ,

cuius

cuius actus est eligere ea, quæ sunt ad finem, quę se habent in agibilibus, ut conclusiones in speculabilibus.

4 *Proprium hominis est, ut se ducat ad finem.* 1. 2. q. 1. ar. 2.

Illud enim quod cognoscit rationem finis, & eorum, quæ sunt ad finem, & habet dominiū suorum actuum, proprie seipsum potest ducere in finem: sed homo est huiusmodi, cum sit rationalis & liberi arbitrij, ergo seipsum ducit in finem. Cætera uero animalia, cum non cognoscant rationē finis & eorum, quæ sunt ad finem, nec sint liberi arbitrij, aguntur in fines suos naturali quodam instinctu, & ideo inter animalia et inter corporalia solus homo se ipsum ducit in finem.

5 *Actus humani à fine speciem sortiuntur.* Vbi su. ar. 3.

Vnumquodq; enim speciem sortitur secundū actum et non secundum potentiam. Actio igitur speciē sortitur ab actu, quia nihil aliud est quàm principium agendi: passio uero ab actu, qui est terminus motus, calefactio enim est motus à calore si actiue accipiatur, si autem passiue est motus ad calorem, quia ergo homo habet dñium sui actus, & seipsum mouet, & ducit ad finem: sui actus possunt consyderari per modum actionum, & per modum passionum, Principium autem ipsorum nihil aliud est q̄ finis, qui appetitur, & huiusmodi etiam est terminus eorum, appetibile enim est principium mouens appetitum: & termi nus ad quem mouetur, siue ergo actus humani consyderentur per modum actionum, siue per

modum passionum speciem à fine sortiuntur.

Vbi sup. ar. 4. *Necesse est esse aliquem ultimũ finem humanæ uitæ.* 6

1. eth. c. 1. lec. 2. 5. t. In omnibus enim quæ per se habent ordinem ad se inuicem necesse est ꝙ remoto primo remoueantur ea, quæ sunt ad primum: primum autem in finibus secundum ordinem intentionis est ultimus finis, si ergo hic subtrahatur, sequitur ꝙ nihil ab homine intendatur: & quod nihil possit appeti: nihilq; terminari: & quod nullo modo possit homo secundum appetitum quiescere. Similiter si subtrahatur primum, à quo aliquis incipit operari, ut ad finem perueniat, quod in executione est primum, nullus posset incipere operari: nec aliquis hoc tentaret, nec de hoc fieret consilium, sed in infinitum procederetur. Necesse est igitur esse aliquem humanæ uitæ finem ultimum, & aliquod principium, à quo incipit operari.

1. 2. ubi su. ar. 5. *Impossibile est uolũtatem unius hominis in plura ferri sicut in ultimos fines.* 7

Illud enim aliquis appetit ut ultimum finem, quod appetit ut bonum perfectum & completiuum sui ipsius, oportet igitur quod ultimus finis ita impleat appetitum totum, ut nihil extra ipsum appetendum relinquatur, quod esse non posset, si aliquid extraneum appetendum ad ipsius perfectionem requiratur. Preterea ultimus finis dicitur illud: quod naturaliter appetitur: sicut primũ principiũ intellectus, quòd naturaliter cognoscitur. Natura autem est ad unum determi-

nata. Prӕterea, cum actiones humanӕ à fine spe ciem sortiantur, a fine ultimo sortiuntur rationem generis. Cum ergo omnes sint unius generis, oportet quòd omnium sit unus ultimus finis. In unoquoque enim genere est dare unum primum, quod est maxime tale & causa aliorum illius generis.

8 *Quæcunque homo uult, propter ultimum finem uult.* Vbi su. ar. 6. 1. eth. c. 1. lec. 2. s. t.

Quicquid enim homo appetit: sub ratione boni hoc appetit, si ergo aliquid appetit non sub ratione boni perfecti, quod est ultimus finis: necesse est ut appetatur, ut tendens in bonum perfectum, quia semper inchoatio alicuius ordinatur ad perfectionem eius, igitur appetet ipsum, ut tendens in finem, & cum non sit procedere in infinitum, patet quod propter ultimũ finem, appetet omnia, quæ in finem tendunt. Prӕterea cum ultimus finis sit primum mouens, patet quod nihil mouet nisi in uirtute eius, non oportet tamen quod semper consyderetur actu: sed sufficit primӕ, uirtus intentionis quæ in quolibet appetitu manet.

9 *Omnium hominum est una ratio ultimi finis.* 1. 2. ubi su. ar. 7.

Omnes enim homines appetunt suam perfectionem adimpleri, quæ est ratio ultimi finis, nõ tamen omnes conueniunt quantum ad id, in quo ista ratio inuenitur: unde quidam appetunt diuitias tanquàm bonũ consumatum, quidã honores, et quidam aliquid aliud, sicut gustui est delectabile dulce sed nõ cuilibet gustui est delectabile

dulce in qualibet re, sed cuidam in melle: cuidam in uino, uel in alio huiusmodi.

Vbi su. ar. 8. *Hominis ultimus finis est etiam finis omnium.* 10

Hoc autem intelligo de ultimo fine, cuius gratia aliquid fit, id est de re, quæ est finis, nam finis omnium rerum est deus, qui est etiam omnium prima causa: sed si loquamur de fine quo, id est de adeptione ultimi finis: sic non omnium est unus ultimus finis: quia non omnia possunt adipisci Deum intelligendo & amando. Aliæ enim creaturæ ab homine adipiscuntur deum inquantum participant aliquam eius similitudinem, secundum quod sunt, uel uiuunt, uel etiam cognoscũt: homo autem, & cæterę creaturæ rationales per cognitionem intellectiuam, & amorem: & quia finis ultimus & beatitudo sunt idem; ideo nunc de beatitudine dicendum est.

1.2.q.2.ar.1.2. 3.4. *Beatitudo hominis non consistit in diuitijs, nec in honore, nec in gloria, nec in potestate.* 11

1.eth.c.6, lec.5. 5.t. Beatitudo enim est ultimus finis, ad quem omnia ordinantur: et ipsum ad nihil aliud ordinatur. Et cum sit ultima perfectio beati, & perfectio sit in perfectibili, oportet beatitudinem esse in beato. Et cum sit summum bonum non patitur secum aliquod malum, & ideo oportet, ꝙ sit per se sufficiens, nullo indigens, ex qua nulli potest malum accidere, & ad quam homo per principia interiora ordinatur, quia ad ipsam naturaliter ordinatur. Diuitiæ autem si sunt naturales, ordinantur ad hominis uitam. Artificiales uero ad natu-

ad naturales: Honor autem est magis in eo, qui honorat, & quia fit in signum excellentiæ, ideo sequitur excellentiam, quæ maxime attenditur secundum beatitudinem, Gloria autem, quæ est notitia cum laude, si est in hominibus, etiam ipsa magis sequitur beatitudinem, ex notitia enim bonitatis alicuius sequitur laus eius. Potestas autem potest se habere ad bonum & ad malum: unde patitur secum malum, imò omnia, quæ enumerauimus, patiuntur secum malum, & non sunt per se sufficientia homini: & ex eis possunt mala homini prouenire, & magis proueniunt homini ab exteriori quàm ab interiori principio In nullo igitur horum consistit beatitudo.

12 *Nec in bonis corporis, nec in uoluptate, nec in bonis animæ nec in aliquo bono infra deum beatitudo hominis consistit.* 1.2.ubi su.ar.5.6.7.8. 1.ethi.c.6.lec.5.5.t.

Corpus enim & omnia eius bona ad animam ordinantur. Materia enim est propter formam, unde cum uoluptas corporalis sit aliquod bonum corporale, & particulare, non potest in ea consistere beatitudo, quia anima in sui operatione excedit particularia bona, & quia ipsa anima, & omne quod est in ipsa, est particulare bonum, non potest in ea, nec in bonis eius consistere beatitudo: licet per ipsam, uel per aliquã uirtutem eius ad ultimum finem adipiscendum perueniat, & similiter cum beatitudo totaliter quietet appetitum, & omne infra deum sit particulare, patet ꝙ anima intellectiua non potest

in aliquo bono infra deum quiescere.

1. 2. q. 3. ar. 1. 2. 1. 1. eth. c. 9. lec. 30, Item 10. c. 7 lec 9. s. t.

Beatitudo est operatio hominis perfecta. 13

Beatitudo enim est ultimus finis, sed finis dupliciter dicitur, scilicet cuius & quo, finis cuius est obiectum operationis & res ipsa, finis autem quo est adeptio ipsius rei, loquimur ergo de beatitudine, secundum quod est finis quo. Cum igitur beatitudo sit perfectio hominis: & unũquodque intantum dicatur perfectum, inquantum est in actu: & cum ultimus hominis actus sit eius perfecta operatio, sequitur quod beatitudo sit hominis perfecta operatio. Non est ergo operatio alicuius, nec aliquorum sensuum, quia non est talis operatio perfecta in homine, seu ultima.

1. 2. ubi su. ar. 4. 10. ethi. c. 8. 9 lec. 10. 11. s. t.

Beatitudo non est essentialiter actus uoluntatis, sed intellectus. 14

Beatitudo enim est consecutio ultimi finis, quæ non consistit in actu uoluntatis, nam aut finis, in quem tendit uoluntas, non est præsens, & sic non habet beatitudinem, aut est præsens, & in ipso delectatur, sed non potest esse præsens nisi per actum intellectus ipsum repræsentantē: quia uoluntas non fertur nisi in bonum cognitum per intellectum, ergo prius est intelligere, quod per intellectum acquiratur ultimus finis, quàm per uoluntatem, essentialiter ergo consistit beatitudo in actu intellectus, sed delectatio uoluntatis postea consequitur tanquàm proprium accidens, uelut pulchritudo iuuentutem, quæ ipsam perficit. Hoc etiam patet ex eo quòd beatitudo est primum

obiectum

obiectum uoluntatis, & consequenter primum uolitum, sicut autem primum obiectum uisus non potest esse uisio, sed aliquod uisibile: ita primum obiectum uoluntatis non potest esse actus uoluntatis, sed aliquid, quod est obiectum ipsius actus, omne enim uelle est respectu alicuius uoliti. Dicendum ergo, ꝙ obiectum uoluntatis, quod est ipsa beatitudo, est coniunctio intellectus cum ultimo fine, in qua coniunctione uoluntas delectatur.

15 *Beatitudo non est operatio intellectus practici sed speculatiui.* *1.2. ubi su. ar. 5. 10. eth. ubi su. Item c. 9. lec. 12. 5.*

Cum enim intellectus sit altior omni potētia, quæ sit in homine, eo ꝙ respicit obiectum simplicius, & magis abstractum, & beatitudo sit hominis perfectissima operatio, quæ est perfectissimæ potentiæ, respectu perfectissimi obiecti necesse est, ꝙ beatitudo in intellectus operatione consistat & quia contemplatio quæritur propter se, & operatio intellectus practici propter aliquem finem, oportet ꝙ beatitudo sit operatio intellectus speculatiui, quę est optima, et per quā assimilatur deo & intelligentijs.

16 *Beatitudo non consistit in consyderatione speculatiuarum scientiarnm, nec in cognitione substantiarum separatarum infra deum.* *1.2. ubi su. ar. 6.*

Nam consyderatio speculatiuæ scientiæ non se extendit ultra uirtutem principiorum, quia in principijs tota scientia uirtualiter continetur, principia autem scientiarum speculatiuarū sunt

per sensum accæpta: & ideo consyderatio scientiarum speculatiuarum nō se potest extendere ultra sensibilia, uel ultra ea, quæ per sensibilia cognosci pñt: per sensibilia autem non potest homo cognoscere substantias separatas, ut probatū est supra in philosophia naturali, omnia autem sensibilia sunt infra hominem. Et non possunt esse perfectio intellectus nostri, nisi per accidens, id est in quantum participant aliquid, quod est supra intellectum humanum, omne autem quod est per accidens, reducitur ad id, quod est per se, oportet ergo dicere quod in istis inferioribus sensibilibus non consistat beatitudo speculationis nostræ; sed nec in substantijs separatis infra Deum, quia intellectus noster, cum pro obiecto habeat ens, & uerum, nunquam quiescit usquequo ad perfectam cognitionem huius obiecti peruenerit, unde statim cognito effectu desyderat cognoscere causam, si ergo uideret & cognosceret perfecte substantias separatas, sciret eas habere causam, & sic non quiesceret, donec causam cognosceret. Si autem non cognosceret eas habere causam, imperfecte cognosceret. Et sic etiam nō quiesceret, donec perfectam cognitionem haberet. In his ergo beatitudo eius non est.

Vbi su. ar. 8. *Beatitudo hominis in uisione Dei per essentiam consistit.* 17

Homo enim non potest esse beatus proprie quamdiu ei aliquid desyderandum restat. Cum autem peruenerit ad uisionem primæ causæ omnium

omnium rerum, nihil ei restabit desyderandum: quia hæc est ipsum esse & ipsa ueritas, & summũ bonum, ut infra probabitur. Tunc enim nõ quæret amplius causam, quia primę causę non potest quæri causa. ergo in tali uisione erit beatus: antequàm autem ad illam perueniat, restat aliquid appetendum.

18 *Ad hominis beatitudinem requiritur delectatio comprehensio & rectitudo uoluntatis.* 1.2.q.4.ar.1.2. 3.4.1.eth.c.10. 11.lec.14.15. Itẽ 10.c.3.lec.10 5.t.

Quadrupliciter enim requiritur aliquid ad aliud, uel sicut pręambulum, aut pręparatorium ad illud, uel sicut perficiens, uel sicut coadiuuãs extrinsecum, uel sicut concomitans. delectatio igitur requiritur tanq̃ concomitans, quia est quædam quies in bono adepto, unde cum uoluntas non quærat bonum propter delectationem, sed magis quietatur in bono propter bonitatẽ eius: sequitur quod ipsa operatio, in qua quietatur sit principalius bonum in beatitudine quam delectatio. Comprehẽsio quoque commitatur, quia nihil aliud est quam habitudo quædam comprehendantis ad finem iam habitum. Vnde non dicit operationem aliquam præter uisionem. Rectitudo autem uoluntatis requiritur ad beatitudinem tanquam præambulum, & præparatorium ipsius. forma enim requirit dispositiõem materiæ. Requiritur etiam tanquam concomitans, quia ex necessitate qui est beatus, habet rectam uoluntatem, eo quod delectatur in ultimo fine. unde quicquid uult in ordinem ad illum finẽ ex necessitate uult: sicut quicquid amat unusquisq; amat

amat sub communi ratiõe boni quam nouit: hæc igitur omnia requiruntur.

1.2.ubi s. ar. 5. 10. eth. c. 10. lec. 13. s. t.

Corpus perfectum requiritur ad beatitudinem hominis. 19

Si beatitudo est in ista uita, certum est quod requiritur ex necessitate corpus. si autem est in uita futura, cum sit in uisione dei, ad quam non requiritur phantasma, imo requiritur quod intellectus ab omni phantasmate sit purgatus, manifestum est quod non requiritur corpus ex necessitate, sed ad bene esse. quia cum operatio dependeat ex natura rei, quanto anima perfectior erit in sua natura, perfectius habebit suam propriam operationem, in qua felicitas consistit. est autem perfectior in natura unita corpori quam separata, ergo requiritur corpus. Et quia dictum est quod uisio dei per phantasmatum cõcursum impeditur, ideo requiritur quod hoc corpus sit perfectum taliter, ut operatio intellectus a uisione dei nõ impediatur, sicut etiam in hac uita requiritur bona corporis dispositio ad contemplationem diuinorum. Quale autem corpus sit futurum, quod ad beatitudinem requiritur perfectum, alio loco est dicendum.

1.2.ubi s. ar. 7. 8 1. eth. c. 13. l. 14. 15. itẽ 10. c 10 lec. 13. s. t.

Nec exteriora bona, nec amici ad beatitudinem sunt necessarii. 20

Exteriora enim bona sunt necessaria propter uitam animalem: si ergo beatitudo esset in hac uita, essent necessaria, & propter indigentiam huius uitæ, & quia deseruiunt instrumentaliter bea

titudini

titudini quę in operatione uirtutis consistit, sed si beatitudo est in alia uita, cum ad illam requiratur perfectio corporis talis, ut exterioribus non indigeat, patet quod nō erunt necessaria talia bona. Amici quoque necessarij sunt in hac uita, ut eis benefaciamus: & per eos adiuuemur in benefaciendo, & bene uiuendo. Sed cum anima uidet deum, cum in eo habeat totam plenitudinem suę perfectionis, nullo exteriore amplius indiget.

21 *Homo suam beatitudinem potest adipisci.* 1.2.q.5.ar.1

Quicunque enim est capax perfecti boni, potest illud adipisci, aliter frustra esset capax illius: sed homo est capax uniuersalis & perfecti boni: ergo &c. Præterea naturaliter omnis homo desyderat beatitudinem. si ergo nō posset ullo modo illam acquirere, sequitur quod naturale eius desyderium sit frustra, quod est falsum: quia deus & natura nihil agunt frustra, potest igitur illam consequi.

22 *Vnus homo potest esse beatior altero.* ubi s. ar 2

Beatitudo enim est adeptio siue fruitio ultimi finis. Quanto ergo magis homo fruitur illo, tanto est magis beatus. Tanto autem magis contingit ipsum frui deo, quanto est magis dispositus, uel ordinatus ad eius fruitionem. Cum igitur aliquis possit esse melius alio dispositus, patet q̄d potest esse beatior altero, & sic una beatitudo est maior altera, quod tamen non esset uerum, si loqueremur de beatitudine causa.i. de ipso obiecto beatifico, cum sit idem respectu omnium.

In

ubi.s.ar.3. *In hac uita beatitudo haberi non potest.* 23

Nam deus in hac uita uideri per essentiam nō potest, in qua uisione consistit beatitudo, ut dictum est. Et preterea cū beatitudo omne malum excludat, & omne desyderium impleat, certe in hac uita esse non potest, quia multis malis hęc uita subiacet, quę uitari non possunt, ut est ignorantia, inordinatę affectiones, & multiplices pœnę. Et preterea imperfectio istarum rerum temporalium non implet appetitum, quia cum homo maxime appetat permanentiam essendi, naturaliter refugit mortem, quam uitare non potest, unde ipse cum omnibus istis bonis transit, beatitudo ergo hic esse non potest.

ubi su.ar.4 *Beatitudo amitti non potest.* 24

Beatitudo enim est in uisione diuinæ essentiæ, igitur ex parte beatorum non potest amitti, quia nullus est qui possit nolle suam perfectiōem, nec ex parte dei, qui non dat pœnam sine culpa: beati autem non possunt peccare, quia, ut dictum est, ad beatitudinem ex necessitate sequitur rectitudo uoluntatis, nec ex parte alterius agentis, quia nihil est potentius deo, qui beatos in beatitudine sua uirtute conseruat, ergo nullo modo amitti potest.

Vbi s.ar.5.6 *Nec per suam naturalem operationem, nec per actionem alterius intelligentiæ adeo potest homo beatus fier.* 25

Beatitudo enim est in uisione diuinæ essentię Quia ergo omnis creatura operatur & cognoscit

secundū

ſecundum modum ſuæ ſubſtantiæ, & deus excedit ſubſtantiam cuiuslibet alterius rei in infinitum, ut aliàs oſtendemus, ſequitur quod nulla ratio et nullus intellectus infra deum per propriam uirtutem poſſit deũ uidere, & quia quod aliquis non habet, non poteſt alteri dare, ſequitur quod homo per uirtutem alicuius ſuperioris ſubſtãtiæ infra deum non poſſit fieri beatus, cum per propriam uirtutem nulla ſubſtãtia infra deum poſſit eum uidere.

26 *Ad beatitudinem conſequendam requiritur aliqua operatio hominis.* ubi ſ. ar. 7

Exigit enim ordo naturæ & diuinæ ſapientię, ut diſpoſitio materiæ præcedat introductionem formę. ad beatitudinem ergo conſequendam aliqua requiritur diſpoſitio, hęc autem eſt motus ad beatitudinem, qui eſt operatio intellectualis, uel rationalis ſubſtantiæ. Nam deus eſſentialiter habet beatitudinem, & ideo habet eam ſine motu. Subſtantiæ uero ſeparatæ, cum ſint magis ſtabiles quam homo, habent eam paucioribus motibus quam homo, qui motibus multis indiget, hęc autem ſunt opera bona, quę dicuntur merita, nam beatitudo eſt pręmium uirtuoſarum operationum.

27 *Oẽs hoẽs naturaliter appetunt beatitudinem,* ubi ſup. ar. 8

Naturaliter enim omnes appetunt rationem communẽ beatitudinis, quia naturaliter omnes appetunt, ut appetitus ſatietur, quod eſt communis ratio beatitudinis, & hoc modo omnes bea-

titudinẽ

tudinẽ appetunt. Non oẽs tamen appetunt illud, in quo beatitudo consistit. Quia ergo oẽs naturaliter beatitudinem appetunt, & ad eam non possunt peruenire, nisi per dispositionem actuũ propriorum. Reliquum est, ut de actibus hominum & uirtutibus pertractemus.

Explicit primus liber de fine.

Postilla in primum librũ philosophiæ moralis.

QVoniam a principijs rerum incipiendũ est in unaquaq; scientia, & principiũ in moralib. est finis, ideo author a fine incipit in hoc libro qui est primus moraliũ, & primo quidem tractat de illo in communi, usque ad conclusionem undecimam, secundo in reliquis tractat de illo in speciali sub nomine beatitudinis. Est enim finis ultimus beatitudo hominis. quo ad primũ, ostendit primo finem esse principium omnium actuum humanorum quos moralis consyderat, ex hoc quod oẽs fiunt ꝓpter finem, quod declaratur in 1. conclusiõe, & quia dicuntur actus humani ex hoc ꝙ libere fiunt ab homine, declaratur in 2. ꝙ homo est liberi arbitrij, & in 3. quid sit liberum arbitrium. Secundo ostendit quomodo soli homini competit agere propter finem inter corporalia in 4. quod sequitur ex hoc quod solus inter illa est liberi arbitrij: et deducit ex dictis, in 5. actus humanos specificari a fine. Tertio quia in omnib. principijs deuenitur ad aliquod primum a quo cetera dependent declarat in 6. dari ultimũ finẽ, qui est primũ principiũ in moralib. & quia

primũ

primum in q̊libet genere eſt unum, conſequenter oſtendit unitatem ultimi finis, reſpectu quidem huius hominis in 7. ex quo deducit in 8. ꝙ omnia uelit propter illum, reſpectu autem omnium hominum in 9. & reſpectu omnium ſimpliciter in 10. Quo ad ſcdm, primo oſtendit in quibus conſiſtit uel non conſiſtit beatitudo, oſtendens in 11. ꝙ non conſiſtit in bonis fortunę: nec in bonis corporis aut animæ, & uniuerſaliter creatis, ſed in ſolo deo in 12. ſecundo declarat quid ſit beatitudo, quia. ſ. operatio hōis perfecta in 13. cuius potētiæ ſit operatio. ſ. intellectus principaliter in 14. cuius intellectus. ſ. ſpeculatiui in 15. reſpectu cuius obiecti. ſ. dei in 16. & quomodo deū attingat in 17. operatio. n. dependet & a potentia cuius eſt, & ab obiecto reſpectu cuius eſt. Tertio declarat quæ requirantur ad beatitudinē, & quo ad actus animę in 18. quo ad corpus in 19. & quo ad bona exteriora in 20. Quarto declarat qualiter poſſit acquiri, oſtēdens an poſſit acquiri ab homine in 21, an æqualiter ab omnib. in 22. ubi poſſit acquiri. ſ. in hac uita an in alia in 23. an poſſit amitti in 24. uirtute cuius acquirit̄. ſ. dei in 25. homine tn̄ coopante qđ declarat̄ in 26. demū quia eſt finis cōmunis omniū, oſtendit in ultima. qūo appetit̄ ab omnib. ex quo prouenit ꝙ moueantur ad illam acquirendā per actus ſuos.

INCIPIT LIBER SECVNDVS DE ACTIBVS HVMANIS.

1.2.q.6.ar.1.2. IN ACTibus humanis oportet esse uoluntarium. 1

Nam quorundam actuum & motionum principium est ab extra, ut cum proijcitur lapis sursū. Quorundam uero principium est intra, ut cum descendit in terram deorsum. Illorum aūt quorū motus est principiū intra, quædam mouēt seipsa, ut pote, quia cognoscūt finem, & animalia, quędam uero non mouent seipsa, quia nō cognoscūt finem, sed ab altero dirigente mouentur, ut grauia & leuia. Eorum autem quæ seipsa mouent, quædam cognoscunt finem absque hoc quod cognoscant rationem & proportionem actus ad finem, sicut bruta, quædam autem cognoscunt finem & proportionem actus ad finem sicut homines, qui apprehenso fine possunt deliberare de fine & de ijs, quæ sunt ad finem: circa quæ est liberum arbitrium, ut diximus supra, quia ergo nomen uoluntarij importat actum, uel motum esse a propria inclinatione ad finem ex cognitione finis, & eorum, quæ sunt ad finem, & actus humani hoc modo ab homine procedunt,

patet

patet quod in eis est uoluntarium. Nam horum principium est intra, et se ipsum mouet homo ad finem ex cognitione finis & proportionis eorũ, quæ sunt ad finem. Ex hoc ergo patet ꝙ in brutis non est uoluntarium secundum perfectam rationem ipsius, quæ sequitur deliberationem de fine, & de ijs quæ sunt ad finem. 3. eth. c. 4. lec. 4. s. t.

2 *Voluntarium potest esse sine actu.*

Voluntarium enim dicitur quod est à uoluntate. Ab aliquo autem dicitur aliquid esse dupliciter, scilicet directe inquantum est agens: & hoc modo dicitur esse à uoluntate aliquid, quando in id per actum suum fertur uoluntas, alio modo indirecte, eo quod non agit: cum potest, & debet agere, ut submersio nauis dicitur esse à gubernatore, cum nõ dirigit nauim, cum potest & debet. Nam si non posset, non diceretur causa illius submersionis. Et hoc modo uoluntarium est sine actu, & aliquando sine actu exteriori solum, ut cum uult non agere, aliquando uero sine interiori & exteriori, ut cum nõ uult agere quando debet & potest. 1. 2. ubi su. ar. 1.

3 *Voluntati uiolentia inferri non potest.* Vbi su. ar. 4

Est enim duplex actus uoluntatis, unus elicitus: alter uero imperatus. Quantum ergo ad actũ qui in mente ab ipsa uoluntate elicitur, non potest uiolentia uoluntati inferri, quia ille actus nõ procederet nisi à uoluntate: uiolentum uero est, cuius principium est extra nil conferente uim passo: unde implicat contradictionem, dicere quòd actus sit a uoluntate, & ꝙ sit uiolentus, uerum si actus est imperatus, ut sunt ambula-

 re, loqui

re, loqui legere, sic potest uoluntati inferri uiolentia: quia per uiolentiam possunt membra impediri ne operentur, et si imperentur a uoluntate

Vbi su, ar. 3. *Violentia causat inuoluntarium.* 4

3. eth. c. 1. lec. 1. s. t. Sicut enim illud, quod est contra naturam dicitur innaturale: ita quod est contra uoluntatem dicitur inuoluntarium: uiolentia autem sicut causat aliquid contra naturam in cognitione carentibus ita in rebus cognoscentibus causat aliquid contra uoluntatem, causat igitur inuoluntarium.

1. 2. ubi su. *Metus non causat inuoluntarium simpliciter.* 5

ar. 6. 3. eth. c. 2. lec. 1. s. t. Vnumquodque enim simpliciter dicitur secundum quod est in actu, secundum autem quod est in sola apprehensione non est simpliciter, sed secundum quid. Illud autem quod fit propter metum, dum fit est in actu uolitum, unde oportet dicere quod est simpliciter uoluntarium, est autem inuoluntarium secundum quid, id est secundum solam apprehensionem rationis, id est dum ratio apprehendit id, quod actu non est, hoc est esse extra periculum, est ergo actu & simpliciter uoluntarium & inuoluntarium, secundum quid, id est si esset extra periculum: aliter etiam dicitur quod scilicet est simpliciter inuoluntarium, id est secundum absolutam consyderationem, & secundum quid uoluntarium, id est imminente periculo, sed melius primum.

1. 2. ubi su. ar. 7. *Concupiscentia causat uoluntarium.* 6

3. eth. c. 3. 4. lec. 2. 4. s. t. Per concupiscentiam enim uoluntas inclinatur ad uolendum id, quod concupiscit: uoluntariũ

autem dicitur aliquid ex eo, quod uoluntas fertur in illud: concupiscentia ergo causat uoluntarium.

7 *Ignorantia potest causare non uoluntarium, uoluntarium & inuoluntarium.* 1. 2. ubi sup. ar. 8.

Non uoluntarium quando concomitatur actum, & est de eo, quod agitur: quod tamen si sciretur, nihilominus ageretur: sicut cum aliquis uolens occidere hostem ignorans occidit eum credens occidere ceruum. Talis enim ignorantia cōcomitans uon facit inuoluntarium, quia non facit aliquid contra uoluntatem, nec uoluntarium; quia tunc uoluntas non tendebat ad hoc actualiter, sed non uoluntarium, quia non potest esse actu uolitum, quod est ignoratum, uolūtas enim non fertur nisi in cognitum. Voluntarium autem causat: quando ad uoluntatem consequitur, inquantum ipsa ignorantia est uoluntaria, uel dum uoluntas fertur in ignorantiam, eo quod non uult intelligere, ut licentius peccet. Et hæc dicitur ignorantia affectata: uel quia non curat scire quæ potest & debet scire, sicut sunt uniuersalia præcepta legis, uel etiam quia illa scita negligit consyderare: & hæc dicitur ignorantia negligentiæ uel mali electionis, ex passione, uel ex habitu proueniens, & causat simpliciter uoluntarium: inuoluntarium autem secundū quid inquantum præcedit motum uoluntatis ad aliquid agendum, qui forte non esset scientia præsente. Inuoluntarium autem simpliciter causat, quando ignorantia antecedit: & non est uolita, & est tamen causa uolendi aliquid, 3. eth. c. 3. 4. lec. 3. s. t.

quod aliàs si sciret homo nollet, ut cum aliquis diligentia adhibita nesciens aliquem transire per uiam proijcit sagittam, quæ interficit transeuntem.

1. 2. q. 8. ar. 2. 3. *Voluntas eodem actu potest ferri in finem, & in ea, quæ sunt ad finem.* 8

3. eth. c. 7. lec 10. 5. t. Quod enim feratur in ea, quæ sunt ad finem, clarum est, eo quod illa habent rationem boni, uerum actus uoluntatis, qui est uelle, uel qui uoluntas aliquando dicitur, est solum finis, quia omnis actus denominatus à potentia nominat simplicem actum illius potentiæ: sicut intelligere nominat simplicem actum intellectus. Simplex autem actus potentiæ est in id, quod est secundum se obiectum potentiæ. Id autem quod est propter se bonum & uolitum, est finis. Cætera uero sunt uolita propter finem. Quia ergo finis est ratio eorum, quæ sunt ad finem, & idem est motus ad aliquid, & ad rationem illius ideo eodem actu uoluntas ferri potest in finem, & in ea, quę sunt ad finem, licet etiam seorsum possit ferri in finem absque hoc quòd feratur in ea, quæ sunt ad finem.

1. 2. q. 9. ar. 1. 2. 3. *Voluntas ab intellectu & appetitu sensitiuo & à semetipsa moueri potest.* 9

3. de ani. t. c. 50. 54. Qualiter enim moueatur ab intellectu dictum est in 15. libro philosophiæ naturalis: qui intellectus mouet uoluntatem quantum ad specificationem actus per modum finis, uoluntas autem mouet intellectum qnantum ad exercitium actus,

actus, quia ergo id.quod apprehenditur sub ratione boni mouet uoluntatem, & appetitus sensitiuus motus immutando homines facit aliquid uideri bonum, quod re uera non est bonum: quia qualis quisque est, etiam talia sibi uidentur omnia: ideo appetitus sensitiuus hoc modo mouet uoluntatem: uoluntas autem secũdum quod iam est in actu uolendi finem mouet se ad uolendum ea, quę sunt ad finem.

10 *Voluntas ab aliquo exteriori mouetur.* 1. 2. *Vbi su. ar.* 4.

Omne enim quod quandoq; est agens in actu & quandoq; in potentia, indiget moueri ab aliquo mouente, uoluntas autem est huiusmodi: ergo ab aliquo indiget moueri: non autem potest moueri ab intellectu uel à sensu, quantum ad exercitium actus, id est quantum ad uelle & nolle, quia intellectus & appetitus mouent eã quantum ad specificationem actus solum: nec potest dici quod seipsam moueat semper, quia nihil agit nisi quando est in actu. Quantum ergo ad primum actum oportet quod ab aliquo exteriori moueatur: hoc autem est obiectum, uel aliquid aliud, quod dicetur.

11 *A corpore cælesti non mouetur uoluntas directe.* *Vbi su. ar.* 5.

Nullum enim corporeum potest agere directe in incorporeum. Voluntas autem humana non est alligata organo corporali & si sit in anima, quæ est forma corporis: uerum quia corpora cœlestia agunt in corpus humanum, & diuersimode ipsum disponunt, possunt mouere uoluntatem indirecte quia per talem dispositionem aliquid

 homini

homini uidetur bonum,quod nõ est,uel malum, quod non est,sicut iam diximus:unde hoc modo potest uoluntas moueri quantum ad specificationem actus,sed quantum ad exercitium actus nõ potest moueri à corpore cœlesti.

Vbi su.ar.6. *Voluntas a solo deo mouetur tanquam ab exteriori principio.* 12

Quamuis enim ab exteriori obiecto possit moueri tanquam a trahente, non tamen potest moueri ab aliquo alio tanquam ab agente & impellente quam a deo,sicut enim se habet motus naturalis in naturalibus,ita motus uoluntatis in uoluntarijs. Motus autem naturalis non est nisi a generante ut supra diximus Igitur etiam motus uoluntarius non erit tanquam ab agente nisi ab eo, qui uoluntatem facit: Hoc autem non potest esse nisi deus. Nam cum effectus & causæ sint proportionata & uoluntas respiciat uniuersale bonum,patet quod non potest esse nisi a bono uniuersali, quod est deus presertim cum sit potentia animæ rationalis,quæ de foris uenit,& à solo deo potest causari: ut supra in philosophia naturali dictum est.

1.2.q.10.ar.1. *Voluntas ad aliquid naturaliter mouetur.*

13 Illud enim est naturale rei, quod conuenit ei secundum suam substantiam & per se, in ijs autem,quæ conueniunt rei necesse est quòd principium sit per se,quia omne per accidens reducitur ad id,quod est per se,oportet ergo quod principium omnium uolitorum sit naturaliter & per se uolitum, hoc autem est finis, unde uoluntas

ſecundum ſuam naturam, & per ſe fertur in finem ſicut quęlibet potentia naturaliter fertur in ſuum obiectum: propter quod etiam uoluntas naturaliter uult omnia quæ conueniunt uolenti ſecundũ ſuam naturam, unde naturaliter uult cognitionem ueri, & alia, quę conueniunt naturaliter cæteris potentijs.

14 *Nec ab obiecto, nec à paſſione, nec à deo uoluntas ex neceſſitate mouetur.* *Vbi ſu. ar. 2. 3. 4.*

Quantum enim ad exercitium actus, etiam ſi uoluntati proponatur obiectum, quod non habet rationem mali poterit non moueri: quia poteſt de illo non cogitare: uerum quantum ad actus ſpecificationem, ſi uoluntas aliquid uelit ex neceſſitate mouebitur ab obiecto, quod nullam habet rationem mali, quia non poteſt uelle oppoſitum, ſi autem habet aliquam rationem mali, non ex neceſſitate mouebitur, quia poterit accipere illud, ut non bonum cónſyderando eius defectum. Quia ergo paſſio non poteſt mouere uolũtatem, niſi aliqualiter quantum ad ſpecificationẽ actus, & omne, quod ſecundum aliquam paſſionem repræſentatur poteſt habere aliquam rationem mali, cum ſit bonum particulare, patet ꝙ paſſio non poteſt mouere uoluntatem ex neceſſitate, niſi forte totaliter homo a paſſione abſorbeatur, & tunc iudicandum eſt de illo homine ſicut de bruto. Cum autem dei ſit naturam conſeruare, non autem deſtruere, omnia mouet ſecundum conditionem ſuæ naturæ: uoluntas aũt eſt libera,

 ideo

ideo etiam eam libere mouet: ficut etiam cõtingentia contingenter mouet.

1.2.q.11.per totum. *Frui est actus uoluntatis, quo ultimo fini inhæret.* 15

Fruitio enim & fructus ad idem pertinere uidentur, et unum ex altero deriuari, fructus autem est illud, quod ultimum de arbore expectatur & cum suauitate percipitur, unde frui est delectari in ultimo expectato, quod pertinet ad appetitum & est actus potentiæ peruenientis ad finem, non ficut exequentis, sed ficut imperantis, unde non pertinet ad inãimata, nec perfecte ad bruta, quia etsi habeant appetitum imperantem non tamen habent perfectam cognitionem de fine, & de ijs quæ sunt ad finem: igitur proprie est actus uoluntatis, & quia ad rationem fructus duo pertinent, scilicet quòd sit ultimum & ꝙ appetitum quietet cum quadam dulcedine, uel delectatione & id quod est ad finem non simpliciter quietat appetitum, cum motus suspensus remaneat, sequitur quod frui proprie sit respectu ultimi finis, at ultimus finis potest haberi imperfecte, scilicet in intentione tantum, & sic non totaliter quietat appetitũ, si autem habeatur perfecte, id est in re, tunc quietat appetitum, & sic fruitio perfecta est de fine habito in re, imperfecta autem de fine habito in intentione tantum.

1.2.q.12.per totum. *Intentio est actus uoluntatis quo in aliquid tendit.* 16

Intẽdere enim est in aliquid tendere, in aliquid autẽ tendit & actio mouentis & motus mobilis ab actione mouentis. Intentio ergo principaliter pertinet ad id, qđ mouet ad finẽ. i. ad appetitũ, & potest

potest esse tam ultimi finis quam non ultimi: sicut motus est ad terminum ultimum et ad medium, & si plura sint adinuicem ordinata, possunt simul intendi, sicut unus motus est ad medium et ad finem: non autem si non sint ordinata, sicut nec motus unus est ad plures terminos, unde aliquis intendit habere unum magis quam aliud, quia ad plura ualet, ergo simul plura intendit, ideo potest esse unus & idem motus uoluntatis, quo intendit ea quæ sunt ad finem, & uult finem, non tamē potest ferri in finem, & in ea quæ sunt ad finem, si absolute consyderētur uno solo actu: & quia intendere aliquid est proprium mouentis secundum quod se, uel aliquid sui, uel alterius ordinat ad finem, & ordinare est actus rationis, ideo intentio non est proprie brutorū, sed solum pertinet ad ea quæ habent uoluntatem.

17 *Velle frui & intendere sunt diuersi actus uolnntatis.* 1.2.ex.q.8. 11.& 12

Voluntas enim respicit finem tripliciter uno modo absolute, & sic actus eius dicitur uoluntas seu uelle, alio modo secūdum quod in eo quiescit, & hoc modo fruitio respicit finem. Tertio modo secundum quod est terminus alicuius, quod in ipsum est ordinatum, & hoc modo intentio respicit finem, non enim ex hoc solum intendere dicimur sanitatem, quia uolumus eam, sed quia uolumus ad eam per aliquid aliud peruenire. 1.2.q.13.p

18 *Electio est actus uoluntatis substantialiter, quo unum ex ijs quæ sunt ad finem alteri præaccipit.* to.3.ethi.c.5 lec.5.6. Itē 6

Est enim electio appetitus intellectiuus, uel c.3.lec.2.5.6

intellectus

intellectus appetitiuus, quia ad delectionem concurrunt intellectus & uoluntas, & est quasi composita ex utroque sicut ex forma & materia, quia ergo in actibus animæ, illæ actus, qui est essentialiter unus potentiæ uel habitus recipit formam & speciem a superiori potentia uel habitu, tanquam ab ordinante, sicut inferius ordinatur a superiori, & ratio quodā modo præcedit uoluntatem, & actum eius ordinat: ideo actus electionis, quo homo unum alteri præaccipit essentialiter & materialiter est uoluntatis, formaliter aūt rationis. Quiaem̄ electio perficitur in motu quodam animæ ad bonum, quod eligitur, oportet dicere quod electio est actus uoluntatis, unde non pertinet ad bruta, quæ ad unum ordinantur instinctu naturali, uoluntas autē respectu particularium bonorum non est determinata ad unum, sed respectu communis boni, quod est ultimus finis, unde patet quod electio est tantum eorum, quæ sunt ad finem, cum sit plurium. Cum igitur id, quod est ad finem hōis sit uel actio eius, uel aliquid, quod per eius actiōem fit, uel quo utitur, necesse est quod electio sit semper humanorum actuū, sed ea quæ per nos aguntur, sunt nobis possibilia: electio ergo non est nisi possibilium, possibilia aūt nobis, quę sunt ad finē, sunt bona particularia, quæ possunt habere ratiōem mali, ideo ex necessitate homo non eligit: sed unum libere præaccipit alteri.

1.2.q.14.p 3.eth.c.6.lec 7.8.9.s.t. *Consilium est inquisitio certitudinis de ijs, quæ per nos sunt argenda* 19

Quia

Quia enim electio consequitur iudicium rationis de rebus agendis, in quibus multa incertitudo inuenitur: eo quod actiones sunt circa singularia contingentia, in rebus autem dubijs & incertis ratio non potest proferre certum iudicium absque inquisitione præcedente, quæ nihil aliud est quam consilium quod nullo modo potest esse de fine, qui in agibilibus est principium, & principia non cadunt sub quæstione, sed conclusiones: et singularium cognitio non habet aliquid magnum per se, ideo consilium & inquisitio de eis non est, nisi propter operationem nostram: hoc est de ijs quæ a nobis aguntur, non tamen est de omnibus, quæ a nobis aguntur, quia non est de minimis, quę pro nihilo reputantur, nec de ijs quæ sunt determinata qualiter fieri debeant, uel per artem, uel per legem. Consilium enim est de incertis, unde procedit consilium modo resolutorio, scilicet ab eo quod est posterius in esse, et prius in intentione quasi ab effectu ad causam, ideo non procedit in infinitum, eo quod incipit a fine, & terminatur inquisitio ad illud, quod statim est in potestate nostra ut faciamus, aliter aliquis ad impossibile moueretur, uel de impossibili sciscitaretur, quia infinitum non est pertransire.

1.2.q.15 p to.

20 *Cõsensus est applicatio appetitus ad aliquid agendũ.*

Consensus enim importat applicationem sensus ad aliquid, est autem proprium sensus, ut sit cognoscitiuus rerum præsentium. Ex hoc ergo tractum est nomen consensus, quod

pertinet

pertinet ad appetitiuam uirtutem, secundũ quandam similitudinem. est enim consensus applicatio appetitiuæ uirtutis ad rem secundum quod ei inhæret, quasi experientiam quandam de ea sumens inquantum complacet sibi in ea. Quia ergo bruta animalia non habent appetitum in propria potestate, eorum non est applicare appetitũ ad aliquid: ideo consensus proprie non est in eis. et eadẽ ratione consensus non est de fine ad quem naturaliter uoluntas tendit, unde consensus sequitur id, quod per consilium iudicatum est. primo enim apprehendimus et desyderamus finem, deinde consiliamur de ijs quæ sunt ad ipsum: & tandem consentimus ei, quod per consilium fuerit iudicatum. & quia finalis sententia pertinet ad eum qui superior est, ad quem pertinet de alijs iudicare: ideo ad rationem superiorem semper pertinet consensus ad agendum. Nunquã enim consentimus aliquid agere, nisi prius sit data finalis sententia consilij, quæ non dabitur si ei secundum rationem superiorem resistatur. oportet ergo q ratio superior assentiat, uel dissentiat, uel saltem dissimulet, et sic imputatur ei bonum uel malum quod euenit. Intellige autem per rationem superiorem ipsam rationem secundum quod in ea includitur etiam uoluntas.

1.2.q.15. per to. *Vti, est applicare aliquod principium actionis ad actum.* 21

Cum enim applicamus rem ad aliquam operationem, dicimur re illa uti, & usus illius rei est eius operatio, sicut equitare est usus equi. Quia autem

autem applicamus tam potentias inferiores ad actus proprios quam etiam res exteriores per potentias interiores, & uoluntas mouet omnes potentias ad suos actus: ideo uti primo & principaliter est uoluntatis tanquam mouentis: est autem intellectus tanquam dirigentis. Aliarum uero uirium, uel membrorum seu rerum tanquam exequentium. Igitur patet quod brutis non conuenit quibus applicare non cōuenit, ut dictum est. Ex quo etiā patet, quod non est ultimi finis, nisi forte accipiatur pro ultimo fine res ut pecunia, & ordinetur ad ultimum, id est ad possessionem, uel ad fruitionem. Si ergo usus accipiatur secundum quod executiua potentia utitur, sequitur consiliū & electionem. Non enim tendit uoluntas ad consequendam rem uolitam nisi pręcedat consilium & electio, uerum quia uoluntas etiam quodam modo rationem mouet, & utitur ea, potest intelligi usus eius, quod est ad finem, secundum quod est in consyderatione rationis referentis ipsum in finem, & hoc modo usus præcedit electionem.

22 *Imperare est actus rationis ordinantis quadam motione aliquid ad agendum.* 1.2.q.17 per to.

Actus enim uoluntatis, & actus rationis supra se inuicem ferri possunt, uirtus autem prioris actus remanet in actu sequenti. Contingit ergo esse aliquem actum uoluntatis in quo manet uirtus actus rationis: & econuerso aliquem esse actum rationis in quo manet uirtus actus uoluntatis. Actus eñ qui sunt uti & eligere, sunt actus

uoluntatis

uoluntatis, ut dictum est, secundum quod in eis manet aliquid rationis. Quia igitur imperans ordinat eum, cui imperat ad aliquid agendum per modum cuiusdam intimationis, scilicet uel denũciando, uel etiam mouendo dum dicitur, hoc a te debet fieri, uel fac hoc: ideo imperare est actus rationis, cuius est ordinare, præsupposito tamen actu uoluntatis, cuius est mouere. In actu ergo imperij manet uirtus actus uoluntatis patet ergo quod non inuenitur iste actus in brutis, quæ sunt absque ratione, & quod imperium præcedit usum naturaliter, & etiam aliquando tempore. Est enim prius imperium, quam quod imperio obediatur. Actus autem imperatus et imperium sunt unus actus compositus ex formali & materiali. unde potest diuidi in duos, sicut homo in animam & corpus. Et quia tã actus uolũtatis q̃ etiam ratiõis potest ordinari cum imperio, sicut cum dicimus hanc rem dilige, hanc rem contemplare, ideo actus uoluntatis et rationis, possunt esse imperati, unde actus, intellectus, exercitus, semper potest esse imperatus: non tamen semper actus specificatus. Non enim imperamus ea, quæ non sunt in potestate nostra, non est autem in potestate nostra cognoscere quamlibet ueritatem, nec dissentire primis principijs, ideo actus specificatus non semꝑ est imperatus. Actus aũt sensitiuę partis, q̃tum ad illud, quod est ex parte animę quia sequit̃ apprehensionẽ particularẽ, quę subditur uniuersali obediunt rationi, & sic possunt esse imperati: sed nõ quantum ad illud, qđ est ex parte corporis quia qualitas & dispositio corporis

non

nō obedit rationi, iō sensitiuus appetitus nō obedit rationi secundum principatum despoticum, qui est domini ad seruum, sed secundum principatum regalem uel polyticum, qui est ad liberos. Actus autem animæ uegetabilis, quia nullius sunt apprehensionis susceptiui, non obediunt rationi: ideo membra, quæ mouentur a potentijs sensitiuis, obediunt rationi, non autem ea quæ a potentijs uegetatiuis mouentur: uel quæ sequuntur uires naturales, unde motus cordis qui naturaliter sequitur formam, quam habet, ut dictum est in physicis non obedit ratiōi. Et similiter nec motus membri pudendi, quia ad huiusmodi motus requiritur aliqua alteratio naturalis: scilicet caliditatis uel frigiditatis, quæ non subiacet imperio rationis: hod autem accidit specialiter in his duobus membris, quia utrunque est quasi quoddam animal separatum: inquantū utrunque est quoddam principium uitæ. Cor enim est principium sensuum, & ex membro genitali exit uirtus seminalis, quæ est uirtute totum animal, & ideo habēt proprios motus naturaliter, quia principia oportet esse naturalia.

23 *Non omnis actio hominis est bona.* 1,2.q.18,a

In rebus enim unumquodque tantum habet de bono, quantum habet de esse, ens enim & bonum conuertuntur. Illud ergo, quod non habet plenitudinem essendi, quę debetur ei non pōt dici

dici simpliciter bonum, quia plenitudo essendi est de ratione boni, cum unumquodque in tantum dicatur bonum inquantum est perfectum. si ergo aliquid deficit a plenitudine essendi, quæ ei debetur non dicitur bonum simpliciter. Non omnis aũt actio hominis habet plenitudinem essendi, quæ ei debetur, imo fere nulla. ergo non omnis actio hominis est simpliciter bona: sed tamen omnis est uel simpliciter, uel secundum quid bona si est actio, alioquin nihil erit.

ubi s. ar. 2. 4 *Ex obiecto & ex fine est bonum et malum in actibus humanis.* 24

Actus enim humani habent speciem ab obiecto, sicut res aliæ a forma. Sicut ergo illud quod habet formam sibi cõuenientem, dicitur bonum & illud malum, quod non habet formam sibi cõuenientem, ita etiam actus bonus est, qui habet obiectum conueniẽs sibi, si tñ postea cætera concurrant: quæ ad bonitatem requiruntur, & malus, qui non habet obiectum sibi conueniens. Similiter etiam finis præstat bonitatem actibus humanis, quia actus humani dependent ab alio tanquam a causa. unde ab alio habent bonitatem ut ab agente, quod agit propter finem. Bonitas ergo & malitia eorum est etiam ex fine.

Vbi su. ar. 3. Itẽ q. 7. p to. Itẽ 3. eth. c. 4 lec. 3. 5. t

Actio humana est bona uel mala ex circunstantia. 52

Nomen circunstantiæ ab ijs quæ in loco sunt, & localiter mouentur, est deriuatum ad actus humanos, qui sunt quidam motus. dicitur autem aliquid circunstantia localiter quod est extrinsecum

cum a re & tamen tangit eam uel appropinquat ei secundum locum, unde etiam conditiones, quę sunt extra substantiam actus, & tamen attingunt aliquo modo ipsum dicuntur circunstantię, unde circunstantiæ sunt quædã accidentia actus, quia quod est extra substãtiam rei ad rem aliquo modo pertinens, dicitur accidens eius, contingit autem quòd tale accidens pertineat ad actum tripliciter, uno modo quia attingit ipsum, uel per modum mensuræ ut tempus & locus, uel per modum qualitatis: sicut est modus agendi. Alio modo inquantum attingit effectum eius: & sic consyderatur quid aliquis fecerit, id est, quid sequitur ex actu. Tertio modo inquantum attingit eius causam, scilicet uel finalem: et sic cõsyderatur propter quid fit: uel agentem principalem, & cõsyderatur quis egerit: uel instrumentalem, & cõsyderatur quibus auxilijs fecerit: ideo conuenienter numerantur circũstantiæ in hoc uersu. Quis quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando. Ita tamen ꝙ in quid intelligatur etiam circa quid. Quia autem actus dicuntur humani proprie prout sunt uoluntarij: uoluntatis autem obiectum & motiuum est finis: ideo principalissima omnium circunstantiarum est illa, quæ attingit actum ex parte finis: quæ est aliquis finis adiunctus proprio fini ipsius actus, nam proprius finis non est circunstantia cũ det spẽm actui, Post hanc uero est illa, quæ attingit substantiam actus .s. quid facit modo supradicto. s. secundum effectũ, Aliæ uero sunt magis uel minus principales, secundũ ꝙ magis uel minus ad has propinquant. 1. 2. q. 7. 3. tertium.

E Sicut

Sicut igitur in rebus naturalibus nõ inuenitur tota plenitudo perfectionis ex forma substantiali: sed multum superadditur rei ex aduenientibus accidentibus: ita etiam in actibus humanis non tota bonitas est ex obiecto & fine: sed etiam ex circunstantijs: unde si deficiunt actui debitæ circunstantiæ, non dicitur simpliciter bonus.

1. 2. q. 18. ar. 4. *In actibus humanis quadruplex bonitas consyderari potest.* 26

Prima est secundum genus prout, scilicet est actio, quia quantum habet de actione & entitate, tantum habet de bonitate. Secunda secundum speciem, hoc est secundum obiectum conueniens quę etiam dicitur bonitas: ex genere, pro specie accæpto genere, eo modo loquendi quo dicimus humanũ genus totam speciem. Tertia secundum finem, quasi secundum habitudinẽ ad causam bonitatis Quarta secundũ circunstantias, quasi secũdum accidentia, Et idem dicendũ est de malitia.

Vbi su. ar. 5. 6. *Bonum & malum diuersificant speciem in actibus moralibus.* 27

In actibus enim humanis bonũ & malũ dicitur per comparationem ad rationem. Bonum .n. hominis est secundum rationem: Malum autem est præter rationem, ergo patet quod differentia boni & mali circa obiectum cõsyderata comparatur per se ad rationem secundũ .s. quod obiectũ est ei conueniens uel non conueniens, omnis autẽ talis differentia .s. quę per se refertur ad potentiam facit differentiam specificam in actibus, bonum ergo &

ergo & malum diuersificant speciem in actibus humanis, & quia finis est obiectum uoluntatis, quæ omnes alias potentias mouet, iccirco & si actus exteriores habeant speciem a proprio obiecto, tamen formaliter habēt speciem a fine, materialiter aūt a proprio obiecto, id enim quod est ex parte uoluntatis se habet ut formale ad id, qđ est ex parte exterioris actus. Verum quando obiectum exterioris actus per accidens ordinatur ad finem uoluntatis: tunc actus exterior est in duabus speciebus quasi disparatis: quarum una non continetur sub alia, id est in illa, quam habet ex proprio obiecto, & in illa, quam habet ex fine, quando uero ordinatur per se ad finem uoluntatis, tunc una continetur sub alia, scilicet; quæ est ex obiecto, sub illa quæ est ex fine, nam finis est magis generalis.

28 *Circumstantia potest constituere speciem boni, & mali in actibus humanis.* *Vbi su. ar.* 10.11.

Quia enim processus rationis non est determinatus ad aliquod unum: sed quolibet dato potest ulterius procedere: inde est, quod id, quod in uno actu accipitur ut circumstantia obiecti, potest iterum a ratione accipi, ut principalis conditio, nam locus uel tempus ad rationem furti inquantum est furtum se habet ut circumstantia, sed quia contingit quod talis circunstantia circa obiectum sit contraria ordini rationis, ut quia ratio ordinauit non esse faciendum iniuriam in loco sacro: inde est quod potest ac-

accipi,ut principalis conditio obiecti rationi repugnans,& per hunc modum quandocunque aliqua circunstantia respicit specialem ordinem rationis uel pro uel contra: oportet quod det speciem actui morali uel bono: uel malo, si autem actui humano addatur aliqua circunstantia, quae addat in bonitate uel malitia, sed non respiciat quantum est ex se specialem ordinem rationis nisi praesupposita alia circunstantia haec non dabit speciem actui,ut si furto addatur quod aliquis alienum accipit in magna quãtitate, magna enim quantitas non respicit specialem ordinem rationis nisi praesupposito furto, unde non uariat speciem furti, sed aggrauat peccatum,& si est bona circunstantia augmentat bonitatem actus moralis.

Vbi su. ar. 8.9.

Aliquis actus humanus est indifferens secundum suam speciem, nullus tamen est indifferens secundum indiuiduum. 29

Actus enim humani habent speciem ab obiecto relato ad ordinem rationis, si enim sunt secũdum ordinem rationis sunt boni secundum speciem. Si autem sunt contra ordinem rationis, sunt mali secundum speciem. Contingit autem quod aliquis actus humanus secundum suam speciem non includat aliquid pertinens ad ordinem rationis,ut leuare festucam de terra: Quia autem aliquid conuenit indiuiduo secundum accidentia, quod non conuenit speciei, imo contingit quod aliquis actus secundum speciem sit indifferens, non tamen secundum indiuiduum. Necesse est

enim

enim quod quilibet actus humanus habeat aliquam circumſtantiam ad minus ex parte intentionis, quia quilibet actus humanus eſt ordinatus ad aliquem finem, alioquin non erit actus humanus, ſi ergo erit ordinatus ad finem, qui eſt ſecundũ ordinem rationis, erit bonus, ſi autem ad finem qui eſt contra ordinem rationis. ſic erit malus, & ſic ſemper eſt bonus uel malus.

30 *Voluntas diſcordans a ratione errante eſt mala.* 1. 2. q. 19. ar. 1. 2. 3.

Bonitas enim uoluntatis ex obiecto dependet ſeu ex fine, quia bonum & malum ſunt per ſe differentiæ actus uoluntatis, ſicut uerum & falſum ſunt differentiæ actus intellectus. Cum igitur obiectum uoluntatis proponatur ei à ratione (bonum enim intellectum eſt obiectum proportionatum uoluntati) inde eſt quod bonitas uoluntatis etiã dependet à ratione, & quia ratio humana dependet à ratione diuina, & à prima cauſa plus dependet effectus quàm a ſecunda in cauſis ordinatis: hinc eſt quod multo magis bonitas uoluntatis humanę dependet a lege æterna quam à ratione humana. Quando ergo uoluntas fertur in id, quod repræſentatur ei ſub ratione mali, hoc eſt ſub hac ratione quod ſit contra rationem, uel contra legem æternam, fertur in malam: dato etiam quod ſecundum ſe non ſit malum. Nam certum eſt tunc: quod uult rationem mali: & per conſequens uult id quod eſt malum per accidens, id eſt ex apprehenſione rationis. Nõ enim uoluntas fertur niſi in illud, quod à ratione proponitur. Et ſimiliter uolũtas cõcordãs rationi erranti eſt bona *Vbi ſu. ar. 4.*

dummodo error proueniat ex ignorantia causante inuoluntarium totaliter, id est ex ignorantia alicuius circũstantię absque omni negligentia quia directe fertur in bonum. Si autem ignorantia non excusaretur, tunc esset mala quia ferretur in malum, licet, indirecte.

1.2.q.19.ar. 7.9.10. *Voluntas hominis tenetur concordare, siue conformari uoluntati diuinæ.* 31

Illud enim quod est primum in quolibet genere est mensura omnium, quæ sunt illius generis, quia ergo bonitas uoluntatis humanæ ex intentione finis dependet, eo quod ordo ad finem consyderatur, ut ratio quædam ipsius obiecti uoliti: & cum Deus sit ultimus finis uoluntatis, quia est summum bonum, quod primo & principaliter comparatur ad uoluntatem diuinam, ut obiectum proprium eius: oportet dicere quod bonitas uoluntatis humanæ dependet ex conformitate uoluntatis diuinæ. Quia autem Deus, cum sit uniuersi factor & gubernator omnia uult sub ratione boni communis, & creatura sub ratione boni particularis sibi proportionati apprehendit & uult, hinc est quod aliquando uoluntas Dei, & uoluntas humana possunt discordare in uolito materialiter, & tamen uoluntas humana nõ erit mala, quia potest esse quod aliquis uelit aliquid esse secundum quod habet rationem boni, & alius uult illud idem non esse secundum quod habet rationem mali, & utraque uoluntas sit bona. Quia ergo contingit quod aliquid sit bonum secundum rationem uniuersalem, quod nõ est bonum

est bonum secundum rationem particularem, & econuerso: poterit uoluntas: quę tendit in bonum particulare esse bona, presertim si ignorat, quid expediat bono uniuersali. Et similiter uoluntas, quæ uult oppositum secundum rationem uniuersalem, poterit esse bona, ut si coniunx latronis nollet maritum suspendi considerans bonum proprium, uel familiæ suæ, non esset uoluntas eius mala. Et tamen uoluntas iudicis propter bonum uniuersale uult ipsum suspendi: quæ nihilominus est bona, unde quia homo nescit quæ placeant Deo in omnibus uolitis, ideo non tenetur conformari uoluntati diuinæ in uolito materialiter sed tñ tenetur conformari in uolito, formaliter, quod in omni uolito uelit iustitiam diuinam & bonum diuinum & commune, & uoluntatem Dei fieri.

32 *Actus exterior addit in bonitate uel malitia super actum interiorem & similiter euentus sequens per se.* 1.2.q.20.ar. 1.2.3.4.5.

Actus enim exterior potest dici bonus uel malus dupliciter, uno modo ex ordine ad finem, & sic habet bonitatem, uel malitiam totam a uoluntate, cuius finis est proprium obiectum, unde in ea primo hęc bonitas uel malitia inuenitur. Alio modo secundum genus suum & circunstantias: & sic habet bonitatem uel malitiam a ratione, unde non totam bonitatem, uel malitiam habet a uoluntate, si enim nullam aliam haberet malitiã, uel bonitatem nisi ex ordine ad finẽ, eadem esset bonitas, uel malitia actus exterioris & interioris, quæ a tota uoluntate dependet,

unde actus exterior nihil bonitatis uel malitię addideret actui interiori, ſed quãdo habet bonitatem, uel malitiã ex genere & ex circunſtantijs aliquid addit, quia cõparatur uoluntati ſicut terminus, et inclinatio ſeu motus perficitur in hoc ꝙ conſequitur finem, uel attingit terminum. Nõ eſt ergo perfecta uoluntas, quæ opportunitate data non operatur: ſi autem opportunitas deſit, & operaretur, ſi non deeſſet quod non operetur, eſt ſimpliciter inuoluntarium: & ſic nihil de præmio uel de pœna ei debet diminui. Euentus quoq; ſequens ſi fuit præcogitatus, clarum eſt ꝙ addit, quia quanto quis cogitat ex ſuo opere plura bona, uel plura mala ſequi, & facit, tanto plus uoluntas eius eſt ordinata uel inordinata: & ſimiliter dicendum eſt: ſi ex opere per ſe ſequatur, melior enim eſt actus uel peior, ex quo plura bona, uel plura mala ſequuntur: ſi autem ſequatur per accidens non addit: quia non datur iudicium de eo, quod eſt per accidens.

Vbi ſu. ar. 6. *Vnus actus in genere naturæ poteſt eſſe bonus & malus in genere moris.* 33

Nihil enim prohibet illud, quod eſt unũ in uno genere eſſe plura ſecundũ quod ad aliud genus refertur: ſicut ſuperficies in genere quantitatis eſt una, et plures in genere qualitatis ſi ſit partim alba & partim nigra, unde ſiquis ambulando ad eccleſiam: primo habeat bonã uoluntatem, & poſtea malã, illa ambulatio eſt una in genere naturæ, & eſt plures in genere moris, eſt tamen impoſſibile quod actus ſit unus in genere moris bonus et malus.

Actus

34 *Actus humanus inquantum bonus uel malus, habet rationem rectitudinis, uel peccati, laudabilis uel culpabilis, & meriti uel demeriti, etiam apud deum.* 1.2.q.12.p to.1.ethi.c. lec.18.s.t

Peccatum enim proprie est in ijs, quæ agunt propter finem, cum non habent debitum ordinem ad finem: qui ordo est secundum aliquam regulam, quæ in naturalibus est inclinatio naturalis, in moralibus autem est ordo rationis, & lex ęterna. Cum autem habent debitum ordinem secundum regulam, dicũtur rectitudinem habere. Laudabile autem uel culpabile dicitur, quod imputatur agenti: non imputatur autem alicui, nisi quod est in potestate eius: sed hoc inuenitur in uoluntarijs, nam homo habet dominium sui actus, meritum autem uel demeritum dicitur per comparationem ad retributionem iustitiæ. Retributio autem fit alicui ex eo quod agit in profectum uel nocumentum alterius. Quia ergo omnis actus humanus, uel est secundum rationem & legem ęternam, uel contra, & procedit libere a uoluntate, & semper cedit in profectum uel nocumentum alterius, eo quod etiam si ꝓdest, uel nocet sibiipsi dicitur communitatem lędere, uel cõmunitati prodesse, cuius est pars, et oportet quod actum suum semper uel ad deum tanquam ad finem dirigat uel non dirigat ad deum, sic tollens eius honorẽ, cum sit finis omnium, hinc est quod omnis actus humanus uel est bonus, uel malus, & rectus uel peccatum, & laudabilis uel culpabilis, & meritorius, uel demeritorius apud com-

munitatem

munitatem, uel partem communitatis, & apud deum, qui habet uniuersalem curam communitatis in uniuerso: & hæc de actib. humanis sufficiāt.

Explicit liber secūdus de actibus humanis.

Postilla in librum secundum.

POst determinationem de fine humanæ uitę sequitur consyderatio de actibus humanis, de quibus agitur in hoc libro. & quia actus nostri in tantum sunt humani, inquantum sunt uoluntarij: agit primo author de uoluntario & inuoluntario. Secundo de ipsis actibus humanis. Tertio de bonitate & malitia eorum. Quo ad primū ostendit, primo quomodo uoluntarium & inuoluntarium est in actibus humanis in 1. conclusione, & quomodo est quandoque fine actu in 2. Secundo ostēdit a quibus causatur inuoluntarium, & ponit quatuor causas eius. s. uiolentiam: ostendens quomodo possit inferri, uolūtati in 3. & quo modo causat inuolūtarium in 4. metū, de quo in 5. concupiscentiam, de qua in 6. & ignorantiam: de qua in 7. quo ad secundū prius agit de actib. elicitis a uoluntate, et postea de imperatis, illi. n. sunt priores & causa horum. Quo ad actus elicitos incipit ab his qui respiciunt finem, hi enim precedunt alios et horum primus est uelle seu uoluntas, de quo agit quo ad ipsum actum, in 8. declarando respectu cuius sit. s. finis: quo ad motiuū autem intrinsecum in 9. quoad motiuum extrinsecum in communi in 10. in speciali uero, quo ad illud quod mouet indirecte in 11. & quo ad illud

quod

quod mouet directe in 12. Quo ad modũ postea quo mouetur in 13. in quã ostendit uoluntatem moueri naturaliter, & in 14. in qua ostendit ꝙ a nullo mouetur de necessitate. Secundus est frui, de quo in 15. Tertius, intentio de qua in 16. comparãdo postea hos actus inter se in 17. Agit deinde de actibus respicientib. ea quæ sunt ad finẽ. Quorum primus est electio, de qua in 18. Secundus cõsilium de quo in 19. Tertius consensus, de quo in 20. Quartus uti, de quo in 21. Et hi oẽs sunt actus eliciti a uolũtate. Quo ad imperatos autem, agit de illis simul in 22. in qua multa determinat. Circa illos. Quo ad tertiũ primò agit de bonitate & malitia actuum humanorum in cõi, declarando quatuor, quorũ primũ est hæc, duo reperiri in actibus humanis in 23. Secundũ unde causant̃, et quo ad cãs principales, quę sunt obiectũ et finis in 24. Quo ad secũdarias uero quæ sunt circũstantiæ in 25. ex quib. deducit in 26. quotuplex est bonitas actus humani. Tertiũ est q̃modo utrũq; se hẽt ad spẽm actus humani, et respectu quidẽ obiecti et finis in 27. respectu uero circunstãtiarũ in 28. Quartũ est an aliquis sit indifferẽs respectu boni & mali in 29. Secũdo agit de bõitate & malitia ipsorũ in spãli, & q̃ ad actus interiores in 30. respectu cãrũ pximarũ, quę sunt obiectũ & ratio, & 31. respectu cãæ remotæ quę est uolũtas diuina, & quo ad actus exteriores in 32. et ex his deducit pluralitatẽ actuũ humanorũ in genere moris stante unitate in genere naturæ in 33. Tertio agit de ijs quæ cõsequunt̃ actus humanos rõne bonitatis & malitiæ in 34.

INCIPIT LIBER TERTIUS DE PRINCIPIJS INTERIORIBUS

pijs interioribus actuum humanorum in communi, id est, de habitibus.

1.2.q.49.p to.7.phi.t.c 17.5.meta. t.c.25 HABITUS est dispositio perfecti ad optimum. 1

Habitus enim ab habere dicitur, secundum quod habere sumitur, prout res aliqua dicitur quodam modo se habere in semetipsa uel ad aliud bene uel male: & quia modus rei qui dicit rei determinationem secundum aliquam mensuram est qualitas. (importat enim qualitas modum substantiæ:) hinc est quod habitus hoc modo acceptus est qualitas, sed nõ est quælibet qualitas, sed qualitas quæ dicitur dispositio secundum quod dispositio accipitur pro genere ad dispositionem, quæ est qualitas de facili mobilis et ad dispositionem quæ est de difficili mobilis, quæ speciali nomine uocatur habitus, & sic in diffinitione comprehendimus utranque dispositionem. Nam & dispositio, quæ est de facili mobilis, est quodam modo quid ꝑ habitus imperfectus, perfectum autem dicimus, quod iam est sc͠dm suam naturam constitutum in esse, id est peruenerit ad finem generationis, unde habitus importat habitudinem quãdam ad naturam rei iam perfectam in esse secundum

dum quod per ipsum bene uel male disponitur: hoc est secundum quod illi naturæ conuenit, uel non conuenit: & quia ulterius natura rei ordinatur ad aliquem finem, ut ad opus uel ad operatũ: ideo dicitur quod habitus est dispositio perfecti ad optimum. Nam habitus non solum importat ordinem ad naturam rei, sed etiam ex consequenti ad operationem inquantum est finis naturæ uel perducens ad finem. Maxime autem & principaliter importat ordinem ad operationem quando est dispositio talis naturę, quę secundum se habet ordinem ad operationem, ut quando est dispositio potentiæ alicuius, de cuius ratione est, ut sit principium actus.

Habitus sunt necessarij. *ubi s. ar. 4.*

Cum enim habitus dispositionem quandam in ordine ad naturam rei & eius operationem uel finem dicat secundum quem aliquid bene uel male ad hoc disponitur, tria requiruntur ad ipsum, primo quidem ut id quod disponitur sit alterum ab eo ad quod disponitur, & se habeat ad ipsum ut potentia ad actum, secundo quod id quod est in potentia ad alterum possit pluribus modis determinari, et ad diuersa. tertio quod plura concurrant ad disponẽdum subiectum ad unum eorum ad quæ est in potentia, quæ possunt diuersimode commensurari, ut sic bene uel male disponatur ad formam & ad operationem. Ex his ergo patet quod in eo, quod nullo modo potest esse compositum non est habitus ut in deo: nec in ijs quę sunt ad unum determinata, quia esset frustra in illis,

cum secũdum suam naturam sint sufficienter disposita. Est ergo in ijs quę nõ sunt determinata ad unum quæ si debent determinari, ad aliquod eorum requiritur ut plura concurrant, quæ diuersimode possunt adinuicem commẽsurari ut dictũ est, ut sic ad illud bene uel male, seu etiam melius uel peius disponatur, ut est sanitas et pulchritudo & alia huiusmodi. Ex quo sequitur quod simplices qualitates elementorum non sunt habitus, quia secundum unum modum determinatum cõ ueniunt elementis. Quia igitur multa sunt entium ad quorum naturas & operationes necesse est plura concurrere, quæ diuersis modis commensurari possunt ideo necesse est habitus esse.

1.2.q.5.p to. predi.c.de quali.1.eth. c.ulti.lec.ul. 5.t.

In anima principaliter sunt habitus in corpore uero secundario. 3

Quia ad operationem corporis naturalem nõ requiritur habitus, sed qualitas uel uirtus naturalis ad unum determinata, sed operatio, quę est ab anima per corpus, & est principaliter ipsius animæ, requirit aliquem habitum, inquantum enim corpus disponitur & habilitatur ad prompte deseruiendum animæ, sic in eo dicitur esse habitus, uel etiam inquantum disponitur tanquam subiectum ad formam: & hoc modo pulchritudo & sanitas dicunt habitus, licet non ita proprie: quia non habent habitus corpors difficilem transmutationem, imo faciliter transmutãtur propter mutabilitatem corporis, in anima autem sunt habitus non secundum essentiam, quasi essentia dispo natur in ordine ad aliquam naturam, nisi forte or

dinetur ad naturam superiorē, ut infra dicetur de gratia: quia ipsa anima est forma completiua humanæ naturæ: sed sunt in potentijs animæ habitus in ordine ad operationem, non quidem in uegetatiua potentia, quia est determinata ad unum & non obedit rationi, sed in sensitiuis appetitiuis præsertim: inquātum operātur ex imperio rationis, quia sic possunt bene uel male disponi. In sensitiuis autem appręhensiuis interioribus sunt etiam habitus secundum quod deseruiunt rationi, per quos homo potest dici bene memoratiuus, uel imaginatiuus, uel cogitatiuus, nō sunt tamen in appręhensiuis habitus ita proprie, sicut in appetitiuis, quia ratio accipit a sensu: sed appetitus sensitiuus natus est moueri ab appetitu rationis. In brutis quoque secundū quod ab hominibus reguntur solent poni quidam habitus secundum quod a ratione hominis quasdam habent consuetudines. In intellectu & uoluntate nulli dubium est esse habitus, cum diuersimode possint ordinari ad agendum. In intelligentijs autem infra deū sunt habitus aliquo modo, quia indigent speciebus ad intelligendum, licet nunquam sint in pura potentia ad illas, sed in eis maxime ponuntur habitus ad pertingendum ipsum deum: sed de his alias dicetur: itaque quid sit habitus, & quid sit subiectum eius et quid finis dictum est: & quod abitus sunt necessarij.

20 *Aliquis habitus est naturalis.* 1.2.q.5.ar.1

Aliquid naturale dicitur dupliciter, scilicet uel

uel secundum naturam speciei, ut homini esse risibile uel secũdum naturam indiuidui, ut sorti esse ægrotatiuum, uel sanatiuum, & utrunque potest esse naturale, dupliciter scilicet, uel totum a natura, uel partim a natura & partim ab exteriori principio, ut cum sanatur aliquis uirtute naturæ solum, uel etiam ab arte medicine: habitus ergo qui est dispositio in ordine ad naturam uel formã est naturalis modis omnibus. Est enim quædam dispositio corporalis, quæ requiritur ad humanã naturam, & quædam quę requiritur ad sortis formam, & est a principio intrinseco & extrinseco. similiter in intelligentijs habitus sunt totaliter a natura: sed in hominib. sunt partim a natura, partim ab extrinseco. In apprehensiuis enim potentijs est naturalis habitus principiorum secundum inchoationem quãtum ad intellectum, qui pertinet ad totam speciem, & quia cognitio primorum principiorum procedit ex sensu, contingit etiam quod secundum naturam indiuidui, habitus sit naturalis, inquantum unus homo ex dispositione organorum est magis aptus ab bene intelligendum, quam alius. In appetitiuis uero non est aliquis habitus naturalis secũdum inchoationem ex parte ipsius animæ quantum ad substantiam habitus, sed solum quantum ad principia quædam ipsius sicut principia iuris communis dicuntur esse seminaria uirtutum: quia inclinatio ad obiecta propria, quę uidetur esse inchoatio habitus, non pertinet ad habitum, sed ad ipsam rationem potentiarum: sed bene ex parte corporis, secundum quod ex complexione corporis,

tem

quidam sunt inclinati ad hanc, uel ad illam uirtutem secundum naturam indiuidui.

5 *Ex actibus habitus causatur.* *Vbi su. ar. 2.*

Omne enim qnod patitur & mouetur ab alio disponitur per actionem agentis, unde ex multiplicatis actibus generatur quædam qualitas in potentia passiua, & mota, quæ habitus nominatur. In agente ergo, in quo est solum principium agendi, id est, quod est solum principium actiuũ sui actus, non potest habitus generari ex multiplicatis actibus, sicut patet in igne, unde res naturales non possunt ad aliquid consuescere uel dissuescere, si autem in eo sit principium actiuũ & passiuum sui actus: ex multiplicatis actibus poterit in eo habitus generari, hoc autem habet anima intellectiua. Nam in ea uis appetitiua mouetur ab apprehensiua & intellectus secundũ ꝙ ratiocinatur de conclusionibus mouetur a seipso secundũ qđ habet in se principia per se nota: unde habitus uirtutũ moraliũ causantur in appetitiuis potẽtijs secũdum qđ mouentur a ratione: & habitus scientiarum causantur in intellectu secundũ quod mouetur a primis propositionibus. *3. eth. c. 1. 2. lec. 1. 2. s. t.*

6 *Per unum actum solum non generatur habitus communiter.* *1. 2. ubi su. ar. 3.*

Ad hoc enim ꝙ aliqua qualitas per agens generetur in passiuum, oportet ꝙ agens totaliter uincat passiuum, appetitiua autem uirtus non potest uinci totaliter per unum actum rationis tantum, ut determinatè feratur per modum na- *2. eth. ubi su.*

F turæ

turæ ad idem, ut experientia docet, similiter nec quantum ad uires inferiores apprehensiuas: id est quantum ad intellectum passiuum, qui est ratio particularis: id est uis cogitatiua, memoratiua, & imaginatiua, ratio non potest per unum actum imprimere habitum. Necessarium est enim plures actus iterari, ut aliquid memoriæ retineatur, habitus quoque opinionis non generatur ex una propositione, uel ratione probabili: sed oportet etiam pluries actum iterare. Verum habitus scientię potest ex una demonstratione causari, quia à demonstratione una potest intellectus totaliter conuinci, similiter habitus corporales quandoq; ex uno actu causantur, si actiuum sit magnæ uirtutis, fortis enim medicina quandoq; statim inducit sanitatem.

1. 2. q. 52. ar. 1. 2. prædi. c. de quali.

Augmentum habituum fit diuersimode. 7

Augmentum enim habituum sicut et aliarum formarum est tractum ab augmento quantitatum & quod in quantitatibus intelligitur secundum magnitudinem materialem in qualitate intelligitur secundum perfectionem. Augmentum igitur formarum potest consyderari uel ex parte formæ uel ex parte subiecti, id est quia forma secundum se potest augeri uel minui, uel quia subiectum eam magis uel minus participare potest. Est ergo sciendum quod illud secundum quod aliquid sortitur speciem, oportet esse fixum & stans, & quasi indiuisibile, & quicquid ad illud attingit sub specie continetur: & quicquid ab illo

ab illo recedit non pertinet ad illam speciem, siue in plus siue in minus ab illo recedat: quia species sunt sicut numeri: formæ ergo quæ non recipiunt speciem in ordine ad aliquid, sed secundum se, uel secundum aliquid sui, habent secundum se determinatã rationem: quæ nec in plus, nec in minus excedere potest, harum ergo quædam sunt tales, quòd secundum eas participans ipsas habet suam speciem, & hæ sunt formæ substantiales. Quædam uero sunt de quarum ratione est indiuisibilitas, unde oportet quòd participans illas participet eas secundum rationem indiuisibilitatis, sicut sunt species numeri & figurarum, & tales formæ non suscipiunt magis & minus nec secundum se, nec secundum participationem subiecti, consistunt enim in indiuisibili. Quædam autem sunt, quæ non recipiunt speciem in ordine ad aliud, sed tamẽ quia elonguãtur a substantia & quantitate, & si secundum se in indiuisibili consistunt, non tamen dant speciem subiecto nec de ratione earum est indiuisibilitas: unde tales quamuis non possint in se suscipere magis & minus, tamen suscipiunt secundum participationem subiecti quia possunt participari secundum magis uel minus à subiecto, secundum quòd magis uel minus radicantur in subiecto, uel accipiunt magis uel minus dominium supra subiectum, formæ uero, quæ recipiunt speciem in ordine ad aliud possunt secundum se diuersificari in plus & minus & nihilominus sunt eædem specie propter unitatem eius ad quod ordinantur: ex quo recipiunt speciem, sicut motus

ſecundum ſe eſt intenſior & remiſſior, & tamen eſt eiuſdem ſpeciei propter unitatem termini, ex quo ſpeciem capit, & idem poteſt in ſanitate cō-ſyderari, ad cuius rationem pertingit corpus ſecū dum quod illa habet diſpoſitionem conuenientem naturæ animalis, cuius poſſunt eſſe diuerſæ diſpoſitiones, unde poteſt ſanitas uariari in plus & minus remanente ratione ſanitatis. Non enim eſt eadēm in omnibus commenſuratio, nec etiam in eodem ſemper, niſi forte quis diceret ꝙ nomen ſanitatis eſſet impoſitum perfectiſſimæ cōmenſurationi. Itaqꝫ cum habitus & diſpoſitiones dicantur ſecundum ordinem ad aliquid, dupliciter poteſt in eis eſſe intenſio & remiſſio, uno modo ſecūdum ſe, ut dictum eſt in ſanitate: & patet etiam in ſcientia, quæ dicitur maior uel minor, ſecundum quod ad plura uel pauciora ſe extendit, alio modo ſecundum participationem ſubiecti, prout æqualis ſcientia magis in uno incipitur quam in alio ſecundum diuerſam aptitudinem uel ex conſuetudine. uel ex natura. Non enim habitus & diſpoſitio dant ſpeciem ſubiecto, nec in ſui ratione includunt indiuiſibilitatem.

V bi ſu. 2. *Augmentum habituum poteſt fieri per additionem & ſine additione.* 8

Quidam enim eorum augentur per additionē non quidēm quantum ad participationem ſubiecti, ſed magis ſecundum quandam extenſionem, ut cum augetur ſcientia, quia ad plura extenditur ſicut cum augetur motus, quia ei aliquid additur de uia

de uia per quã fit, sed quantum ad intensionem et remissionem augetur secundũ participationẽ subiecti. Formæ uerò, quæ secundũ se non augentur, sed tantum per participationem subiecti, non augẽtur per additionem, quia hoc esset ex parte subiecti (non.n. potest esse ex parte formæ, quia talis additio speciem uariat) & dupliciter potest hoc contingere, uel quia aliqua pars subiecti recipit formam, quam prius non habebat, uel quia aliud subiectum additur priori, eandem formã participans, sed secundum hos duos modos non fit magis aliquid tale sed maius, nullo ergo modo per additionem est tale augmentum. Et similiter in habitibus corporalibus, ut in sanitate & pulchritudine non fit aliquid magis uel minus tale per additionem, quia nullum animal dicitur sanum simpliciter uel pulchrum nisi secundum omnes partes suas, sed fit hæc intensio per transmutationem simplicium qualitatum, quæ non augentur nisi secundum intensionem ex parte subiecti participantis,

9 *Aliqui actus correspondentes habitui augent habitũ, aliqui diminuunt, aliqui uero disponunt.* *Vbi su. ar. 3.*

Si enim intensio actus proportionaliter intensioni habitus respondet, ita quod ęquetur ei, uel super excedit ipsum: sic quilibet actus auget habitum uel disponit ad ipsius augmẽtum, sic enim passiuum fortius ab actiuo uincitur, & ei magis dominatur actiuum, si autem intensio actus deficiat ab intensione habitus, talis actus non solum non disponit ad intensionem habitus, sed

etiam diminuit uel diſponit ad diminutionem; ut cum quis negligenter operatur, eſt enim talis actus aliquo modo contrarius habitui, ſicut minus album dicitur contrariari magis albo.

1.2.q.53.ar. *Habitus generati poſſunt eſſe corrupti.* 10

1.2.eth.c.1. Dupliciter enim aliqua forma corrumpitur,
2.lec.1.2. uno modo per ſe, id eſt a ſuo contrario, alio modo per accidens, id eſt ex corruptione ſubiecti, habitus igitur corporales, ut eſt ſanitas & pulchritudo utroque modo poſſunt corrumpi, quia habent contrarium, & ſubiectum eorum eſt corruptibile, habitus autem ſcientiæ, qui principaliter eſt in intellectu poſſibili, ſecundario uero in uiribus apprehēſiuis ſenſitiuis, ex parte intellectus non poteſt corrumpi per accidens: ſed ſolum ex parte uirium apprehenſiuarum ſenſitiuarum, ſi igitur habitus intellectus ſit in intellectu poſſibili immediate ab intellectu agente cauſato per abſtractionem ſpecierum intelligibilium, talis habitus eſt incorruptibilis per ſe & etiam per accidens, quia ſpecies intelligibiles non habent contrariū, nec ſecūdū ſe nec ex parte cauſæ, ſcilicet intellectus agentis, & ſubiectum eſt incorruptibile; & hic eſt habitus primorum principiorum tã in ſpeculatiuis quam in practicis ſcientijs, nulla enim obliuione uel deceptione corrumpi poſſunt, ſi autem ſit cauſatus ex ratione, procedente a principijs ad concluſiones poterit per ſe corrumpi: uel per contrarietatem propoſitionum, ex quibus cauſatus eſt talis habitus; uel per ſophiſmaticum & contrarium proceſſum rationis,

& eadem

& eadem est ratio de alijs uirtutibus intellectualibus, habitus autem qui sunt in parte appetitiua causantur per hoc quod ratio nata est partem appetitiuam mouere, unde per iudicium rationis in contrarium mouentis quocunque modo siue ex ignorantia siue ex passione, uel etiam ex electione corrumpitur habitus uirtutis, uel uitij, & sicut ex eadem causa augentur habitus ex qua generantur, ita etiam ex eadem causa diminuuntur ex qua corrumpuntur, unde sicut possunt habitus corrumpi: ita etiam diminui possunt.

11 *Habitus possunt corrumpi & diminui per solam cessationem ab opere.* 1. 2. ubi su. ar. 1.

Cessatio enim ab opere est causa corruptionis ipsius habitus per accidens, id est inquantum remouet prohibens corruptionem, quod est ipse actus, qui contraria remouet, quæ quidem subcrescunt per temporis tractum, dum actus remouentur: habitus enim reddit hominem promptum ad operandum. Cum igitur cessatur ab opere, necesse est quod proueniant multæ operationes & passiones præter modum uirtutis ex inclinatione appetitus sensitiui & aliorum, quæ exterius mouent: & similiter ex parte intellectus surgunt imaginationes extraneæ, & aliquando ad contrarios habitus ducentes: ex quo fit ut homo sit minus idoneus ad operandum & iudicandum. li. de long. et bre. uitæ.

12 *In una potentia multi habitus esse possunt.* 1. 2. q. 54. ar. 1.

Habitus enim sunt dispositiones quædam ali-

 cuius

cuius existentis in potentia ad aliquid siue ad naturam, siue ad operationem uel finem naturę. De habitibus ergo qui sunt dispositiones ad naturam manifestum est, q possunt esse plures in eodem subiecto, eo q unius subiecti possunt diuersimode partes accipi: secundũ quarum dispositiones habitus dicuntur. Similiter etiam si loquamur de habitibus, qui sunt dispositiones ad operationem, quia pertinent ad potẽtias passiuas tantum, in una autem potentia passiua possunt esse plures habitus. Sicut enim materia prima determinatur ad unam formam per unum agens: ita etiam potentia passiua à ratione unius obiecti actiui determinatur ad unum actum secundum speciem, unde sicut plura obiecta possunt mouere unam potentiam passiuam: ita una potentia passiua potest esse subiectum diuersorum actuum uel perfectionum diuersarum secundum speciem, habitus autem sunt qualitates seu potentiæ perfectiones, quibus determinatur potentia ad determinationem actus secundum speciem, unde sicut ad unã potentiam possunt plures actus pertinere specie differentes, ita & plures habitus.

Vbi su. ar. 2. 3. *Habitus distinguntur multipliciter.* 13

Cum enim habitus sit forma quædam, & distinctio formarum sit secundum principia actiua diuersa, eo quòd omne agens facit sibi simile secundum speciem: iccirco habitus inquantum sunt formę quædam distinguntur secundum principia actiua ipsorum, habitus quoq; inquantum est ha-

est habitus ad aliquid ordinatur, id est, uel ad naturam, uel ad corpus, omnia autem quæ dicuntur in ordine ad aliquid distinguntur secundum distinctionem eorum, ad quæ dicuntur: & ideo habitus etiam distinguntur secundum ordinem ad naturam, ut scilicet ille habitus dicatur bonus qui disponit ad actum naturæ conuenientem. Malus uero ille qui disponit ad contrarium, & similiter distinguntur secundum obiecta speciei differentia. Distinguntur etiam secundum diuersam conuenientiam ad naturam, ex eo quod habitus unus disponit ad naturam & actum naturæ inferiori conuenientem, et habitus alter ad actum naturæ superiori conuenientem, sicut distinguitur uirtus humana a diuina & heroica.

14 *Habitus est qualitas simplex non constituta ex pluribus habitibus.* ubi su. ar. 4

Quia enim habitus est quædam perfectio potentiæ, & omnis perfectio proportionatur suo perfectibili, hinc est quod sicut una potentia ad multa se extendit secundum quod conueniunt in una generali ratione obiecti: ita etiam unus habitus ad multa se extendere potest secundum unam rationem uel unam naturam, uel unum principium. Quia ergo multiplicitas hec est ad nunum ordinata, ad quod habitus principaliter respicit: hinc est, quod dato quod habitus ad multa se extendat, est tamen una qualitas simplex habitus: ergo & uirtutes proprie non componuntur ex aliquibus partibus integralibus, sed bene sub se habent partes subiectiuas & potentiales, ut infra

patebit

patebit, unde non generantur, nec augentur habitus ex hoc quod pars post partem generetur, sed ex eo quod non statim sequitur dispositionẽ formæ: sed primo est in subiecto imperfecte, & postea perficitur: sicut si aliquis habens scientiam unius conclusionis acquirat scientiam alterius, non iam acquirit nouum habitum, sed habitus, qui prius inerat fit perfectior, & ad plura se extendit. De habitibus ergo tanta diximus.

Explicit liber tertius de habitibus.

Postilla in librum tertium.

POST consyderationem actuum humanorum in communi sequitur consyderatio de habitibus, qui sunt principia intrinseca huiusmodi actuum: disponunt enim & habilitant potentias animæ ad agendum, unde de illis agitur in hoc libro, in communi tamẽ, hoc ordine: primo quidem agit author de substantia eorum. secundo de causis tam generationis quam augmenti & corruptionis ipsorum, & tertio de distinctione eorundem. Circa primum quia substantia habitus cognoscitur per eius diffinitionem, & subiectum a quo dependet, ideo primo diffinit

diffinit habitum in prima concluſione, ex quo deducit eius neceſſitatem in ſecunda. Secundo uero oſtendit eius ſubiectum, tam principale quam ſecundarium in tertia. Circa ſecundum, primo declarat cauſas generationis eius quo ad naturam quidem in quarta: quo ad actus uero noſtros in quinta & ſexta, nam partim a natura, partim autem ex actibus generatur. Secundo, manifeſtat cauſam augmenti & diminutionis illius augmenti quidem ſeorſum in ſeptima et octaua: utriuſque uero in nona. Tertio declarat cauſam corruptionis eiuſdem, quo ad cauſam per ſe in decima: quo ad cauſam autem per accidens in undecima. Quo ad tertium primo diſtinguit habitus ex parte potentiæ in duodecima. Secundo ex parte obiecti in tertiadecima.

Tertio ex parte ipſorum habituũ in quartadecima.

Incipit

INCIPIT LIBER QVARTVS DE VIRTVTIBVS IN COMMVNI.

1.2.q.65 p to. 3. ethi.c.5. lec.6.5.t

VIRTVS *est habitus bonus mentis, quo recte uiuitur, & quo nullus male utitur quem deus in nobis operatur.* 1

Virtus enim nominat quandam potentiæ perfectionem. Vniuscuiusque uero perfectio consyderatur in ordine ad suum finem, & finis potentiæ est actus, illæ ergo potentiæ, quæ naturaliter ad suos actus determinãtur, ut sunt potentiæ naturales, uirtutes uocantur. Rationalis uero determinatur ad suum actũ per habitum, est ideo humanæ uirtutes sunt habitus, quia autem uirtus est perfectio, oportet quod uirtus cuiuslibet rei determinetur ad ultimũ, in quod res potest, hoc autem oportet esse bonum, quia malũ defectum importat, & non uirtutem, ideo uirtus cuiuslibet rei dicitur in ordine ad bonum, propter quod sequitur quod uirtus humana sit habitus bonus, & quia uirtus humana de qua loquimur, non potest ad corpus pertinere, nec ad aliquas uires, quę sunt animæ & corpori communes, sed solum ad illud quod est homini proprium, idest ad rationem: icirco cum uirtus importet perfectiõem potentię, uirtus humana non potest importare perfectionem potentię in ordine ad esse, in quo homo cum

alijs

aliis communicat, & ideo importat perfectiõem potentiæ ad agere; propter quod sequitur, quod sit habitus bonus operatiuus. Quia autem uirtus est accidens, non potest habere materiam, ex qua, sed bene materiam circa quam & in qua. Verum quia materia circa quam est obiectum, quod determinat habitum ad speciem: & hic diffinitur uirtus in communi, non potuit in eius diffinitione poni hæc materia: sed loco eius ponitur materia in qua: cum dicitur quod est habitus mẽtis. Cum autem dicitur, quo recte uiuitur, ostẽditur quod est habitus operatiuus, & excluditur habitus uitiosus, qui semper ad malum inclinat. Et cũ dicitur quo nullus male utitur, excluditur habitus opinionis, qui quandoque inclinat ad uerum quandoque ad falsum: & alij habitus si qui sunt, qui quandoque ad bonum, quandoque ad malum inclinant. Virtute autem nullus potest male uti tanquam principio usus, ita quod malus sit actus uirtutis: sed bene tanquam obiecto, ut cum odit eam, uel de ea superbit, & quamuis ratio sit principium & causa efficiẽs uirtutis: tamen deus est prima causa eius, & certe ipse est magis causa eius quam nos. Nam & aliquando in nobis, sine nobis uirtutes operatur. Itaque causa formalis uirtutis tangitur, cum dicitur habitus bonus, hic enim ponitur genus & differentia. Materialis autem cum dicitur mentis, finalis cũ tangitur operatio, dicendo quo recte uiuitur, & quo nullus male utitur. Efficiens autem, cum dicitur quem in nobis deus operatur perfecta est ergo diffinitio eius.

Virtus

1.2.q:56. ar.1. *Virtus est in potentia animæ tanquam in subiecto.* 2

Est enim perfectio potentiæ, & perfectio est in eo, cuius est perfectio, est etiam habitus operatiuus: anima autem per potentias operatur. Item est dispositio perfecti ad optimum, quod est operatio, uel aliquid consequutum per operationem a potentia egredientem. est igitur subiectiuæ in potentia animæ.

ubi.s.ar.2 *Vna uirtus nõ potest esse in duabus potentijs ex æquo* 3

Diuersitas enim potẽtiarum attenditur secundum conditiones generales obiectorum. Diuersitas autem habituum secundum speciales, iccirco ubicunq; est diuersitas potentiarum est diuersitas habituum, sed non econuerso, non ergo potest una uirtus esse in duabus potentijs ex æquo: sed bene potest esse in una principaliter, et in alijs per modum cuiusdam diffusionis, uel dispositionis, sc̃dm quod una potentia mouetur ab altera.

ubi.s.ar.3 6.ethi.c.3. lec.2.s.t. *Intellectus subiectum uirtutis esse potest.* 4

Virtus enim est, quæ bonum reddit habẽtem & opus eius bonum: ut ex dictis patet, oportet ergo quod uirtus simpliciter dicta non solum det facultatem bene agendi: sed etiam quod faciat recte uti facultate. Quia ergo uoluntas mouet oẽs potentias, quę aliqualiter sunt rationales, ad suos actus, ut supra dictum est, ideo ex eo quod homo habet bonam uoluntatem, sequitur quod recte agat. Virtus ergo omnis, quæ bonum facit habentem, et opus eius reddit bonum, aut est in uoluntate, aut in aliqua potentia secũdum quod est a uolun

à uoluntate mota. Intellectum autem contingit moueri a uoluntate: & ideo potest esse subiectum uirtutis simpliciter dictę, ut intellectus speculatiuus fidei, cui per uolūtatem assentit, de qua aliàs loquemur. & practicus prudentię ad quam requiritur ut homo recte se habeat ad finem per rectitudinem uoluntatis. Alij uero habitus scientiarū, & artium quamuis prębeant facultatem recte operandi, non tamen faciunt semper recte operari nec habent ordinem ad uoluntatem, unde secundum eos non dicitur aliquis simpliciter bonus, unde non sunt simpliciter uirtutes.

5 *Irascibilis & concupiscibilis sunt subiecta uirtutum.* *1.2. ubi sup. ar. 4.*

Irascibilis enim & concupiscibilis, secundum quod a ratione mouetur, sic rationem aliquo modo participant. Actus autem, qui progreditur ab humana potentia secundum quod est ab alia mota, non potest esse perfectus, nisi utraqne potentia sit bene disposita ad actum, & ideo necesse est in irascibili: & concupiscibili secundum quod a ratione mouentur, esse aliquam dispositionem, seu habitum secundum conformitatem ad rationem, ut perfectus sit actus potentiarum istarum prout a ratione mouentur, & ideo uirtus istarum potentiarum nihil aliud est quam quædam habitualis conformitas ad rationem, sunt ergo subiectum uirtutis. *3. eth. c. 12. lec. 19. s. t.*

6 *In uiribus sensitiuis apprehensiuis non est proprie uirtus.* *1.2. ubi. sup. ar. 5*

Quamuis enim in uiribus interioribus apprę-

hensi

hensiuis uideatur esse aliquis habitus per modum cuiusdam consuetudinis, ut maxime patet in memoria: tamen huiusmodi consuetudo non est habitus per se, sed aliquid annexũ habitib. partis intellectiuę, & posito quod in talib. uirib. sint quidam habitus, hi tamen uirtutes dici non possunt, quia uirtus semper est in illa potentia, quæ est consumatiua boni operis, cum sit habitus perfectus, quo non contigit nisi bonum operari, unde etiam in appetitu sensitiuo secundum quod a uoluntate mouetur, cõsumatur bonum opus, sed in huiusmodi uiribus non consumatur cognitio ueri uel falsi, imo potius in intellectu. nam huiusmodi uires sunt magis mouentes intellectum, quam ab eo motæ & sunt quasi præparatorię ad cognitionem intellectiuam. In sensibus autem exterioribus, & in uiribus animæ uegetatiuæ, quod non sint habitus, neque uirtutes clarum est, quia sunt determinatæ ad unum, & non subijciuntur imperio rationis.

ubi s. ar. 6. *Voluntas est subiectum uirtutis.* 7

Potentia enim ad bene agendum, tunc indiget habitu perficiente, quãdo non sufficit ad hoc propria ratio eius, quę consistit in ordine ad obiectum. Cum igitur obiectum uoluntatis sit bonum rationis sibi proportionatum quantum ad hoc non indiget uoluntas aliqua uirtute, per naturam enim propriam tendit in id quod sibi bonum est secundum rationem, unde ad moderandum passiones irascibilis & concupiscibilis non indiget aliquo habitu; cum ad hoc ipsa cum ratione

tione sufficiat, unusquisque enim hoc modo potest tendere in id, quod est bonum sibi, absque alio habitu in uoluntate existente, sed bene necesse est in ea esse aliquam uirtutem perficientem respectu boni excedentem proportionem uolentis, sicut est bonum diuinum, uel bonum proximi, et ideo uirtutes quę ordinant affectum hominis in deum & proximum, sunt in uoluntate sicut in subiecto sicut est charitas & iustitia.

8 *Tres sunt uirtutes intellectus speculatiui abinuicem distinctæ.* 1.2.q.57.ar. 1.ar.1.2.6. eth.c.4.5.6. 7.lec.3.5.6. 5.t.

Quia enim habitus speculatiui intellectus prębent facultatem ad bonum peragendum licet nō prebeant usum eo quod usus ad appetitiuam potentiam pertineat, ideo dicuntur uirtutes aliquo modo licet non sint simpliciter uirtutes ut dictum est. Per has ergo uirtutes intellectus perficitur ad cognoscendum uerum, si ergo perficitur ad cognoscendum uerum tanquam per se notum, habitus ad hoc perficiens dicitur intellectus, hoc enim uerum statim percipitur ab intellectu, si autem uerum est per aliud notum, tunc uel est ultimum respectu cognitionis humanæ, quod secundum se est notissimum: sed nobis per aliud notum: & ad hoc perficit habitus sapientiæ, quæ uersatur circa altissimas causas, uel est ultimum in hoc uel illo genere cognoscibilium: & ad hoc perficit scientiæ habitus, unde secundum diuersa genera scibilium sunt diuersi habitus scientiarum cum tamen sapientia non sit nisi una, siquis ergo recte consyderet, hæ tres uirtutes non ex æquo ab in-

uicem distinguntur: sed ordine quodam quia sci-
entia dependet ab intellectu sicut à principalio-
ri, & utrunque à sapientia tanquam a principa-
lissimo, quæ sub se continet & intellectum &
scientiam, ut de conclusionibus scientiarum diju-
dicans & de principijs earundem.

1. 2. *ubi su.* *Prudentia est uirtus intellectus practici alia ab arte.* 9

ar. 3.4. Ars enim est recta ratio aliquorum operum
6.eth.c.5.6. faciendorum, quorum tamen bonum non con-
lec. 3. 4. sistit in hoc quod appetitus humanus aliquo mo
2.eth.c. 3. do se habeat: sed in hoc quod opus sit in seipso
*lec.*4. *s.t.* bonum, unde ars habet rationem uirtutis, sicut
etiam habitus speculatiui: quia dat facultatem
bene operandi: sed non usum: cum non respici-
at appetitum. Prudentia uero etiam dat usum.
Nam est recta ratio agibilium, id est, actuum
humanorum qui sunt usus potentiarum, quorum
principia sunt fines, & ideo ad prudentiam re-
quiritur q homo sit bene dispositus circa fines,
quod non est nisi per uirtutes morales. Ars ergo
est circa factibilia, & transit in exteriorem ma-
teriam: & non requirit appetitum rectum. Pru-
dentia uero circa agibilia, & requirit rectitudinē
appetitus.

1.2.*q.*58. *ar.* *Virtus moralis ab intellectuali distinguitur.* 10

1. 2. Virtus enim moralis a more dicitur secundū
1.eth.c. ulti. quod mos significat quandam inclinationem na
lec. ulti. s. t. turalem, uel quasi naturalem ad aliquid agendū,
sicut dicimus aliqua bruta aliquem morem ha-
bere, & homines more leonum irruere in hostes:
cui significationi propinqua est aliqua significa-
tio, qua

tio,qua mos conſuetudinem importat,quia conſuetudo uertitur in naturam. Inclinatio autẽ pertinet ad appetitiuam uirtutem cuius eſt mouere omnes potentias ad agendum, & ideo propriè uirtus moralis dicitur ſolum illa quæ eſt in appetitiua potentia,quia ergo appetitus ſenſitiuus nõ obedit rationi abſque contradictione,neceſſe eſt ad hoc q homo bene agat,ut non ſolum ratio ſit bene diſpoſita per habitum uirtutis intellectualis ſed etiam q uis appetitiua ſit bene diſpoſita per habitum uirtutis moralis: ſicut ergo appetitus à ratione diſtinguitur,ita & uirtus moralis ab intellectuali.

11 *Virtus humana ſufficienter diuiditur per moralem & intellectualem.* *1. 2. ubi ſu. ar. 3.*

Virtus enim humana perficit hominem ad bene operandum,duo autem ſunt principia humanorum actuum in homine,ſcilicet ratio & appetitus, oportet ergo q omnis uirtus humana ſit perfectiua alicuius iſtorum principiorum, uirtus autem perfectiua intellectus, intellectualis eſt: ipſius uero appetitus perfectiua,eſt moralis, ergo,&c.

12 *Virtus intellectualis quæ eſt prudentia nõ poteſt eſſe ſine morali,nec moralis ſine prudentia et intellectu.* *Vbi ſu. ar. 4. 6. eth. c. 16. 17 lec. 10. 11. s. t. 2. eth. c. 5. lec. 7. s. t.*

Quod enim uirtus moralis poſſit eſſe ſine aliquibus intellectualibus,ut puta ſine ſcientia, ſapientia,& arte,clarum eſt & econuerſo: ſed ſine intellectu & prudentia eſſe non poteſt, eo quod uirtus eſt habitus electiuus, id eſt faciens

bonam electionem, ad quam primo requiritur debita intentio finis, quod fit per uirtutem moralem, quæ uim appetitiuam inclinat ad bonum conueniens rationi, quod est finis debitus, secundo requiritur ꝙ homo recte accipiat ea, quę sunt ad finem, quod non fit nisi per rationem recte cō siliantem iudicantem & præcipientem, quod pertinet ad prudentiam, ut infra uidebimus: uirtus ergo moralis sine prudentia esse non potest: prudentia autem præsupponit cognitionem primorum principiorum in rebus agibilibus, quę per intellectum cognoscuntur, unde ad uirtutem moralem etiam requiritur intellectus, quia autem prudentia est recta ratio agibilium non in uniuersali solum, sed etiam in particulari, eo quod actiones sunt in particularibus, non sufficit homini ꝙ recte disponatur circa uniuersalia, quia uniuersale principium potest in particulari per aliquam passionem corrumpi, & ideo oportet etiā ꝙ disponatur circa particularia principia agibilium, quæ sunt fines, ut sciat recte iudicare de fine: unde oportet ꝙ perficiatur per aliquos habitus secundum quos fiat quodammodo homini naturale recte iudicare de fine. Nam qualiter unusquisq; dispositus est, taliter etiam de fine iudicat, & talis finis sibi uidetur: & ideo prudentia non potest esse sine morali uirtute, per quam inclinatur homo ad recte iudicandum de fine.

Virtus moralis non est passio. 12

1.2.q.59.ar.
1.2.eth. c.5.
lec5.s.t.

Non enim est motus, sed habitus, deinde passiones

ſiones indifferenter ſe habent ad bonum & malum, ſed uirtus ſolum ad bonum ſe habet: non eſt igitur paſſio.

14 *Virtus moralis cum paſſione eſſe poteſt.* *1. 2. Vbi ſu. ar. 2. 3. 2. eth. c. 5. lec. 6. s. t.*

Si enim paſſiones dicuntur inordinatæ affectiones non poſſunt eſſe cum uirtute, ita q̃ poſt deliberationem eis conſentiatur, quia hæ deſtruunt ordinem rationis. Si uero dicantur affectiones a ratione regulatæ, ſic poſſunt eſſe in uirtuoſo, unde uirtuoſus rationabiliter, & laudabiliter de ſuis peccatis præſentibus, uel præteritis triſtatur, uel etiam de peccatis aliorum, non poteſt tamen in eo eſſe triſtitia de ijs, quæ uirtuti conueniunt.

15 *Non omnis uirtus moralis eſt circa paſſiones.* *1. 2. ubi ſu. ar. 4. 5. 1. eth. ubi ſu.*

Virtus enim moralis perficit partem appetitiuam ordinando ipſam in bonum rationis: ut ſcilicet ſit ordinata ſecundum rationem. Ratio autem ordinat nõ ſolum paſſiones appetitus ſenſitiui, ſed etiam uoluntatem, in qua non ſunt paſſiones, ſed operationes quædam, ergo uirtus moralis eſt etiã circa operationes, & ſic eſt abſque paſſione, ſicut iuſtitia, ſed uirtutes morales, quæ ſunt circa paſſiones, abſq; paſſione eſſe non poſſunt, aliter facerent appetitum omnino ocioſum: ſed non pertinet ad uirtutem, ut ea, quæ ſunt ſubiecta rationi à proprijs actibus uacent, ſed quòd exequantur imperium rationis proprios actus peragendo.

16 *Neceſſe eſt eſſe plures uirtutes morales.* *1. 2. q. 60. per totũ 2. eth. c. 7. lec. 8. 9. s. t.*

 Oportet

Oportet enim alias esse uirtutes circa operationes & alias circa passiones, eo quod bonum in operationibus quibusdam attenditur secundum se: hoc est secundum rationem commensurationis ad alterum, qualitercunque homo afficiatur ad eas & ideo oportet quod sit aliqua uirtus directiua taliũ operationum secundum seipsas, ut sunt emptio & uenditio, in quibusdam uero operationibus quę sunt interiores passiones bonum attenditur secundum cõmensurationem ad operantem, secũdum quod bene uel male afficitur, & sic oportet alias esse uirtutes harum directiuas, & quia in operationibus exterioribus ordo rationis instituitur secundum conuenientiam rei in seipsa: secundum quam accipitur ratio debiti, quod non est unius rationis in omnibus, eo quòd aliquid aliter debetur æquali, aliter uero superiori, aliter autem inferiori, hinc est quòd secundum hanc diuersitatem sumuntur diuersæ uirtutes, ut religio, pietas, gratia, & sic de alijs, & similiter quia appetibilia secundum motionem rationis diuersimode se habent ad eam, oportet etiam circa passiones & appetitum esse diuersas uirtutes ut circa delectabilia uenereorum & ciborum temperantia, circa timores & audacias fortitudo, et circa iram mansuetudo, & sic de cæteris.

Quatuor sunt uirtutes cardinales. 17

1.2.q.61, per to. Virtutes .n. morales solæ dicuntur cardinales: quia sunt perfectæ uirtutes, eo quòd non dant solum facultatem bene operãdi, sed etiam usum, ut dictum

dictum est supra. Cum igitur principium formale uirtutis sit bonum rationis, hoc bonū secundū quod in ipsa rationis consyderatione cōsistit respicitur a prudentia, quæ est aliquo modo uirtus moralis secundum materiam, ut patet ex dictis, Si autem hoc bonum circa operationes ponatur, habebimus iustitiam: Si uero ad reprimendam passionem impellentem hominem ad aliquid cōtrarium rationi, sic habes temperantiam. Si autem ad firmandum in eo, a quo passiones retrahunt. sic habes fortitudinem, unde prudentia est in ratione, iustitiā in uolūtate, temperantia in cōcupiscibili, & fortitudo in irascibili. Et istæ dicūtur principales, tum quia omnes aliæ ad istarum generalem rationem reducuntur, tum quia circa principales materias uersantur. Prudentia enim est præceptiua: bonum autem rationis inuenitur maxime & principaliter in imperio, non autem in consilio & iudicio. Iustitia est circa actiones debitas inter æquales, Temperantia circa delectationes tactus, Fortitudo uero firmat contra pericula mortis, & hæ quatuor dicuntur exemplares secundum quod sunt exemplariter in Deo: in quo prudentia est mens eius. Temperantia conuersio intentionis diuinæ ad seipsum. Fortitudo immutabilitas. Iustitia obseruatio legis æternæ in suis operibus. Purgatoriæ quoque dicuntur in ijs qui ascendunt ad diuinam similitudinem dirigendo cogitationem ad solum Deum per prudentiam. & relinquendo usus corporales inquantum natura patitur per temperantiam & nil timendo

propter ascensum ad superna per fortitudinem et per iustitiam assentiendo huic proposito suo. Purgati uero animi dicuntur in perfectissimis, uel beatis, qui per prudentiam sola diuina intuentur, per temperantiam nesciunt delectationes corporales, per fortitudinem ignorant passiones, & per iustitiam diuinæ menti perpetuo fœdere sociantur tum imitando. Item ciuiles dicuntur eo modo, quo prius fuerunt distinctæ.

1. 2. q. 63. 1. 2. *Virtus humana est partim a natura, partim uero ex assuetudine operum.* 18

A natura quidem secundũ quandam inchoationem, & secundũ naturam speciei inquantum in ratione hominis insunt naturaliter quædã principia naturaliter cognita tã scibiliũ quã agendorũ, quæ sunt quædã seminaria intellectualiũ uirtutũ et moraliũ, & inquantũ in uoluntate est quidam naturalis appetitus boni quod est secundũ rationem, & secundũ naturã indiuidui, inquãtũ ex corporis dispositione, aliqui sunt dispositi uel melius uel peius ad quasdã uirtutes, prout .s. uires sensitiuę actus sunt quarũdã partiũ corporis, ex quarũ dispositione adiuuantur uel impediũtur huiusmodi uires in suis actibus, & per cõsequens uires rationales quibus hmõi uires sensitiuæ deseruiunt, & secundum hoc unus hõ est inclinatus ad unã uirtutem, et alius ad aliã. Ex consuetudine aũt operũ sunt quo ad cõsummationem, hæc. n. non põt esse a natura, quia nõ est secundũ unũ modũ rationis, sed diuersimode secundũ diuersas materias in quibus uirtutes operãtur, natura aũt est determinata ad unũ, fit ergo ex actibus inquãtũ

hmõi actus,pcedũt à ratione, sub cuius potestate & regula consistit bonũ,ad qđ est ordinata uirtus humana et uirtus ordinans hominẽ ad bonũ secundum quod modificatur per legem diuinam & non per rationem humanam, non potest causari per actus humanos, quorum principium est ratio, sed causatur solum in nobis per operationem diuinam, quamuis & prima sit ab illo principaliter, ut dictũ est in diffinitione uirtutis &c.

Virtus moralis consistit in medio.

19 Moralis enim uirtus proprie est perfectiua appetitiuæ partis. cuius mensura circa appetibilia est ratio. Bonum autem mensurati est, ut suæ regulæ conformetur. Contingit autem quod non conformetur ei, uel quia super excedit, uel quia deficit. Inter excessum autem & defectum medium est æqualitas, seu conformitas. Virtus ergo moralis, quæ ordinat hominem ad bonum rationis cõsistit in conformitate ad rationem, id est in medio excessus & defectus. At uirtus intellectualis, cõsistit aliter in medio. uersatur enim circa uerum, quod mensuratur à re. Medium ergo eius est per conformitatem ad rem. ut scilicet dicat esse quod est, & non esse quod non est. Excessus autem est si dicitur esse quod non est. Defectus uero si dicit non esse quod est: & hoc est uerum tam in practicis quàm in speculatiuis. uerũ est tamen quod in prudentia ipsa ueritas habet rationem mensuræ respectu appetitus. unde idem est medium prudentiæ & uirtutis moralis, quod tamen est prudentiæ, ut regulantis, & uirtutum

1.2.q.64.ar. 1.2.eth.c.5. lec.7.s.t.

moralium, ut earum, quæ regulantur.

1.2.ubi s.ar.2. 2.eth.ubi.su.

20 *Medium uirtutis moralis est medium rationis.*

Medium enim eius est per conformitatem ad rationem rectã. Contingit autem in quibusdam, ut in operationibus exterioribus: quæ sunt ad alterum, rectum rationis institui simpliciter, & secundum se, ut in uenditione & emptione. Et sic medium in huiusmodi non solum est rationis, sed etiam medium rei, Iustitia enim reddit unicuiq; quod dare debet, nec plus, nec minus. In quibusdam uero ut in passionibus interioribus non potest rectum institui secundum medium rei, quia non oẽs eodem modo se habent ad passiones. Rectitudo ergo in istis est per respectũ ad nos, qui afficimur passionibus. unde oportet quod mediũ in his sit medium rationis. aliquid enim est medium in uno quod si alteri æqualiter tribuatur excedit, dicitur autem uirtus inuenire hoc medium, quãdo seruat id, quod oportet, ubi oportet, secundũ quod oportet, quando oportet & huiusmodi.

Virtutes morales omnes sunt sibi concatenatæ.

1.2.q.65.1.6 eth.c.& lec. ult.s.t

21 Cum enim discretio ad prudentiam pertineat & moderãtia ad temperantiã, & rectitudo ad iustitiam, & firmitas animi ad fortitudinẽ, & cum discretio absq; moderãtia, rectitudine, & fortitudine animi esse non possit, nec firmitas sine discretione rectitudine & moderantia, & rectitudo sine illis. Et similiter nec moderantia, patet quod adinuicem sunt connexæ. Item cum proprium uirtutis moralis sit facere electionem rectam, eo

quod

quod est habitus electiuus, ad quam requiritur non solum inclinatio ad finem, sed etiam recta electio eorum, quæ sunt ad finem, quæ fit per prudentiam, sequitur quod sine prudentia nulla sit uirtus moralis, nisi forte imperfecte accipiendo uirtutem pro inclinatione quadã. sicut uidemus multos inclinari ad liberalitatem, qui tamen si habent corruptam æstimationem prudentiæ circa alia uitia nõ habent uirtutem liberalitatis perfecte. Prudentia quoq; non potest esse sine uirtutibus moralibus, cum sit recta ratio agibilium, quę ex finibus agibiliũ procedit tanquã ex principijs ad quos recte se habet per uirtutes morales. Intellectuales autem non sunt concatenatę hoc modo quod una sine altera haberi nõ possit, quia sunt circa materias adinuicem non ordinatas.

22 *Vna uirtus est maior & intensior altera.* 1.2.q.66.ar.1

Causa enim & radix humani boni est ratio, quia ergo causa est potior effectu, oportet qđ prudentiã quæ rationem perficit præferatur in bonitate cæteris uirtutibus moralibus. in quibus tãto est una altera maior, quanto magis ad rationẽ accedit. unde iustitia est maior fortitudine, quæ est maior temperãtia, quæ est in cõcupiscibili, quæ minus de ratiõe participat quã irascibilis. si aũt cõparemus uirtutes eiusdẽ speciei adinuicẽ, una erit maior & intensior altera ex parte subiecti secundũ, scilicet quod unus est melius dispositus quàm alius ad uirtutẽ, uel propter maiorẽ assuetudinẽ uel meliorem dispositionem naturæ, uel propter maius iudicium rationis, uel maius donum dei;

Non

1.2.q:56. ar.1. *Virtus est in potentia animæ tanquam in subiecto.* 2

Est enim perfectio potentiæ, & perfectio est in eo, cuius est perfectio, est etiam habitus operatiuus: anima autem per potentias operatur. Item est dispositio perfecti ad optimum, quod est operatio, uel aliquid consequutum per operationem a potentia egredientem. est igitur subiectiuæ in potentia animæ.

ubi.s.ar.2 *Vna uirtus nō potest esse in duabus potentijs ex æquo* 3

Diuersitas enim potētiarum attenditur secundum conditiones generales obiectorum. Diuersitas autem habituum secundum speciales, ideirco ubicunq; est diuersitas potentiarum est diuersitas habituum, sed non econuerso, non ergo potest una uirtus esse in duabus potentijs ex æquo: sed bene potest esse in una principaliter, et in alijs per modum cuiusdam diffusionis, uel dispositionis, sc'dm quod una potentia mouetur ab altera.

ubi.s.ar.3 6.ethi.c.3. lec.2.s.t. *Intellectus subiectum uirtutis esse potest.* 4

Virtus enim est, quæ bonum reddit habētem & opus eius bonum: ut ex dictis patet, oportet ergo quod uirtus simpliciter dicta non solum det facultatem bene agendi: sed etiam quod faciat recte uti facultate. Quia ergo uoluntas mouet oēs potentias, quę aliqualiter sunt rationales, ad suos actus, ut supra dictum est, ideo ex eo quod homo habet bonam uoluntatem, sequitur quod recte agat. Virtus ergo omnis, quæ bonum facit habentem, et opus eius reddit bonum, aut est in uoluntate, aut in aliqua potentia secūdum quod est

a uolun

à uoluntate mota. Intellectum autem contingit moueri a uoluntate: & ideo potest esse subiectum uirtutis simpliciter dictę, ut intellectus speculatiuus fidei, cui per uolũtatem assentit, de qua alias loquemur. & practicus prudentię ad quam requiritur ut homo recte se habeat ad finem per rectitudinem uoluntatis. Alij uero habitus scientiarũ, & artium quamuis prębeant facultatem recte operandi, non tamen faciunt semper recte operari nec habent ordinem ad uoluntatem, unde secundum eos non dicitur aliquis simpliciter bonus, unde non sunt simpliciter uirtutes.

5 *Irascibilis & concupiscibilis sunt subiecta uirtutum.* *1.2.ubi sup. ar.4.*

Irascibilis enim & concupiscibilis, secundum quod a ratione mouẽtur, sic rationem aliquo modo participant. Actus autem, qui progreditur ab humana potentia secundum quod est ab alia mota, non potest esse perfectus, nisi utraqne potentia sit bene disposita ad actum, & ideo necesse est in irascibili: & concupiscibili secundum quod a ratione mouentur, esse aliquam dispositionem, seu habitum secundum conformitatem ad rationem, ut perfectus sit actus potentiarum istarum prout a ratione mouentur, & ideo uirtus istarum potentiarum nihil aliud est quam quædam habitualis conformitas ad rationem, sunt ergo subiectum uirtutis. *3.eth.c.12. lec.19.s.t.*

6 *In uiribus sensitiuis apprehensiuis non est proprie uirtus.* *1.2.ubi.sup. ar.5*

Quamuis enim in uiribus interioribus apprę-

hensi

hensiuis uideatur esse aliquis habitus per modum cuiusdam consuetudinis, ut maxime patet in memoria: tamen huiusmodi consuetudo non est habitus per se, sed aliquid annexũ habitib. partis intellectiuę, & posito quod in talib. uirib. sint quidam habitus, hi tamen uirtutes dici non possunt, quia uirtus semper est in illa potentia, quæ est consumatiua boni operis, cum sit habitus perfectus, quo non contigit nisi bonum operari, unde etiam in appetitu sensitiuo secundum quod a uoluntate mouetur, cõsumatur bonum opus, sed in huiusmodi uiribus non consumatur cognitio ueri uel falsi, imo potius in intellectu. nam huiusmodi uires sunt magis mouentes intellectum, quam ab eo motæ & sunt quasi præparatorię ad cognitionem intellectiuam. In sensibus autem exterioribus, & in uiribus animæ uegetatiuæ, ꝙ non sint habitus, neque uirtutes clarum est, quia sunt determinatæ ad unum, & non subijciuntur imperio rationis.

ubi s. ar.6. *Voluntas est subiectum uirtutis.* 7

Potentia enim ad bene agendum, tunc indiget habitu perficiente, quãdo non sufficit ad hoc propria ratio eius, quę consiistit in ordine ad obiectum. Cum igitur obiectum uoluntatis sit bonum rationis sibi proportionatum quantum ad hoc non indiget uoluntas aliqua uirtute, per naturam enim propriam tendit in id quod sibi bonum est secundum rationem, unde ad moderandum passiones irascibilis & concupiscibilis non indiget aliquo habitu; cum ad hoc ipsa cum ratione

tione sufficiat, unusquisque enim hoc modo potest tendere in id, quod est bonum sibi, absque alio habitu in uoluntate existente, sed bene necesse est in ea esse aliquam uirtutem perficientem respectu boni excedentem proportionem uolentis, sicut est bonum diuinum, uel bonum proximi, et ideo uirtutes quę ordinant affectum hominis in deum & proximum, sunt in uoluntate sicut in subiecto sicut est charitas & iustitia.

8 *Tres sunt uirtutes intellectus speculatiui abinuicem distinctæ.* 1.2.q.57.ar. 1.ar.1.2.6. eth.c.4.5.6. 7.lec.3.5.6. 5.t.

Quia enim habitus speculatiui intellectus prębent facultatem ad bonum peragendum licet nō prebeant usum eo ꝙ usus ad appetitiuam potentiam pertineat, ideo dicuntur uirtutes aliquo modo licet non sint simpliciter uirtutes ut dictum est. Per has ergo uirtutes intellectus perficitur ad cognoscendum uerum, si ergo perficitur ad cognoscendum uerum tanꝙ per se notum, habitus ad hoc perficiens dicitur intellectus, hoc enim uerum statim percipitur ab intellectu, si autem uerum est per aliud notum, tunc uel est ultimum respectu cognitionis humanæ, quod secundum se est notissimum: sed nobis per aliud notum: & ad hoc perficit habitus sapientiæ, quæ uersatur circa altissimas causas, uel est ultimum in hoc uel illo genere cognoscibilium: & ad hoc perficit scientiæ habitus, unde secundum diuersa genera scibilium sunt diuersi habitus scientiarum cum tamen sapientia non sit nisi una, si quis ergo recte consyderet, hæc tres uirtutes non ex æquo ab in-

uicem diſtinguntur: ſed ordine quodam quia ſcientia dependet ab intellectu ſicut à principaliori, & utrunq; à ſapientia tanquam a principaliſſimo, quæ ſub ſe continet & intellectum & ſcientiam, ut de concluſionibus ſcientiarum dijudicans & de principijs earundem.

1. 2. ubi ſu. *Prudentia eſt uirtus intellectus practici alia ab arte.* 9

ar. 1. 4. Ars enim eſt recta ratio aliquorum operum
6. eth. c. 5. 6. faciendorum, quorum tamen bonum non con-
lec. 3. 4. ſiſtit in hoc quod appetitus humanus aliquo mo-
2. eth. c. 3. do ſe habeat: ſed in hoc quod opus ſit in ſeipſo
lec. 4. s. t. bonum, unde ars habet rationem uirtutis, ſicut etiam habitus ſpeculatiui: quia dat facultatem bene operandi: ſed non uſum: cum non reſpiciat appetitum. Prudentia uero etiam dat uſum. Nam eſt recta ratio agibilium, id eſt, actuum humanorum qui ſunt uſus potentiarum, quorum principia ſunt fines, & ideo ad prudentiam requiritur ꝙ homo ſit bene diſpoſitus circa fines, quod non eſt niſi per uirtutes morales. Ars ergo eſt circa factibilia, & tranſit in exteriorem materiam: & non requirit appetitum rectum. Prudentia uero circa agibilia, & requirit rectitudinẽ appetitus.

1. 2. q. 58. ar. *Virtus moralis ab intellectuali diſtinguitur.* 10

1. 2. Virtus enim moralis a more dicitur ſecundũ
2. eth. c. ulti. quod mos ſignificat quandam inclinationem na-
lec. ulti. s. t. turalem, uel quaſi naturalem ad aliquid agendũ, ſicut dicimus aliqua bruta aliquem morem habere, & homines more leonum irruere in hoſtes: cui ſignificationi propinqua eſt aliqua ſignificatio, qua

tio,qua mos consuetudinem importat,quia consuetudo uertitur in naturam. Inclinatio autē pertinet ad appetitiuam uirtutem cuius est mouere omnes potentias ad agendum, & ideo propriè uirtus moralis dicitur solum illa quæ est in appetitiua potentia,quia ergo appetitus sensitiuus nō obedit rationi absque contradictione,necesse est ad hoc ꝙ homo bene agat,ut non solum ratio sit bene disposita per habitum uirtutis intellectualis sed etiam ꝙ uis appetitiua sit bene disposita per habitum uirtutis moralis: sicut ergo appetitus à ratione distinguitur,ita & uirtus moralis ab intellectuali.

11 *Virtus humana sufficienter diuiditur per moralem & intellectualem.* *1. 2. ubi su. ar. 3.*

Virtus enim humana perficit hominem ad bene operandum,duo autem sunt principia humanorum actuum in homine,scilicet ratio & appetitus, oportet ergo ꝙ omnis uirtus humana sit perfectiua alicuius istorum principiorum, uirtus autem perfectiua intellectus, intellectualis est: ipsius uero appetitus perfectiua,est moralis, ergo,&c.

12 *Virtus intellectualis quæ est prudentia nō potest esse sine morali,nec moralis sine prudentia et intellectu.* *Vbi su. ar. 4 6. eth. c. 16. 17 lec. 10. 11. s. t. 2. eth. c. 5. lec. 7. s. t.*

Quod enim uirtus moralis possit esse sine aliquibus intellectualibus,ut puta sine scientia, sapientia,& arte,clarum est & econuerso: sed sine intellectu & prudentia esse non potest, eo quod uirtus est habitus electiuus, id est faciens

fiones indifferenter ſe habent ad bonum & malum, ſed uirtus ſolum ad bonum ſe habet: non eſt igitur paſſio.

14 *Virtus moralis cum paſſione eſſe poteſt.* 1.2. *Vbi ſu.*

Si enim paſſiones dicuntur inordinatæ affectiones non poſſunt eſſe cum uirtute, ita q́ poſt deliberationem eis conſentiatur, quia hæ deſtruunt ordinem rationis. Si uero dicantur affectiones a ratione regulatæ, ſic poſſunt eſſe in uirtuoſo, unde uirtuoſus rationabiliter, & laudabiliter de ſuis peccatis præſentibus, uel præteritis triſtatur, uel etiam de peccatis aliorum, non poteſt tamen in eo eſſe triſtitia de ijs, quæ uirtuti conueniunt. *ar.2.3. 2. eth. c.5. lec.6.s.t.*

15 *Non omnis uirtus moralis eſt circa paſſiones.* 1.2. *ubi ſu.*

Virtus enim moralis perficit partem appetitiuam ordinando ipſam in bonum rationis: ut ſcilicet ſit ordinata ſecundum rationem. Ratio autem ordinat nō ſolum paſſiones appetitus ſenſitiui, ſed etiam uoluntatem, in qua non ſunt paſſiones, ſed operationes quædam, ergo uirtus moralis eſt etiã circa operationes, & ſic eſt abſque paſſione, ſicut iuſtitia, ſed uirtutes morales, quæ ſunt circa paſſiones, abſq; paſſione eſſe non poſſunt, aliter facerent appetitum omnino ocioſum: ſed non pertinet ad uirtutem, ut ea, quæ ſunt ſubiecta rationi à proprijs actibus uacent, ſed quòd exequantur imperium rationis proprios actus peragendo. *ar.4.5. 1.eth.ubi ſu.*

16 *Neceſſe eſt eſſe plures uirtutes morales.* 1.2.*q.* 60.*per totũ* 2.*eth.c.*7. *lec.*8.9.*s.t.*

Oportet enim alias esse uirtutes circa operationes & alias circa passiones, eo ꝙ bonum in operationibus quibusdam attenditur secundum se: hoc est secundum rationem commensurationis ad alterum, qualitercunq; homo afficiatur ad eas & ideo oportet ꝙ sit aliqua uirtus directiua taliũ operationum secundum seipsas, ut sunt emptio & uenditio, in quibusdam uero operationibus quę sunt interiores passiones bonum attenditur secundum cõmensurationem ad operantem, secũdum ꝙ bene uel male afficitur, & sic oportet alias esse uirtutes harum directiuas, & quia in operationibus exterioribus ordo rationis instituitur secundum conuenientiam rei in seipsa: secundum quam accipitur ratio debiti, quod non est unius rationis in omnibus, eo quòd aliquid aliter debetur æquali, aliter uero superiori, aliter autem inferiori, hinc est quòd secundum hanc diuersitatem sumuntur diuersæ uirtutes, ut religio, pietas, gratia, & sic de aliis, & similiter quia appetibilia secundum motionem rationis diuersimode se habent ad eam, oportet etiam circa passiones & appetitum esse diuersas uirtutes ut circa delectabilia uenereorum & ciborum temperantia, circa timores & audacias fortitudo, et circa iram mansuetudo, & sic de cæteris.

1.2.q.61, per to. *Quatuor sunt uirtutes cardinales.* 17

Virtutes .n. morales solæ dicuntur cardinales; quia sunt perfectæ uirtutes, eo quòd non dant solum facultatem bene operãdi, sed etiam usum, ut dictum

dictum est supra. Cum igitur principium formale uirtutis sit bonum rationis, hoc bonū secundū quod in ipsa rationis consyderatione cōsistit respicitur a prudentia, quæ est aliquo modo uirtus moralis secundum materiam, ut patet ex dictis. Si autem hoc bonum circa operationes ponatur, habebimus iustitiam: Si uero ad reprimendam passionem impellentem hominem ad aliquid cōtrarium rationi, sic habes temperantiam. Si autem ad firmandum in eo, a quo passiones retrahunt. sic habes fortitudinem, unde prudentia est in ratione, iustitiā in uolūtate, temperantia in cōcupiscibili, & fortitudo in irascibili. Et istæ dicūtur principales, tum quia omnes aliæ ad istarum generalem rationem reducuntur, tum quia circa principales materias uersantur. Prudentia enim est præceptiua: bonum autem rationis inuenitur maxime & principaliter in imperio, non autem in consilio & iudicio. Iustitia est circa actiones debitas inter æquales, Temperantia circa delectationes tactus, Fortitudo uero firmat contra pericula mortis, & hæ quatuor dicuntur exemplares secundum quod sunt exemplariter in Deo: in quo prudentia est mens eius. Temperantia conuersio intentionis diuinæ ad seipsum. Fortitudo immutabilitas. Iustitia obseruatio legis æternæ in suis operibus. Purgatoriæ quoque dicuntur in ijs qui ascendunt ad diuinam similitudinem dirigendo cogitationem ad solum Deum per prudentiam & relinquendo usus corporales inquantum natura patitur per temperantiam & nil timendo

propter aſcenſum ad ſuperna per fortitudinem et per iuſtitiam aſſentiendo huic propoſito ſuo. Purgati uero animi dicuntur in perfectiſſimis, uel beatis, qui per prudentiam ſola diuina intuentur, per temperantiam neſciunt delectationes corporales, per fortitudinem ignorant paſſiones, & per iuſtitiam diuinæ menti perpetuo fœdere ſociantur tum imitando. Item ciuiles dicuntur eo modo, quo prius fuerunt diſtinctæ.

1, 2. q. 63, 1, 2. *Virtus humana eſt partim a natura, partim uero ex aſſuetudine operum.* 18

A natura quidem ſecundũ quandam inchoationem, & ſecundũ naturam ſpeciei inquantum in ratione hominis inſunt naturaliter quædã principia naturaliter cognita tã ſcibiliũ q̃ agendorũ, quæ ſunt quædã ſeminaria intellectualiũ uirtutũ et moraliũ, & inquantũ in uoluntate eſt quidam naturalis appetitus boni quod eſt ſecundũ rationem, & ſecundũ naturã indiuidui, inquãtũ ex corporis diſpoſitione, aliqui ſunt diſpoſiti uel melius uel peius ad quaſdã uirtutes, prout .ſ. uires ſenſitiuę actus ſunt quarũdã partiũ corporis, ex quarũ diſpoſitione adiuuantur uel impediũtur huiuſmodi uires in ſuis actibus, & per cõſequens uires rationales quibus hmõi uires ſenſitiuæ deſeruiunt, & ſecundum hoc unus hõ eſt inclinatus ad unã uirtutem, et alius ad aliã. Ex conſuetudine aũt operũ ſunt quo ad cõſummationem, hæc. n. non põt eſſe a natura, quia nõ eſt ſecundũ unũ modũ rationis, ſed diuerſimode ſecundũ diuerſas materias in quibus uirtutes operãtur, natura aũt eſt determinata ad unũ, fit ergo ex actibus inquãtũ

hmõi actus, pcedũt à ratione, sub cuius potestate & regula consistit bonũ, ad qđ est ordinata uirtus humana et uirtus ordinans hominẽ ad bonũ secundum quod modificatur per legem diuinam & non per rationem humanam, non potest causari per actus humanos, quorum principium est ratio, sed causatur solum in nobis per operationem diuinam, quamuis & prima sit ab illo principaliter, ut dictũ est in diffinitione uirtutis &c.

Virtus moralis consistit in medio. 1.2.q.64.ar. 1.2.eth.c.5. lec.7.s.t.

19 Moralis enim uirtus proprie est perfectiua appetitiuæ partis. cuius mensura circa appetibilia est ratio. Bonum autem mensurati est, ut suæ regulæ conformetur. Contingit autem quod non conformetur ei, uel quia super excedit, uel quia deficit. Inter excessum autem & defectum medium est æqualitas, seu conformitas. Virtus ergo moralis, quæ ordinat hominem ad bonum rationis cõsistit in conformitate ad rationem, id est in medio excessus & defectus. At uirtus intellectualis, cõsistit aliter in medio. uersatur enim circa uerum, quod mensuratur à re. Medium ergo eius est per conformitatem ad rem. ut scilicet dicat esse quod est, & non esse quod non est. Excessus autem est si dicitur esse quod non est. Defectus uero si dicit non esse quod est: & hoc est uerum tam in practicis quàm in speculatiuis. uerũ est tamen quod in prudentia ipsa ueritas habet rationem mensurę respectu appetitus. unde idem est medium prudentiæ & uirtutis moralis, quod tamen est prudentiæ, ut regulantis, & uirtutum

moralium, ut earum, quæ regulantur

1.2.ubi s.ar.2. *Medium uirtutis moralis est medium rationis.* 20

2.eth.ubi.su. Medium enim eius est per conformitatem ad rationem rectã. Contingit autem in quibusdam, ut in operationibus exterioribus: quæ sunt ad alterum, rectum rationis institui simpliciter, & secundum se, ut in uenditione & emptione. Et sic medium in huiusmodi non solum est rationis, sed etiam medium rei, Iustitia enim reddit unicuiq; quod dare debet, nec plus, nec minus. In quibusdam uero ut in passionibus interioribus non potest rectum institui secundum medium rei, quia non oẽs eodem modo se habent ad passiones. Rectitudo ergo in istis est per respectũ ad nos, qui afficimur passionibus. unde oportet quod mediũ in his sit medium rationis. aliquid enim est medium in uno quod si alteri æqualiter tribuatur excedit, dicitur autem uirtus inuenire hoc medium, quãdo seruat id, quod oportet, ubi oportet, secundũ quod oportet, quando oportet & huiusmodi.

Virtutes morales omnes sunt sibi concatenatæ.

1.2.q.65.1.6 eth.c. & lec. ult.s.t Cum enim discretio ad prudentiam pertineat 21 & moderãtia ad temperantiã, & rectitudo ad iustitiam, & firmitas animi ad fortitudinẽ, & cum discretio absq; moderãtia, rectitudine, & fortitudine animi esse non possit, nec firmitas sine discretione rectitudine & moderantia, & rectitudo sine illis. Et similiter nec moderantia, patet quod adinuicem sunt connexæ. Item cum proprium uirtutis moralis sit facere electionem rectam, eo

quod

quod est habitus electiuus, ad quam requiritur non solum inclinatio ad finem, sed etiam recta electio eorum, quæ sunt ad finem, quæ fit per prudentiam, sequitur quod sine prudentia nulla sit uirtus moralis, nisi forte imperfecte accipiendo uirtutem pro inclinatione quadã. sicut uidemus multos inclinari ad liberalitatem, qui tamen si habent corruptam æstimationem prudentiæ circa alia uitia nõ habent uirtutem liberalitatis perfecte. Prudentia quoq; non potest esse sine uirtutibus moralibus, cum sit recta ratio agibilium, quę ex finibus agibiliũ procedit tanquã ex principijs ad quos recte se habet per uirtutes morales. Intellectuales autem non sunt concatenatę hoc modo quod una sine altera haberi nõ possit, quia sunt circa materias adinuicem non ordinatas.

22 *Vna uirtus est maior & intensior altera.* 1.2.q.66.ar.1

Causa enim & radix humani boni est ratio, quia ergo causa est potior effectu, oportet qđ prudentia quæ rationem perficit præferatur in bonitate cæteris uirtutibus moralibus. in quibus tãto est una altera maior, quanto magis ad rationẽ accedit. unde iustitia est maior fortitudine, quæ est maior temperãtia, quæ est in cõcupiscibili, quæ minus de ratiõe participat quã irascibilis. si aũt cõparemus uirtutes eiusdẽ speciei adinuicẽ, una erit maior & intensior altera ex parte subiecti secundũ, scilicet quod unus est melius dispositus quàm alius ad uirtutẽ, uel propter maiorẽ assuetudinẽ uel meliorem dispositionem naturæ, uel propter maius iudicium rationis, uel maius donum dei.

Non

2. eth.c.ulti. Non enim oportet quod aliquis attingat mediũ uirtutis in indiuisibili ad hoc quod habeat uirtutem, sed sufficit prope medium esse. Si tamen uirtus secundum se consyderetur, sic non recipit magis & minus, q̃a magnitudo uel paruitas eius attenditur secundum ea, ad quæ se extendit. Quicunque autem habet aliquam uirtutem, ut puta temperantiam, habet ipsam quantum ad omnia ad quæ se temperantia extendit, quod de scientia & arte dici non potest. Non enim quicunque est grammaticus scit omnia, quæ ad grammaticam pertinent.

1.2. V[?]su.ar.2. *Omnes uirtutes morales in eodem sunt aliquo modo æqualiter intensæ.* 28

Si enim respiciamus omnes conditiones uirtutum, quę sunt discretio, rectitudo, firmitas, et moderantia, sic sunt æqualiter intensæ intelligendo semper de æqualitate proportionis, sicut dicimus quod digiti manus æqualiter augentur & diminuuntur, cum tamen non sint æquales. Nam si minus esset intensa prudentia quàm fortitudo, cũ sint connexę, ut dictum est; sequitur quod illa fortitudo habeat minus de prudentia, et sic sit etiam minus intensa, & eadem ratio est de alijs, & ideo hoc modo ęqualiter intendũtur et remittũtur. Et similiter hoc patet secũdũ quod oẽs conectuntur per ipsam prudentiã, quia quantũ ad formale uirtutis, quod est recta ratio, æqualiter intenduntur secundum proportionem, quia existente ratione æqualiter perfecta in uno & eodẽ, oportet quod proportionabiliter secundum rationem rectam

medium

medium constituatur in qualibet materia uirtutum. uerum quantum ad materiale, id est quantũ ad inclinationẽ ad actũ uirtutis, uel ex cõsuetudine uel ex dono dei potest esse unus hõ magis prõptus ad actum unius uirtutis quàm ad actũ alterius.

24 *Virtutes morales præeminent intellectualibus secundum ordinem ad actum, non autem simpliciter.* Vbi su. ar. 3.

1 Simpliciter unumquodque dicitur quando consyderatur secundum propriam rationem speciei: habet autem uirtus speciem ab obiecto, ideo illa est nobilior simpliciter, quę habet nobilius obiectum: hæc autem est intellectualis, quę habet obiectum uniuersale, sed quia appetitus est mouere alias potentias ad actum: uirtus moralis, quantum ad hoc, est nobilior, et ideo ratio uirtutis magis competit moralibus quàm intellectualibus, quia proprie uirtus dicitur ex eo quod est principium actus, cum sit perfectio potentiæ.

25 *Iustitia est præclarissima inter uirtutes morales, sicut sapientia inter intellectuales.* Vbi su. ar. 4. 5. 6. eth. c. 7. lec 6. 5. eth. c. 3. lec. 2. 5. t.

Nam cum sapientia consyderet altissimã causam, quę est deus, per quam de omnibus inferioribus iudicare potest, hinc est quod sapientia habet iudicare de omnibus scientijs, & ordinare omnes, & ideo inter omnes est sicut sol in cœlo, unde prudentia est ministra eius, & præparat ei uiam sicut hostiarius regi, ideo & ipsa præeminet omnibus pure moralibus. Iustitia quoque cũ plus de ratione participet quàm cæteræ uirtutes morales & hominem ordinet non solum ad semetipsum

ipsum, sed etiam ut recte se habeat ad alterum, patet quod inter uirtutes morales est sicut lucifer. Post eam autem est fortitudo, quia inter uirtutes morales, quæ sunt circa passiones, tanto in unaquaq; relucet rationis bonum, quanto circa maiora motus appetitus subditur rationi. Maximum autem in ijs, quæ ad hominem pertinent, est uita à qua omnia alia dependent, & ideo fortitudo, quæ appetitiuum motum subdit rationi in ijs, quæ ad mortem & uitam pertinent, primum locum tenet inter uirtutes, quæ sunt circa passiones; ultimo ergo loco ponimus temperantiam. Quia ergo de uirtutibus in speciali intendimus tractare. Primo de prudentia. Secundo de iustitia. Tertio de fortitudine. Quarto autem de temperantia agendum est. Hæc ergo de eis in communi sufficiant.

Explicit liber quartus de uirtutibus in communi.

Postilla in librum quartum.

QVIA consideratio specialis sequitur cõmunem, ideo post determinationem de habitibus in communi, agit auctor de illis in speciali, agendo de uirtutibus, nam uirtutes sunt quidam habitus, & quia semper à communioribus in unaquaq; materia est incipiendum, agit in hoc libro de uirtutibus communiter, de quibus quinq; per ordinem determinat, scilicet de natura seu substãtia, de subiecto, & de distinctione, de causa, & de proprietatibus earum, primũ horum declarat in 1. conclusione ponendo diffinitionem communem uirtutis. Secundum ostendit in 2. & 3. quo ad potentias animæ in communi: quo ad illas uero in speciali in 4. quo ad intellectum in 5. quo ad appetitum sensitiuum in 6. quo ad uires sensitiuas: & in 7. quo ad uoluntatem. omnes enim hæ potentiæ possunt esse aliquomodo subiectum uirtutis. Circa tertium, primo agit de distinctione uirtutum intellectualiũ, & quo ad illas quæ sunt in intellectu speculatiuo in 8. & quo ad illas quæ sunt in practico in 9. sic enim distinguntur abinuicem. Secundo agit de distinctione uirtutum moralium: circa quas docet quatuor. primum est quomodo se habent ad intellectuales, quo ad distinctionem quidem ab illis in 10. quo ad partitionem uirtutis humanæ unà cum illis in 11, & quo ad inseparabilitatem ab una illarum, scilicet prudentia in 12. Secundum

dum est quomodo se habent ad passiones circa quas sunt pro maiori parte, quo ad distinctionem ab illis in 13. quo ad coniunctionem uel separationem in 14. subdens in 15. non omnes esse circa illas. Tertium est pluralitas earum quae declaratur in 16. Quartum est principalitas inter eas quam ponit in 17. in qua ostendit esse quatuor principales quae cardinales dicuntur. Quartum uero principale, scilicet causam uirtutis determinat in 18. Quo ad quintum autem agit de tribus proprietatibus uirtutum. Primo quidem de medio in quo uirtus consistit in 19. 20. Secundo de connexione earum adinuicem in 21. Tertio de aequalitate & inaequalitate ipsarum, comparando unam alteri in communi in 22. comparando morales inter se in 23. comparãdo morales intellectualibus in 24. & subiungendo quae sit potissima in utrisque in ultima.

Incipit

INCIPIT LIBER QVINTVS DE PRVDENTIA.

1 *Rudentia est recta ratio agibilium.*

PAgibilia enim sunt contingentia, quæ in ipso operante consistunt, & ad exteriorem materiam non egrediuntur, factibilia uero sunt, quæ in exteriori materia consistunt, sicut domus & cultellus. Prudentia ergo est uirtus, quæ habet regulare operationes hominis ad seipsum & ad alterum. Regula autem ordinandorum in finem, a fine sumitur: unde oportet q cognoscat finem, & ordinem eorum, quæ sunt ad finem. Prudens enim dicitur quasi porro uidens, quasi sit perspicax ad uidendum incertorũ casus, & dirigendum ea, quæ sunt dirigenda recte & sine errore. Prudentia ergo dicitur rationabiliter recta ratio agibilium. 1. 2. q. 47. ar. 2. 6. eth. c. 6. lec. 4. 5. t.

2 *Ad prudentiam non solum pertinet cognoscere singularia sed etiam uniuersalia.* 1. 2. ubi su. ar. 3.

Cum enim prudentia sit ratio eorum, quę sunt agenda propter finem, oportet q consistat in ratione practica, undę ad prudentiam non solum pertinet consyderatio rationis, sed applicatio ad opus, necesse est ergo quod prudentia cognoscat principia, quæ applicat ad opus & ipsum opus. Cum igitur illa rationis principia sint uniuersalia, & operationes sint circa singularia oportet 6. eth. c. 8. lec. 6. 7. 5. t.

ꝙ ipſa cognoſcat tam uniuerſalia principia agen dorum ꝙ ipſa particularia agenda.

2. 2. ubi ſu. ar. 5. 6. eth. c. 5. 6. 7. lec. 3. 4. 5. s. t

Prudentia eſt ſpecialis uirtus. 3

Eſt enim uirtus intellectualis aliqualiter & moralis. Differt ergo ab intellectualibus ſecundum materialem diuerſitatem obiectorum, quia ſapientia, ſcientia, & intellectus ſunt circa neceſſaria. Ars autem & prudentia ſunt circa contingentia, ſed ars circa factibilia, & prudentia circa agibilia, à uirtutibus autem moralibus differt, quia ipſa eſt in ratione, ipſe uero in parte appetitiua, eſt ergo uirtus ſpecialis.

2. 2. ubi ſu. ar. 6. 6. eth. c. 12. lec. 10. 5. t.

Ad prudentiam non oportet præſtituere finem moralibus uirtutibus, ſed ſolum diſponere dei ijs, quæ ſunt ad finem. 4

Finis enim uirtutum moralium eſt bonum humanum, bonum autem humanum animæ eſt ſecundum rationem eſſe, ſicut autem in ratione ſpeculatiua ſunt quædam principia naturaliter nota ita etiam in ratione practica, quædam naturaliter cognoſcuntur, hæc autem ſunt fines, quia ita ſe habent fines in practicis, ſicut prima principia in ſpeculatiuis, unde fines in practicis ſunt ſicut principia, & ea quæ ſunt ad finem ſunt ſicut concluſiones. Et ideo ratio naturalis eſt illa, quę præſtituit finem uirtutibus moralibus, quæ dicitur ſynderæſis. Prudentia uero diſponit ea, quæ ſunt ad finem: quia ad eam pertinet applicare uniuerſalia principia agibilium ad particulares concluſiones,

ſiones, quæ ſunt particularia agenda.

5 *Ad prudentiam pertinet inuenire medium in uirtutibus moralibus.* *2. 2. Vbi ſu. ar. 7.*

Nam finis uirtutis moralis eſt conformatio ad rationem rectam. Temperantia enim hoc intendit ne propter concupiſcentias homo diuertat à ratione, hic autem finis præſtitutus eſt homini ſecundum rationem, quæ dictat unicuiq;, ut ſecũdum naturalem rationem operetur, ſed qualiter, & per quæ homo attingat ad medium rationis, cum non eodem modo hæc ſe habeant in omnibus, ſed diuerſimodè in diuerſis, & per rectam diſpoſitionem eorum, quæ ſunt ad finem inueniatur medium, hoc pertinet ad diſpoſitionem prudentiæ. *2. eth. c. 5. lec. 7. s. t.*

6 *Præcipere eſt principalis actus prudentiæ.* *2. 2. ubi ſu. ar. 8. 6. eth. c 11. lec. 9. s. t.*

Ad hoc enim ut agibilia ſecundum rectam rationem diſponantur requiritur primo conſilium, quod eſt inquiſitio. Deinde iudicium de conſiliatis, & hic ſtat ratio ſpeculatiua, ſed practica ratio, quæ ordinatur ad opus procedit ulterius, & ideo ad rectè diſponẽdum agibilia requiritur tertius actus, qui eſt præcipere, qui conſiſtit in applicatione conſiliatorum & iudicatorum ad operandum, quia ergo iſte actus eſt propinquior fini rationis practicæ, inde eſt quòd eſt principalis actus eius, & ſic eſt principalis actus prudentiæ, quæ eſt ratio practica, unde uidemus quòd perfectio artis conſiſtit potius in iudicãdo, quia ille iudicatur artifex perfectior, qui peccat uolẽs, q̃ ille, q peccat nolẽs, q̃ſi ille habeat iudiciũ

artis, quo iste carere uidetur. Perfectio uero prudentiæ est econuerso, imprudentior enim est, qui peccat uolens, q̃ ille, qui peccat nolens.

2. 2. Vbi su. ar. 9. *Solicitudo ad prudentiam pertinet.* 7

Solicitus enim dicitur quasi solers, inquãtum scilicet aliquis ex quadam solertia animi uelox est ad prosequendum ea, quæ sunt agenda, hoc autem pertinet ad prudentiam, cuius præcipuus actus est circa agenda præcipere de præconsiliatis & iudicatis, oportet enim operari uelociter consiliata. Consiliari autem tarde, pertinet ergo solicitudo ad ipsam.

2. 2. Vbi su. ar. 10. 6. eth. c. 9. lec 7. 5. f. *Prudentia se extendit ad bonum commune.* 8

Bonum enim commune melius est q̃ bonum unius. Quia ergo ad prudentiam pertinet consiliari & iudicare, & præcipere circa ea, per quæ peruenitur ad debitum finem, patet q̃ prudentia respicit bonum commune, nam & bonum proprium non potest esse sine communi, quia cũ homo sit pars communitatis, & bonum & dispositio partis accipiatur secũdum habitudinem ad totum, clarum est q̃ homo non potest quærere bonum proprium nisi aliquo modo commune respiciat.

2. 2. Vbi su. ar. 11. 6. eth. Vbi su. *Prudentia, quæ respicit bonum proprium non est eadem cum illa quæ respicit commune.* 9

Species enim habituum diuersificantur secundum diuersam rationem formalem obiecti. Ratio autem formalis omnium, quæ sunt ad finem atten-

attenditur ex parte finis. & ideo habitus diuersificatur ex relatione ad diuersos fines. Diuersi autem fines sunt bonum proprium & bonum commune familiæ ciuitatis & regni, & ideo oportet ponere unam prudentiam simpliciter dictam, quæ bonum proprium respicit: & aliam œconomicam quæ respicit bonum familiæ: aliam uero politicam seu regularem: quæ respicit bonum ciuitatis siue regni.

10 *Non solum ad principes, sed etiam ad subditos prudentia pertinet.* 2. 2. ubi su. ar. 12

Prudentia enim in ratione est, ad quam pertinet regere & gubernare. Subditi autem inquantum subditus & serui inquantum seruus non est regere, & gubernare, sed regi, & gubernari, & ideo eis inquantum huiusmodi non conuenit prudentia: sed eis conuenit ipsa prudentia inquantum sunt rationales, quia quilibet homo inquantum est rationalis participat aliquid de regimine secundum arbitrium rationis, & secundum hoc etiam cuilibet homini conuenit prudentia. Præterea in principibus est prudentia legis positiua, in subditis autem legis executiua. In has duas diuiditur prudentia politica, unde in principibus est prudentia ad modum artis architectonicæ, in subditis uero ad modum artis manualis. 6. eth. c. 9. lec. 7. s. t.

11 *Prudentia perfecta non est in peccatoribus.* 2. 2. ubi su. ar. 13.

Prudentiam perfectam uoco illam, quæ ad bonum finem totius uitæ recte consiliatur, iudicat & præcipit, quæ sola dicitur prudentia sim- 6. eth. c. 12. lec. 10. s. t.

 pliciter

pliciter, imperfecta uerò est illa, quę uel bonum accipit pro fine, quod non est communis finis humanæ uitæ, sed alicuius specialis negocij, sicut quando aliquis adinuenit commodas uias ad nauigandum, uel quæ deficit in principali actu, ut quando quis scit bene consiliari, & iudicare sed non efficaciter præcipit. Est etiam quædam prudentia falsa, qua aliquis bene disponit ea, quæ cōgruunt malo fini, sicut dicimus aliquem esse prudentem latronem. Ex his ergo patet, ꝙ prudentia simpliciter dicta non potest esse in peccatoribus, qui male agunt sed bene prudentia imperfecta, & ipsis solis conuenit prudentia falsa: quæ dicitur prudentia carnis.

2. 2. ubi su. ar. 15. *Prudentia non est nobis a natura.*

Prudentis enim est applicare uniuersalia principia ad particularia agenda. Quantum ergo ad principia uniuersalia est nobis naturalis, quia illa sunt naturaliter nobis nota & magis nobis naturalia ꝙ̃ principia speculabilium. Circa agibilia uero si consyderemus fines, quia fines humanæ uitæ sunt determinati potest esse etiam naturalis quędam inclinatio ad fines aliquarum uirtutum, quidam enim ex naturali dispositione inclinantur ad rectos fines, sed ea, quæ sunt ad fines non sunt determinata a natura, sed diuersificantur secundum diuersitatem personarum, & negociorum, & ideo talis cognitio non potest inesse homini naturaliter, quia natura est ad unum determinata, uerum ex naturali dispositione unus

fit apti-

fit aptior altero ad huiusmodi discernenda. Quia ergo prudentia non est circa fines, sed circa ea, quę sunt ad finem, patet ꝙ prudentia non inest homini à natura.

13 *Prudentia non amittitur directè per obliuionem.* *2.2. ubi su. ar. 16. 6.eth.c.6. lec. 4. 5.t.*

Prudentia enim non in sola cognitione consistit, sed etiam in appetitu, quia principalis actus eius est pręcipere quod est applicare cognitionem habitam ad rectè appetendum & operandum: & ideo directè corrumpitur per passiones, per quas eius actus principaliter tollitur, obliuio tamen potest impedire, inquantum tollit cognitionem, ex qua prouenit præceptum.

14 *Memoria est pars integralis prudentiæ.* *2.2.q.49.ar.1*

Partes integrales prudentiæ, & cuiuscunq; alterius uirtutis sunt illæ, quæ concurrunt ad perfectionem actus illius: cum autem prudentia sit circa contingentia non potest in his homo dirigi per ea quæ sunt ex necessitate uera, sed ut in pluribus: oportet enim principia esse cõclusionibus proportionata. Quod autem sit ut in pluribus uerum, oportet per experimentum cõsyderare. Experimentum autem ex pluribus memorijs fit, & ideo ad prudentiam requiritur plurima memoria ut ex præteritis experimentis sumamus de futuris argumentum.

15 *Intellectus est pars prudentiæ integralis.* *Vbi su. ar. 2.*

Accipimus autem hic intellectũ, prout importat quandã rectã æstimationem alicuius extremi principij, quod accipitur ut per se notum, & hoc

 est ali-

est aliquod principium contingens operabile, quod nihil aliud est nisi aliquis singularis finis, quia ergo omnis processus rationis ab aliquibus primis procedit, apparet ꝙ totus processus rationis ab aliquo intellectu procedat, hoc est ab aliqua recta æstimatione alicuius finis particularis, quę accipitur ut minor propositio in syllogismo, & sic intellectus requiritur ad rectum processum prudentiæ.

Vbi su. ar. 3. *Docibilitas est pars prudentiæ integralis.* 16

6. eth. c. 11. lec. 9. s. t. In particularibus enim operabilibus sunt quasi infinitæ diuersitates, quæ non possunt ab uno homine sufficienter consyderari, nec in modico tempore, & ideo maxime indiget homo à senibus expertis erudiri, & cum reuerentia frequenter applicare animum documentis eorum, ut non negligat propter ignauiam, non contemnat propter superbiam, & hoc pertinet ad docibilitatem, ergo hæc ad prudentiam requiritur.

2. 2. ubi su. ar. 4. *Solertia seu eustochia est pars integralis prudentiæ.* 17

6. eth. c. 11. lec. 8. s. t. Eustochia enim est bene cōiecturatiua de quibuscunq;, Solertia est facilis & prompta coniectura circa inuentionem medij. Nunc autem ambas pro eodem accipimus: quia ergo recta æstimatio aliquando acquiritur discendo ab alio, & aliquando per se inueniendo, sicut docibilitas ad prudentiam pertinet, ut homo per eam bene se habeat in acquirendo rectā ęstimationem ab alio, ita & eustochia, ut homo bene se habeat in acquirendo æstimationem rectam per seipsum.

Ratio

18 *Ratio est pars integralis prudentiæ.* 2.2.ubi su.ar.

Cum enim opus prudentiæ sit bene consiliari, & consilium sit inquisitio ex quibusdam ad alia procedens, quæ est opus rationis, hinc est quod ad prudentiam necessarium est ut homo sit bene ratiocinatiuus, ideo ratio inter partes prudentiæ connumeratur, & accipitur hic ratio non pro potentia, sed pro usu eius. 5.6.eth.c.6. lec.4.5.t

19 *Prouidentia est pars integralis prudentiæ.* 2.2.ubi s.ar.6.

Prouidentia enim importat respectum quendam alicuius distantis ad quod, ea quæ in præsenti occurrunt, ordinata sunt. Prudentia autem est circa ea, quæ sunt ad finem, quæ sunt contingentia. Cum igitur præterita in quandam necessitatem transierint, & præsentia in quantum huiusmodi, quandam necessitatem habeant, consequens est, ut contingentia futura secundum quod sunt per hominem in finem humanæ uitæ ordinabilia, pertineant ad prudentiam. Sed utrunq; eorum importatur nomine prouidentię, unde & nomen ipsius prudentiæ sumitur à prouidentia tam quàm à principaliori parte ad quam cæteræ ordinantur.

20 *Circunspectio est pars integralis prudentiæ.* 2.2.ubi s.ar.7.

Contingit enim aliquando quod aliquid secundum se consideratum sit bonum, & conueniens fini, quod tamen ex aliquibus concurrentibus redditur uel malum, uel non opportunum, & ideo necessaria est circunspectio, ut scilicet ea, quæ ordinantur ad finem comparentur ijs, quæ circun

circumstant, ut appareat si sunt bona & opportuna. est igitur pars prudentiæ.

2.2.ubi.sup. arti.8. *Cautio est pars prudentiæ integralis.* 21

Nam propter multiformitatem operabilium, mala pleraque miscentur bonis, & ea impediunt & aliquando habent speciem boni, & ideo necessaria est cautio ad uitanda mala, ea scilicet quæ ut in pluribus accidunt: nam illa, quæ ut in paucioribus, et casualiter accidunt, ratione comprenhendi non possunt, & hæc igitur ad prudentiam pertinet.

2.2.q.50.ar. 1. 6.eth.c.9 lec.7.3.poli lec.3.s.t. *Regnatiua est pars subiectiua prudentiæ.* 22

Ad prudentiam enim pertinet regere & præcipere, & ideo ubi est specialis ratio regiminis & præcæpti in humanis actibus, ibi inuenitur specialis ratio prudentiæ. In regno autem inuenitur specialis & perfecta ratio regiminis, quia tanto regimen est perfectius, quanto est uniuersalius et ad plura se extendens & alteriorem finem attingens, & ideo regi prudentia competit secundum specialem & perfectissimam sui rationem. Regnatiua autem est species prudentiæ, quia ad regem pertinet dirigere, non autem ponitur species iustitiæ, quia iustitia est executiua, quamuis prudentia et iustitia sint maxime regi propriæ, sub regnatiua tamen comprænhenduntur alia regimina iusta, sed denominatur a regno tanquam a nobiliori regimine, sicut etiam denominatur legis positiua a principali actu regis seu principis.

Politica

23 *Politica est pars subiectiua prudentiæ.* 2.2.ubi.sup. arti.2 6.eth. ubi.s.

Quia enim subditi ita a dominis reguntur, ut etiam ipsi seipsos agant & regant per liberum arbitrium, requiritur in eis quædam rectitudo regiminis, per quam seipsos regant in obediēdo principatibus: & ad hoc pertinet species prudentiæ, quæ dicitur politica, & differt a regnatiua, quia hæc respicit agenda sub ratione magis uniuersali, quam ipsa & a prudētia communiter dicta, quia hæc regit hominē in ordine ad propriū bonum. politica autem in ordine ad bonum commune.

24 *Oeconomica est species prudentiæ.* 2.2.ubi s.ar. 3.6.eth.ubi s.

Ratio enim obiecti diuersificata secundum uniuersale & particulare uel secundum totum & partem diuersificat artes & uirtutes, secūdum quam diuersitatem una est principalis respectu alterius. Cum ergo domus sit media inter unam singularem personam & ciuitatem uel regnum, oportet quod prudentia œconomica, quæ est regnatiua domus sit species distincta a speciebus prudentiæ supradictis.

25 *Militaris est species prudentiæ.* 2.2 ubi s.ar.4

Ea enim quæ sunt secundum rationem oportet esse conformia ijs, quæ aguntur secundum naturam, quæ sunt a ratione diuina instituta. Natura autem non solum intendit ad regendum unā quamque rem in seipsa, sed etiam ad resistendum impugnationibus, unde animalibus dedit cōcupiscibilē & irascibilē, & ideo ciuitatib. & regnis.

non

non solum oportet esse prudentiam politicam, per quam disponantur conuenienter ea, quæ ad bonum commune ordinantur: sed etiam militarem, per quam hostium insultus repellantur: & quàmuis dicatur aliquando ars, secundum quod habet quasdam regulas recte utendi exterioribus rebus ut puta armis, tamen secundum quod ordinatur ad defendendum bonum commune est pars subiectiua prudentiæ.

2.2.q.51.ar.1. *Eubolia est uirtus adiuncta prudentiæ.* 26

2.6.eth.c.10. lec.8.s.t. Eubolia enim importat bonitatem & rectitudinem consilij. Quia ergo de ratione uirtutis humanæ est quod faciat actum hominis bonū: ideo eubolia est uirtus humana, & quia bene consiliari, & bene iudicare, & bene præcipere sunt diuersi actus, diuersam habentes rationem bonitatis, & bene præcipere ad prudentiam pertinet, ad quod ordinatur consiliari; hinc est quod eubolia est ordinata ad prudentiam tanquam ad principaliorem uirtutem unde dicitur pars potentialis eius. id est uirtus secundaria illi adiuncta.

2.2.ubi s.ar. *Synesis est uirtus annexa prudentiæ.* 27

3.6.eth.c.11 lec.6.s.t. Synesis importat iudicium rectum circa particularia operabilia, secundū quam dicuntur homines sensati, & quia bonitas iudicij & consilij non reducuntur in eandem causam, ideo oportet quòd prudentiæ adiungatur alia uirtus præter eubolíam, quæ sit bene iudicatiua. Nam quidam bene consiliantur, qui non recte iudicant, sicut etiā in speculatiuis quidā bene inquirunt, prom-

pti

pti ad discurrendum ex dispositione imaginatiuæ uirtutis, qui tamen non bene iudicant propter defectum intellectus, & ex mala dispositione sensus communis. Ad rectum enim iudicium requiritur recta dispositio uirtutis apprehensiuæ, sicut etiam requiritur dispositio speculi ad hoc quod in eo recte imprimantur formę, synesis igitur prudentiæ adiungitur.

γνώμη est uirtus à synesi distincta, quæ etiam annectitur prudentiæ. 2.2.ubi s. ar. 4. 6. eth. c. 12. lec. 9. s. t.

28 In agendis enim contingit aliquando quod oportet facere prter communes regulas, ut quando aliquis est impugnator ciuitatis, ei depositum non est reddendum, & de huiusmodi oportet secundum aliqua principia altiora iudicare, quàm sint regulæ communes, secundum quas iudicat synesis. & sic secundum illa altiora principia exigitur altior uirtus iudicatiua, quæ est γνώμη, quæ importat quandam perspicacitatē iudicij. Cum igitur habitus cognoscitiui distinguātur secundū altiora & cōmuniora principia, oportet qđ γνώμη à synesi distinguatur & sic γνώμη ad prudentiam pertinet, ad quam pertinet omnia agenda regulare per rectum consilium & rectum iudicium, & hæc sufficiant de prudentia.

Explicit liber quintus de prudentia.

Postilla in librum quintum.

OMissis uirtutibus intellectualib. quę non spectant ad philosophum moralem, nisi quantum dictum est in libro superiori, intendit author tractare de moralibus in speciali incipiens a prudentia, quę est partim intellectualis, inquantum est in intellectu, & partim moralis inquantum est circa agibilia. Est enim regulatiua & directiua aliarum moralium. Circa quam primo agit de illa secundum se: secundo de partibus integralibus eius. tertio de partibus subiectiuis. quarto & ultimo de partibus potentialibus. Quo ad ipsam secundum se, primo diffinitur in cōclusione prima, ut eius natura cognoscatur: & quia ex illa diffinitione habetur, quod est uirtus congnitiua, declaratur in secunda: quorum est cognitiua & qualis uirtus est in tertia. secundo declaratur eius officium, quod est duplex, scilicet disponere de ijs quę sunt ad finem, quod declaratur in quarta, & inuenire medium in uirtutibus moralibus, quod declaratur in quinta. tertio agit de actu eius in sexta: nam per actum congnoscitur habitus, & quia propter talem actum sibi conuenit solicitudo: id declaratur in septima. Quoniam uero omnis uirtus respicit aliquod bonum. quarto declarat in octaua. quod bonum respicit prudentia, scilicet proprium & commune: & an sit eadem prudentia quæ respicit utrunque in nona. quinto ostēdit in quibus est prudentia in decima: & in quibus non est in undecima. sexto declarat causam genera-

generatiõis eius in duodecima. inquirendo an insit a natura, & causam corruptionis in tertiadecima: per hęc enim omnia innotescit eius natura nobis. Quo ad partes integrales declarãtur octo ad illam pertinentes siue ad actum eius. prima deseruit ei quo ad experimẽtum, quod est necessarium prudentiæ scilicet memoria, de qua in quartadecima. secunda tãquam principium discursus eius scilicet intellectus, de quo in quintadecima. tertia quo ad discendum ab alijs pitiorib. scilicet docibilitas, de qua in sextadecima. quarta quo ad inueniendum per seipsum, scilicet solertia de qua in decimaseptima. quinta quo ad bene discurrendũ scilicet ratio, de qua in decimaoctaua. sexta quo ad præuisionem futurorum, scilicet prouidentia, de qua in decima nona. septima quo ad circunstãtia scilicet circunspectio, de qua in uigesimaoctaua quo ad uitanda mala, scilicet cautio, de qua in uigesimaprima. Quo ad partes uero subiectiuas, ultra prudentiã qua quis regit seipsum de qua hactenus dictum est agit de quatuor speciebus eius quæ distinguntur secundum diuersam rationem regiminis: & quia regnatiua est præcipua inter illas prius agit de illa in uigesimasecunda. secundo loco de politica quæ sequitur regnatiuam in uigesimatertia. tertio de œconomica, quæ dirigit familiam sicut politica ciuitatem in uigesimaquarta. ultimo de militari quę sequitur alias in 25. Quo ad partes demũ potẽtiales quę sunt uirtutes illi annexę, tãq̃ secũdarie principali agit de trib.

scilicet

ſcilicet de eubolia in uigeſimaſexta: propter actũ conſilij requiſiti ad prudentiam. De ſyneſi in uigeſimaſeptima: propter actum iudicij quando oportet iudicare ſecundũ cõmunes regulas, & de γνώμη, propter eundem actum, quando oportet iudicare præter regulas communes in aliquo caſu in uigeſimaoctaua: ſic autem ordinantur ut poſita ſunt.

INCIPIT LIBER SEXTVS DE IVSTITIA.

2.2.q.57.ar.1 5.eth.c.1.lec. 1.5.t. *IVs eſt obiectum ad quod terminatur actus iuſtitiæ.* 1

Proprium enim iuſtitiæ inter alias uirtutes eſt, ut ordinet hominem in ijs, quæ ſunt ad alterum. importat enim æqualitatem quandam, ut ipſum nomen ſonat. uulgo enim quæ adæquantur, iuſtari dicuntur. Rectum igitur in opere iuſtitiæ non eſt per comparationem agentem, ſed ad alium, quia ſcilicet reſpondet alteri ſecundum aliquam æqualitatẽ, utputa recompenſatio mercedis pro ſeruitio, ſic ergo iuſtum dicitur aliquid, quaſi habens rectitudinẽ iuſtitiæ ad quod actus iuſtitiæ terminatur: & hoc uocatur ius, quod eſt obiectum iuſtitiæ.

2.2.ubi ſu.ar. *Ius naturale eſt aliud à poſitiuo.* 2

1.5.eth.c.11. Cum enim ius ſit aliquod opus adæquatum

lec.12.5.t. alteri ſecundum aliquem æqualitatis modum, hoc

hoc esse adæquatum si est ex natura rei, ut cum aliquis tantum dat, ut tantũndem recipiat, uocatur ius naturale: si ex condito siue ex communi placito, quia. s. aliquis reputat se contentum, si tãtum accipiat: aut est ex condito priuato, & hoc est pactum: aut ex publico, quia. s. populus, uel princeps ordinat, ut hoc sit huic commensuratum, dicitur ius positiuum, quod habet locum in ijs, quę non habent aliquam repugnantiam ad naturalem iustitiam, unde a principio nihil differt quod sit sic uel aliter, si autem ius naturale aliquando mutatur, ut cum non redditur depositũ furioso, non est mirandum, quia natura hominis est mutabilis, & ideo quod est naturale homini aliquando potest deficere, si enim natura hominis esset recta, semper depositum esset reddendũ poscenti.

3 *Ius gentium differt à iure naturali.*

Quod enim aliquid ex sua natura sit alteri adæquatum potest esse uel secundũ sui absolutã consyderationem, sicut masculus ex sua ratione adæquatur fœminæ, ut ex ea generet, & parens ad filium, ut eum nutriat: uel secundum aliquid, quod ex ipso consequitur: ut proprietas possessionum, si enim consyderetur iste ager absolutè non habet unde magis sit istius, uel illius, quam alterius: sed si consyderetur quantum ad opportunitatem colendi, & ad pacificum usum agri: sic habet quandam cõmensuratiõem, ut sit unius, et nõ alterius. Primo ergo modo ius naturale est etiam cõe brutis: & ab isto recedit ius gentium: quod solũ hominibus est cõe, quia cõparare unum alteri secũ- 2. 2. Vbi su. ar. 3.

dum illud, quod ex ipſo ſequitur eſt proprium rationis, unde ius gentium dicitur ius naturale homini, quia ratio naturalis hoc dictat, dicitur autem iuſgentium, quia id apud omnes gentes cuſtoditur tanq̃ omnibus gentibus naturale.

2. 2. Vbi ſu. ar. 4. *A iure politico diſtinguitur ius paternum, & dominatiuum, & œconomicum.* 4

5. eth. c. 10. lec 11. S. t. Ius enim importat cõmenſurationem ad alterũ. Alterũ uero dicitur dupliciter, uno modo ſimpliciter. ſ. quod eſt omnino diſtinctum, ut duo homines, quorum unus nõ eſt ſub altero, ſed ambo ſub principe: & inter hos eſt iuſtum ſimpliciter. Alio modo dicitur alterũ ſecundũ aliquid et non ſimpliciter: quando eſt aliquid eius a quo eſt alterũ, ut filius reſpectu patris, qui eſt quaſi pars eius, et ſeruus reſpectu domini, qui eſt inſtrumentũ eius: & ſic inter hos non eſt ſimpliciter iuſtum, qd' dicitur iuſtum politicum, ſed quoddam iuſtum, ſcilicet paternũ uel dominatiuũ, quicquid enim eſt filij uel ſerui eſt patris uel domini. Ad uxorem uero eſt iuſtum ſecundum potiorem rationem iuſti quàm ad patrem, uel filium, quia quamuis ſit aliquid uiri, aſſumitur tamen in quandam ſocialẽ uitam ad domeſticam ſocietatem, unde inter uirum & uxorem eſt ius œconomicum: quod etiã non eſt ſimpliciter iuſtum ſeu politicum.

1. 2. q. 58. ar. 1. *Iuſtitia eſt habitus, ſecundum quem aliquis conſtanti & perpetua uoluntate ius ſuum unicuique tribuit.* 5

Cum enim uirtus ſit habitus, qui eſt principiũ boni actus neceſſe eſt quod uirtus diffiniatur per actũ bonũ circa propriã materiam uirtutis. Ad

hoc

hoc autem quod actus sit uirtuosus circa quamcunque materiam, requiritur primo q, qui operatur operetur sciens: secundo quod sit eligens, & propter debitū finem: Tertio uero quod immobiliter operetur. Cum igitur dicitur ius suum unicuiq; tribuit, tangitur obiectum iustitiæ et actus, cum autem dicitur uoluntate, tangitur conditio boni actus, scilicet prima & secunda. Tertia uero cum dicitur constanti & perpetua, ut scilicet non ad horam, sed habeat uoluntatem perpetuo operandi. Cum enim dicitur perpetua tangitur propositum uoluntatis. Cum autem dicitur constanti tangitur perseuerantia in proposito. Cum autem in diffinitione iuristorum dicitur, iustitia est constans & perpetua uoluntas ius suum unicuique tribuens, ponitur ibi actus pro habitu, ut intelligatur est uoluntas, id est habitus & est similis, & quasi eadem cum illa quam ponit Philosophus dicens iustitia est habitus, secundum quem aliquis dicitur operatiuus secundum electionem iusti inter se & alterum, siue inter alterum & alterum. 5 eth. c. 1. lec. 1. Item c. 9. lec. 10. s. t.

6 *Iustitia est semper ad alterum.* 1. 2. ubi su. ar. 2.

Iustitia enim æqualitatem importat, quæ est ad alterum, quia nihil est sibijpsi æquale, & cum ad ipsam pertinet actus humanos rectificare & actiones sint suppositorū, proprie iustitia requirit diuersitatem suppositorum, & ideo non est proprie iustitia unius hominis ad seipsum nisi secundum similitudinem, secundum quod ratio imperat irascibili, & concupiscibili, & partibus hominis. 5. eth. ubi su. Item c. ulti. lec. ul. s. t.

1.2. Vbi su. ar. 4. *Iustitia est in uoluntate sicut in subiecto.* 7

Illa potentia dicitur subiectum uirtutis, ad cuius potentiæ actum rectificandum uirtus ordinatur. Iustitia autem non ordinatur ad rectificandum aliquem actum cognoscitiuum. Iusti enim dicimur, non quia cognoscimus recte, sed quia recte operamur, principium autem proximum actus est uirtus appetitiua, quæ sequitur apprehensiuam, quia autem sensus non apprehendit proportionem unius ad alterum, ideo iustitia nō est in appetitu sensitiuo, sed in uoluntate, quæ sequitur rationem, unde per actum uoluntatis diffinitur à philosopho: ut supradictum est.

5. eth. c. 1. lec. 1. 5..t. *Iustitia & si ab alijs uirtutibus distinguatur, est tamē uirtus generalis.* 8

1.2. ubi su. ar. 3. 5.6.5. eth. c. 3. lec. 2. 5. t. Cum enim iustitia rectificet actus humanos secundū regulam rationis: & uirtutis proprium sit reddere bonum habentem illam & opus similiter eius bonum: oportet iustitiam esse uirtutem. Quia autem rectificando actus humanos unum hominem ad alterum ordinat: & quilibet homo particularis est pars cōmunitatis, & quodlibet bonum partis est ordinabile ad totum: iustitia ordinat hominem ad bonum commune: hinc est, quod iustitia dicitur uirtus generalis, quia actus omnium uirtutum possunt ad eā pertinere inquantū sunt ordinabiles ad bonum cōmune. Et quia lex ordinat ad bonū cōmune: ideo hæc iustitia dicitur iustitia legalis, quia per eam homo cōcordat legi: est ergo generalis non

per prædicationem: ſed per cauſalitatem, unde ſecundum ſuam eſſentiam & ſuũ obiectum, eſt ſpecialis uirtus: & eſt principaliter in principe: ſecũdario uero in ſubditis, prout tamen omnis uirtus dicitur iuſtitia in quantum a iuſtitia prædicta ordinatur ad bonum cõmune, ſic iuſtitia eſt idem in eſſentia cum omni uirtute, differens tamen ratione & ſic etiam dicitur omnis uirtus.

9 *Præter iuſtitiam generalem eſt aliqua particularis.* 2.2.ubi ſu.

Iuſtitia enim generalis ſufficienter quidem ordinat hominem in iis, quæ ſunt ad alterum quantum ad commune bonum immediate, mediate uero quantum ad bonũ unius ſingularis perſonę. ar.7.8.9.10 5. eth.c.4. lec. 3.5. t.

11 Sicut ergo preter iuſtitiam generalem oportet eſſe alias uirtutes quæ immediate hominem ordinant ad bona particularia in ſeipſo, ut fortitudinẽ et temperantiam ita etiam oportet eſſe iuſtitiam particularem, quę immediate ordinat hominem ad bonũ alterius ſingularis perſonę, & hęc nõ reſpicit totam materiam uirtutis moralis ſcilicet ſolum exteriores actiones & res ſecundũ quandam ſpecialem rationem prout. ſ. ſecundũ eas unus hõ alteri coordinatur, unde non eſt circa paſſiones ſecundũ quas rectificatur homo in ſeipſo et non ad alterũ immediate: Hinc eſt etiam ꝙ mediũ iuſtitię eſt mediũ rei, & non rationis ut in aliis uirtutibus moralibus, quia conſiſtit in quadã æqualitate proportionis rei exterioris ad perſonam exteriorem quam reſpicit iuſtitia ut dictum eſt. 5. eth. c. 1. lec 1.5. t.

Iudicium eſt actus iuſtitiæ.

10 Iudicium. n. nominat proprie actum iudicis in 2. 2. q.60. 1.

quantum est iudex, iudex autem dicitur quasi ius dicens, quod est obiectum iustitiæ. Et ideo iudicium secundum primam nominis impositionem importat determinationem iusti, quę procedit ex uirtute iustitiæ, sicut ab ea, quæ inclinat, quia .n. ad rectam determinationem requiritur uirtus proferens iudicium & dispositio iudicis ex qua inclinatur, uel habet idoneitatem ad iudicandũ: ideo iudicium est actus iustitiæ, sicut recte inclinantis ad iudicandum. Et prudentię sicut preferentis, unde ire ad iudicem est ire ad iustitiam animatam, ut dicit philosophus, quia scilicet eius anima debet totaliter possideri a iustitia.

2.2. q. 61. per to. 5. eth. c. 5. lec. 4. 5. t.

Duæ sunt spēs iustitiæ uidelicet distributiua & commutatiua. 11

Iustitia .n. particularis ordinatur ad aliquã personam priuatum, quæ cōparatur ad cōmunitatē sicut pars ad totũ, ordinem ergo unius priuatę personæ ad alterã dirigit cōmutatiua iustitia. Ordinē uero totius ad partes, hoc est cōis ad personas singulares dirigit distributiua iustitia: inquãtum id quod est totius est debitũ parti. Quod quidem tãto maius esse debet quãto magis pars maiorem principalitatē habet in toto. In distributiua ergo iustitia non accipitur mediũ secũdũ æqualitatem rei ad rem, sed secundũ proportionem rerũ ad personas: uidelicet quod sicut una persona excedit aliam, ita & res data uni excedit rem datã alteri, ideo mediũ eius dicitur esse secũdũ geometricam proportionem. In cōmutatione uero redditur aliqd alicui singulari personę propter rem eius, quę acc-

5. eth. a. c. 5. usq; ad 10. siue a lec. 4. usq; ad 11. 5. t.

cepta est,& ideo oportet rem rei adæquare, unde in cōmutatiua iustitia attenditur medium secundum arithmeticam proportionē, quæ attenditur secundū parem excessum, non tamen omnino debet seruari æqualitas in operationibus, ut scilicet passio recōpensata sit æqualis actioni secundum spēm, quia iustum simpliciter non est contra passum. Nam si quis percutit principem pugno debet multo grauius ipse puniri. Et ideo etiam in cō mutationibus adæquare oportet actionem passioni secundum quandam cōmensurationem proportionatam, ut contra passum intelligatur esse commutatiuum iustum. 5. eth. c. 8. lec. 8. 9. s. t.

12 *Religio est uirtus annexa iustitiæ.* 2. 2. 81. ar. 1. 2.

Religio proprie importat ordinem ad Deum secundum quam homo se & suos actus ordinat ad Deum tanquam ad primum principium, & ultimum finem, unde dicitur a reeligendo, quia ea, quæ pertinent ad diuinum cultum, sunt frequenter reeligēda, & mente retractanda, uel quia Deum reeligere debemus, quem amiseramus, uel dicitur a religando, quia Deo firmiter, & principaliter religari debemus, quia ergo bonū facit habentē & opus eius reddit bonū, eo quod facit reddere debitum Deo cōuenienter & sicut decet: ideo religio est uirtus pertinens ad iustitiā, sed qa ratio iustitię consistit in hoc quod alteri reddatur qđ ei debetur secundū æqualitatem: & homo nō pōt reddere Deo debitū secūdū ęqualitatē: ideo re

ligio non est spēs iustitiæ sed uirtus ei annexa, uirtutes enim alicui principali uirtuti annexæ in aliquo communicant cum ea, & in aliquo deficiũt à perfecta ratione ipsius.

Vbi su. ar. 3. 4. *Religio est specialis uirtus ab alijs uirtutibꝰ distincta* 13

Oportet enim religionem esse unam uirtutem cum respiciat unam rationem formalem obiecti. id est Deum, cui exhibet reuerentiam & subiectionem, inquantum est principiũ creationis & gubernationis rerum, quia ergo tali principio cõpetit singularis excellentia, cum omnia in infinitum tradscendat, ideo etiam ei debetur singularis reuerentia & seruitus, per quam ratio religionis specificatur, ita ut habeat rationem distinctã ab alijs uirtutibus, ad quam solum illa pertinent, quæ secundum rationem suæ speciei pertinent ad reuerentiam dei: cætera uero possunt ad ipsam ptrtinere tanq̃ ad imperantem, ut sunt actus aliarũ uirtutum, quas in honorem dei ordinat, et hoc modo esset uirtus generalis, sicut imperans.

Vbi su. ar. 6. *Religio alijs uirtutibus moralibus est præferenda.* 14

Quanto enim ea, quæ ad finem ordinãtur sunt fini propinquiora, tanto sunt meliora. Deus autem finis est omnium uirtutum, quia felicitas dicitur uirtutis præmium, quæ quidem est dei contemplatio. Religio aũt propinquius q̃ cęterę uirtutes accedit ad deum, inquantum operatur ea, quæ directe & immediate ordinantur in honorẽ diuinum, ideo pręeminet alijs uirtutibus moralibus.

Religio

15 *Religio non differt a sanctitate nisi secundum ratio- nem.* *ubi s.ar.8*

Sanctitas enim importat mundiciam: unde græce dicitur ἄγιος quasi sine terra. importat etiam firmitatem; unde dicimus aliquid esse sanctum, quia est lege firmatum, uel etiam secũdum latinos põt dici sanctus, quasi sanguine tinctus, id est purificatus, quia antiquitus illi qui uolebãt purificari sanguine hostiæ intingebantur, & sic sanctitas attribuitur ijs, quæ diuino cultui applicatur, siue sint animata, siue inanimata ad quam applicatiõem requirit mundicia, maxime in hominibus scdm mentem: ut. s. mens relictis inferioribus ad superiora se transferat, & ibi firmetur tãquam in ultimo fine, cui oportet immobiliter inhærere: & sic sanctitas dicitur per quam mens hominis seipsam & suos actus applicat deo, unde patet quod non differt a religione secũdum essentiam, sed solum secundum ratiõem: quia proprie religio exhibet deo famulatum in ijs, quæ pertinent specialiter ad cultum diuinum: ut sunt sacrificia & oblationes: sed sanctitas dicitur etiam secundum quod aliarum uirtutum opera refert in deum, uel secundum quod homo se disponit per bona opera ad cultum diuinum, & hoc modo est uirtus generalis sicut etiam diximus de religiõe, sed secundum quod sanctitas est specialis uirtus non differt a relione, quæ est uirtus specialis secundum essentiam.

16 *Religio habet actus exteriores, & interiores.* *ubi s.ar.7*

Cum enim exhibeat deo reuerentiam & subie

ctiõem

ctionem, hoc nō facit propter utilitatem dei, qui talibus omnino non indiget, sed hoc facit homo religiosus propter suā perfectionē: quia perfectio inferioris est propter hoc, quod suo superiori subijcitur, ideo hoc facit homo, ut deo mente coniungatur, sed quia homo per sensibilia ad spiritualia manu ducitur, necesse est quod in diuino cultu utatur aliquibus corporalibus, quasi quibusdam signis, ad hoc ut eius mēs excitetur ad spirituales actus, quibus deo coniungimur, & ideo religio habet interiores actus, quasi principales, et per se ad religionem pertinentes, ut sunt deuotio & oratio: & exteriores quasi secundarios, et ad interiores ordinatos, ut sunt adoratio, sacrificare, & huiusmodi, de quibus omnibus deo uolente in theologia tractabimus. ibi enim poterimus melius extendere materiam, quam in hoc loco in quo nolo ea, quę pertinēt ad fidem naturalibus miscere. Non enim possumus sufficienter secūdum ueritatem de talibus tractare nisi secundum fidei catholicæ ueritatem, & tunc secundum uerum cultum procedemus.

2.2.q.101. ar.1.2 *Pietas est uirtus annexa iustitiæ.* 17

Pietas enim est uirtus, per quam cultum patrię & parentibus exibemus, per quod homo redditur bonus, & opus eius bonum. Quia autē æquale non possumus parentibus reddere, & patriæ, quamuis simus debitores eis: ideo pietas est uirtus annexa, & non species iustitiæ. Nam deo qui est primum principium essendi et gubernationis

debetur

debetur excellētissimus cultus, secūdario uero nostri esse et gubernationis principiū sunt parētes et patria, cū parentibus omnes consanguineos comprehendendo, & cum patria omnes conciues & amicos. Cum ergo homo sit debitor parentibus & patriæ, debet eis cultum post deum exhibere. 6. ethi. c. 9. lec. 12. s. t
Parentibus autē, cum sint superiores, debetur reuerentia & obsequium, per accidens autem debetur eis subuentio a filio si sunt indigentes, quia patri conuenit per se subuenire filio, cum sit principium eius, unde debet ei subuenire in tota uita.

18 *Pietas est specialis uirtus ab alijs distincta.* 2. 2 ubi s. ar. 3

Respicit enim specialem rationem obiecti, id est specialem rationem debiti alicuius personæ: hoc est cultum rationalis principij producētis in esse, & gubernantis, quod est ipsi parentes & patria, & hic cultus est quędam protestatio charitatis, sicut religio est protestatio fidei & spei, & quamuis deus sit principiū essendi, tamen ei non debetur cultus pietatis, sed alius excellentior cultus, qui pertinet ad religionem, quæ etiam aliquādo per quandam abundantiam pietas dicitur, est enim excellentiori modo principium essendi quā pater & patria.

19 *Obseruantia est specialis uirtus annexa iustitiæ.* 2. 2. q. 102. per to.

Necesse est enim ut per quendam ordinatum descensum distinguantur uirtutes, sicut excellentia personarum quibus est aliquid reddendum, et quia sicut pater est principiū generationis & gubernationis

bernationis & disciplinæ, & omnium, quæ pertinent ad perfectionem uitæ humanæ, ita persona in dignitate cõstituta est principiū gubernationis respectu aliquarum rerum, ut princeps in ciuitate & dux in exercitu, & magister in disciplinis, & sic de alijs: oportet quod sicut parentibus exibemus cultum pietatis, ita & huiusmodi hominibus exhibemus aliquem cultum infra pietatem cum aliq̃ modo sint patres nostri, quod quidem fit per obseruãtiam, unde eis ratione excellentiæ debetur reuerentia, & ratione officij gubernationis debetur cultus, qui in quodam obsequio consistit obediendo eorum imperio, & uicē pro beneficijs pro suo modo rependendo. In cultu enim nonsolum intelligitur honor, sed etiam quicquid pertinet ad decentes actus, quibus homo ad alium ordinatur. Reuerentia autem quæ fit ratione excellentiæ illis qui habent scientiam uel uirtutem et non habent officium gubernandi etiam reducitur ad uirtutem obseruantiæ. Quia autem ęquale non potest ab hominibus reddi talibus uirtuosis & existentibus in sublimitate, sicut nec deo, nec parentibus: ideo obseruantia est annexa iustitiæ, & non est species eius: habet autem duas species, scilicet douliã, quã debitam seruitutem exhibet homini dominanti, & obedientiam, de qua habetur in sequenti conclusione.

2. 2. q. 104. ar. 2. *Obedientia est specialis uirtus ad iustitiam pertinens* 20

Ad omnia enim opera bona, quæ specialem rationem laudis habent specialis uirtus determinatur, obedire autem superiori debitum est secundū

diuinum

diuinum ordinem rebus inditum, quo uidemus inferiora subdi superioribus secundum motionem: unde obedientia est specialis uirtus, quæ respicit ad motionem superiorum, unde eius formale obiectum est præceptum tacitum uel expressum, et est inter superfluum non secundum quantitatem, sed secundum alias circunstantias, & diminutum etiam secundum quantitatem. Cum ergo habeat debitum, & non æqualitatem, quia superioribus non potest reddi æquale, patet quod est annexa iustitiæ.

11 *Gratia est specialis uirtus ab alijs distincta ad iustitiam pertinens.* 2.2.q.106. ar.1.3.5.6.

Secundum enim diuersas causas, ex quibus aliquid debetur, necesse est diuersificari debiti reddendi rationem, ita tamen quod semper in maiori id quod minus est contineatur, igitur post prædictas uirtutes iustitiæ annexas est gratia, quæ respicit recompensationem particularis beneficij ab aliquo benefactore recepti. hoc enim debitum est. Nam in naturalibus uidemus quod causa ad se conuertit effectum, benefactor autem inquantum huiusmodi est causa beneficiati, hæc tamen recompensatio fit per honorem, laudes uel reuerētiam, uel alicuius collationem beneficij, uerum magis attēditur secundum affectum quam secundum effectum. Et quia benefactor confert beneficium gratis, ex debito honestatis pertinet ad beneficiatum, ut similiter gratus aliquid impendat, quod non uidetur facere, si 5.eth.c.8. lec.8.5.t.

quantitatem

quantitatem accepti beneficij non excederet, & ideo debet excedere saltem quãtum ad affectum. Cum igitur hic cadat ratio debiti honestatis, & non reddatur ęquale secundum res, sed solum secundum uoluntates, patet quod gratia nõ habet perfectam rationem iustitiæ: & ideo non est species eius, sed est uirtus illi annexa.

2.2.q.108. *Vindicatio est specialis uirtus annexa iustitiæ.* 22

ar.1.2. Aptitudo enim ad uirtutem inest nobis a natura, unde uirtutes perficiunt nos ad prosequendum debito modo inclinationes naturales, quæ pertinent ad ius naturale, est autem quædam specialis inclinatio naturalis tam in brutis quam in hominibus et etiam in cæteris rebus ad remouendum nocumenta. Repellit autem homo nocumẽta per hoc quod defendit se contra iniurias ne inferantur, uel iam illatas iniurias ulciscatur, non intentione nocendi, quia sic animus ferretur in malum, quod ad uirtutem non pertinet: sed intẽtione nocumenta remouendi. Nocumentum autem dico uel honoris dei, uel sui uel proximorum: unde mens principaliter debet ad aliquod bonum ferri, ut ad punitionem peccantis uel emendationem, uel quietem eius & pacem populi, & sic de alijs similibus, ita tamen quod nec per crudelitatem excedat, nec per remissionem deficiat. Punitio ergo peccatorum secundum quod pertinet ad publicam iustitiam est actus cõmutatiuæ iustitiæ, secundum autem quod pertinet ad immunitatem alicuius personæ singularis a qua iniuria propulsatur, pertinet ad uindicationem, & quia

habet.

habet rationem debiti, sed non debet tamen reddi semper æquale, sed secundum quod exigit ipsa immunitas uindicandæ personæ uel etiam emendatio iniuriantis, ideo est uirtus annexa iustitiæ.

23 *Veritas seu ueracitas est uirtus annexa iustitiæ.* 2.2.q.109.

Per ueritatem autem intelligimus habitum quendam secundum quem aliquis in uita & sermone se talem demōstrat qualis est: ita quod nec de se maiora ostendit, nec minora, quamuis magis ad minus declinet, id est quamuis sit minus onerosus & minus ab hac uirtute recedat, qui in minus declinat, quia ergo uirtus bonum facit habentem, & opus eius reddit bonum, & hoc quod est dicere, uel facere ueritatem est actus bonus, ideo est uirtus specialis respiciens obiectum speciale: hoc est specialem ordinem secundum quod exteriora dicta uel facta debite ad aliquid ordinantur, & quia ad alterum ordinatur secundum quod homo ea, quæ intra uel circa se sunt alteri manifestat, & æqualitatem quandam importat adæquando signa rebus, oportet quod ad iusticiam pertineat. Quia uero non habet debitum legale, sed morale, inquantum, scilicet ex honestate unus homo alteri debet ueritatis manifestationem iccirco est pars iustitiæ sicut uirtus ei annexa: et eadem uirtuti fidei, inquantum fides est uirtus moralis, qua scilicet uerificantur dicta ex debito morali. eiusdem enim moris uidetur esse quod homo uerum dicat, quod pertinet ad ueritatem, et quod dicta uerificet, quod spectat ad fidem. pto.4.eth.c 14.lec.15.s.t

Amicitia

8.eth.c.1.2.3 *Amicitia est uirtus annexa iustitiæ.* 24

4.lec.1.2.3. Amicitia est dilectio, qua aliqui sibi inuicem bene uolunt scienter. non enim amicitia est quilibet amor, quo homo alteritus uult bonũ, nam amare alterum propter seipsum, pertinet ad amorẽ concupiscentiæ non amicitiæ, requiritur ergo quod sit amor beneuolentię. ut scilicet diligatur aliquis illius gratia; sed hoc etiam nõ sufficit si non illud fiat ab illo, ut scilicet amatus uelit bonum amanti eius gratia, quia amicitiam dicimus beneuolentiam in contra passis; ut scilicet amans ametur. habet enim quandem commutationem amoris secundum formam commuatiuæ iustitiæ, oportet igitur ut sciant amici quod se inuicem diligunt. Non enim si uolo bonum alieni, qui me non congnoscit, habeo ad illum amicitiam, & fundatur hæc dilectio super aliqua communicatione, id est uel super honesto uel utili uel delectabili; & propter hos diuersos fines triplex est genus amicitiæ: sed simpliciter amicitia est quę fundatur super honesto: alię uero participant aliquid amicitiæ, igitur amicitia simpliciter dicta cum non possit esse sine uirtute et respiciat honestum, reddit bonum habentem, & opus eius bonum, et cum sit ad alterum & non habeat plenam rationem debiti, prout, scilicet aliquis obligatur alteri ex debito legali, ad quod lex cogit, uel ex aliquo proueniente beneficio; sed solum attendit quoddam honestatis debitũ, quod magis est ex parte uirtuosi quam alterius; hinc est quod amicitia est est uirtus ad iustitiam pertinens tanquam pars ei annexa, seu potentialis non tñ est species eiu.

4.s.t.

Amicitia

25 *Amicitia est necessaria ad uitam humanam.* *Vbi su.c.1. lec.1.s.t.*

Cum enim homo sit animal ciuile & sociabile oportet quòd amicitia sit hominibus naturalis, & per consequens necessaria & maxime est necessaria ad communitatem ciuitatis faciendam et conseruandam, quæ quidem cōitas est ad uitam humanam necessaria, ut infra dicetur, igitur amicitia est multum hominibus necessaria.

26 *Amicitia simpliciter & per se dicta cum difficultate dissoluitur, illa uero, quæ per accidēs est cū facilitate* *Vbi su.c.3. lec.3.s.t.*

Amicitiam simpliciter & per se uoco illam, q̃ est propter honestum, qua illi qui sunt similes in uirtute & sunt amici uolunt sibi inuicem bona in quantum sunt boni, id est secundum se. Amicitiam uero per accidens dico quæ est propter utile uel delectabile, per hanc enim amatur aliquis nō propter seipsum, sed propter utilitatem & delectationem amantis, unde est amor propter alterum, quia ergo idem non semper est utile & delectabile, sed multipliciter uariatur, hinc est ꝙ talis amicitia facile soluitur: sed amicitia propter honestum cum difficultate soluitur, tum quia illud quod est per se est stabile, tū quia fundatur in uirtute, quæ est de difficili mobilis, tum etiam quia continet in se omnia bona: eo ꝙ honestum est etiam utile & delectabile.

27 *Amicitia p se aliquādo deficit propter defectū actus.* *Vbi su.c.4. lec.5.s.t.*

Actus enim eius est conuiuere, colloqui & simul cōmorari, si ergo fuerint absentes amici, dis-

K soluetur

ſoluetur amicitia: ſicut etiam alij habitus per diſſuetudinem corrumpuntur, & ideo in ſenibus & hominibus agreſtibus, qui non ſunt apti ad actus iſtos nec fit nec permanet amicitia, nec in illis, qui nunquam conuiuunt uel ſimul minime commorantur.

Vbi ſu.c.3. *Amicitia uera rara eſt.* 28

lec.3.s.t. Quia rara eſt uirtus in qua fundatur et opus eſt longo tempore, ut amici ſe inuicem poſſint perfecte cognoſcere per multas experientias: prius autem non eſt amicitia inter illos, ergo.

Vbi ſu.c.5. *Amicitia perfecta non ſunt multi amici.* 29

lec.3.s.t. Hæc enim habet rationem ſuperabundantiæ in amando ſecundum rectam rationem, ſuperabundans autem amor non eſt ad multos. Non .n. eſt facile uel paucos inuenire, qui in omnibus placeant ſecundũ rationem rectam, & maxime difficile eſt de multis longo tempore experientiam ſufficientem ſumere.

Vbi ſu.c.5. *Amicitia inter inæquales eſſe poteſt, non autem inter* 30

lec.7.s..t. *multum diſtantes.*

Inter patrem enim & filium, & inter aliquem excedentem alium & illum exceſſum in aliquo, poteſt eſſe mutuus amor, ita ꝙ ſibi inuicem poſſunt propter honeſtum uelle bonum & non latere, quamuis non ſit eadem uirtus amicitiæ in ſuperiori, quæ in inferiori, quia aliud requirit ſuperior ab inferiori, & aliud inferior à ſuperiori, uerum quando nimium diſtant, cum non poſſint

ſimul

simul conuenire non potest esse inter eos amicitia, ut inter deos & homines, & inter reges & pauperes, & inter sapientissimos et rudes, non est amicitia. Ad amicitiam enim requiritur æqualitas quædam uel proportio, quę non est inter multum distantes.

31 *Amicitia magis consistit in amare quàm in amari.* V bi su.c.6. lec.8.s.t.

Velle enim magis amari quàm amare non est propriè amici, sed amatoris honoris, quia amari uidetur proximum esse ei, quod est honorari. Amare autem est bene operari, quod opus ab habitu amicitiæ procedit, habitus enim ad operationem determinatur: unde etiam matres plus delectatur filios amare, quàm ab eis amari, cuius signum est, quia si etiam non ab eis amantur, amant nihilominus eos.

32 *Amare secundum proportionem uniuscuiusque conseruat amicitiam.* V bi su.

Cum enim uirtus amatoris attendatur secundum amare & non secundum amari, in quibuscunque contingit quod ament amicos secundum proportionem dignitatis, tales permanent amici, & eorum perseuerans est amicitia sic enim dum se inuicem amant secundum suam dignitatem etiam illi, qui sunt inæqualis conditionis poterunt esse amici, quia per hoc æquabuntur, dum unius eorũ quo magis deficit in bonitate aut in quacũque excellẽtia eo plus amat: & ita abundãtia amoris recõpensat defectũ conditionis, et sic per quãdã

 æquali-

ęqualitatem & similitudinem, quæ proprie pertinet ad amicitiam, fiunt & perseuerant amici.

Vbi su. *Amicitia uera nihil uult contra uirtutem.* 33

Hic enim amor est secundum rationem, quam quęrunt amici, non enim amicus uult amicum suum peccare, & præter rationem agere, nec ipse propter amicum uult rationem transgredi, & prę ter uirtutem agere, nam ueri amici boni sunt, & in uirtute fundati, & ideo nihil contra uirtutem uolunt nec in se, nec in amico propter amicitiam.

Vbi su. c. 6. lec. 9. s. t. *Omnis amicitia in aliqua communicatione consistit.* 34

Nam cum amicitia sit annexa iustitię, oportet aliquo modo circa eadem esse iustitiam & amicitiam, iustitia autem est ad alterum per aliquam communicationem, ideo etiam amicitia in aliqua communicatione fundatur, ut in communicatione unius artis, uel scientiæ, uel uirtutis, uel cognationis, uel alterius communicationis, unde quosdam uocamus commilitones, quosdam conauigatores, & condiscipulos, uel aliquid huiusmodi, omnes tamen hę communitates sub politica communitate continentur, tanquam partes sub toto.

9. eth. c. 6. lec. 6. s. t. *Beneuolentia non est amicitia, sed principium eius.* 35

Beneuolentia enim multoties est ad extraneos & ad eos, quibus est occultus noster amor, beneuolus enim ut sic solum uult bona ei, cui est beneuolus, sed de malis eius non tristatur, nec aliquid pro eo facit, est tamen principium amicitiæ, quia nullus

nullus sine beneuolentia potest fieri amicus.

36 *Benefactores magis amant beneficiatos q̃ econtra.* *Vbi su.c.8. lec.7.s.t.*

Tum quia naturale est unicuiq; opus suum diligere sicut & esse suum, quod per opus manifestatur, at operi non est ita naturale diligere suum factorem, quia unusquisq; plus diligit seipsum q̃ alium, tum quia bonum proprium benefactoris & proprius actus eius est benefacere, maxime autem ab omnibus diligitur proprium bonum. Nõ est autem hoc proprium beneficiati, tum etiam quia benefacere est bonum honestum, quod magis amatur, quàm bonum utile sicut est bonum beneficiati. Tum quia facere magis amatur q̃ pati. Tum quia ea, quæ laboriose fiunt, magis diliguntur quàm ea, quæ fiunt absq; labore.

37 *Amator sui proprie est qui sibi uult bonum uirtutis.* *Vbi su.c.9. lec.8.9.s.t.*

Amator enim sui iuxta cousuetudinem uulgarem exprobatur quia sibi uult bona sensibilia, quæ non sunt uere bona, & ideo amat alios propter seipsum, sed qui sibi uult bonum uirtutis sibi uult uerum & magnum bonum & in parte principali, id est in ratione. Amare autem est uelle bonum, hic ergo proprie amator sui dicendus est, cęteri uero magis dicũtur se habere odio: quia amant se contra bonum rationis.

38 *Non sunt quærendi multi amici.* *Vbi su.c.12. lec.12.*

Tum quia difficile inueniri possunt, tum quia pauci sunt prediti uirtutibus, tũ quia experientia lõga non potest de multis fieri, tot ergo quærantur, quot ad uitam humanam sufficiant.

Vbi su.c.13. lect.13. *Ad bonas fortunas & infortunia amicorum debet amicus prompte se offerre.* 39

Proprium est enim amici benefacere, & amico cooperari, cum sit quasi unum cum eo, unde non uocatus amicus se promptum exhibet, & indignum reputat quod uocetur.

Vbi su. *Ab amico bene fortunato debet homo remisse auxilium petere.* 40

Debet enim uereri opinionem indelectationis & onerositatis apud amicum.

Vbi su.c. & lec.ul. *Amicitia, que dicitur affabilitas est uirtus annexa iustitiæ.* 41

1.2. q. 114. ar. 1.2. Amicitia enim de qua hactenus locuti sumus principaliter consistit in affectu, sed hæc, quæ affabilitas dicitur, consistit in solis uerbis & factis exterioribus secundum quę homo se habet decenter ad illos, cum quibus cõuersatur, oportet enim hominem conuenienter ad alios homines ordinari in communi cõuersatione tam in factis quã in dictis. Et ideo oportet esse in homine aliquam uirtutem quæ conuenientiam huius ordinis obseruet, ubi enim occurrit specialis ratio boni oportet esse specialem rationem uirtutis, quia ergo est ad alterum pertinet ad iustitiam, sed quia non habet nisi debitum honestatis, non est species eius, sed est uirtus annexa illi.

1.2. q. 117. ar.5. *Liberalitas annectitur iustitiæ.* 42

Liberalitas enim ad alterum est sicut iustitia; & est circa res exteriores sicut etiam iustitia, differt autem

fert autem ab ea, quia iustitia exhibet alteri quod eius est. Liberalitas uero exhibet id, quod est suum. unde respicit res exteriores alia ratione quam iustitia, & ideo annectitur ei, sicut uirtus secundaria.

43 *Liberalitas est circa passiones & pecunias.* *Vbi su. artis.*

Liberalitas enim per se tendit ad ostēdendam *2. 3. 4. eth.*
propriam affectionem circa pecuniarum & diui *c. 1. lec. 1. s. t.*
tiarum usum. Dicitur enim liberalis ille, qui est emissiuus, unde liberalitas alio nomine dicitur largitas: quia quod largum est, non est retentiuū, sed potius emissiuum. Cum autem aliquis a se emittit aliquid quodāmodo ab eius custodia se liberat, & animum suum ab eius affectu liberum esse ostendit. Ea uero, quæ sunt emittenda ab uno homine in alium sunt bona possessa. Quæ omnia nomine pecuniæ significantur. Et ideo immediate materia liberalitatis sunt interiores passiones, sed pecunia est materia exterior, & aliquo modo obiectum ipsarum passionum.

44 *Liberalitas est uirtus.* 2.2. *Vbi su.*

Nam bene uti ijs, quæ possumus male uti, per- *ar. 1.*
tinet ad uirtutem, possumus autem bene & male *4. eth. ub su.*
uti non solum ijs, quæ sunt intra nos, id est passionibus & potentijs animæ sed etiam ijs, quæ sunt extra nos, id est rebus nobis concessis ad sustentationem uitæ. Cum ergo aliquando uti huiusmodi rebus pertineat ad liberalitatem, sequitur quod liberalitas sit uirtus, & eius actus sit uti pecunijs & quibuscunque rebus, quæ

pecunia æstimari possunt, pecunia enim et huiusmodi res cadunt sub ratione bonorum utilium, et ideo actus eius proportionatus est uti eis: & eas præparare ad usum & conseruare,

2. 2. ubi su. *Ad liberalem maxime pertinet dare.* 45

ar. 4. Proprium enim liberalis est uti pecunia, usus
4. eth. autem pecuniæ est in emissione ipsius. Acquisitio
Vbi su. Item enim assimilatur generationi. Custodia uero, quæ
c. 2. lec. 2. s. t ordinatur ad usum assimilatur habitui. Emissio autem alicuius rei quanto fit ad aliquid distantius tanto à maiori uirtute procedit, ut patet in ijs, quæ proijciuntur. Ex maiori ergo uirtute procedit qp aliquis emittat pecuniam dando eam alijs quàm expendendo eam circa seipsum, proprium autem uirtutis est, ut præcipue tendat in id, quod perfectius est. Nam uirtus est perfectio quædam: & ideo liberalitas maxime laudatur ex datione seruatis debitis circunstantijs, scilicet quod fiat datio propter bonum finem, & recte: id est secundum regulam rationis. s. quando oportet, quibus oportet & huiusmodi.

Epicheia est uirtus & pars subiectiua iustitiæ. 46

2. 2. q. 120. per totum. 5. eth. c. 17. lec. 16. s. t. Epicheia enim est moderatio quædam legum quæ apud nos potest dici æquitas, quia enim humani actus, de quibus leges dantur in singularibus consistunt; quæ infinitis modis uariari possunt, non fuit possibile aliquam regulam legis institui, quæ in nullo casu deficeret, sed legislatores attendunt ad id, quod ut in pluribus accidit, & secundum hoc instituunt legem;

qu am

quam seruari in aliquib. casibus est contra æqualitatē iustititię, et cōtra bonum cōe quod lex intendit: & iō bonū est aliqñ, prętermissis uerbis legis, sequi id quod possit ratio iustitiæ, & cōis utilitas, et ad hoc ordinatur Epicheia. Cū opus ergo reddat bonum, sequitur quod sit uirtus ad hoc bene ordinata, unde est quędam iustitia, et de ea iustitia cōmuniter dicta prædicatur, per prius quā de iustitia legali, quæ obtemperat legi secundum uerba: nam hæc regulatur ab epicheia, quæ est ei quasi superior respectu humanorum actuum, epicheia ergo deserit iustum non simpliciter, sed iustum quod est lege determinatum, nec tamen opponitur seueritati, quę sequitur ueritatem legis in quibus oportet, quia sequi in quibus nō oportet esset uitiosum. Epicheia autem non sequitur uerba in quibus nō oportet. Et hæc de iustitia & partibus eius breuiter dixisse sufficiat.

Explicit liber sextus de iustitia.

Poſtilla in librum ſextum.

POST prudentiam ſequitur iuſtitia tanquam præcipua inter alias morales, de qua agit author in hoc libro. Primo quidem de obiecto eius. Secundo, de ipſa uirtute iuſtitię. Tertio de partibus eius. Quo ad obiectum, declaratur primo qualiter ius eſt obiectum eius, & quid ſit in prima concluſione. Secundo diſtinguntur diuerſa iura ac ſimul declarantur ius naturale & poſitiuum in ſecunda, ius gentium cõtra naturale in tertia, ius paternum, & dominatiuum contra politicum in quarta: commune enim prius diffinitur quando recipit diffinitionem, et poſtea diuiditur. Quo ad ipſam uirtutem iuſtitiæ, incipit a diffinitione eius, per quam eius natura cognoſcitur, quam ponit in quinta: & quia eſt uirtus quæ reſpicit alterum, id declaratur in ſexta Secundo declarat eius obiectum in ſeptima: & qualis uirtus ſit .ſ. generalis in octaua, quodque præter illam datur alia particularis in nona. Demũ declarat actum eius, per quem etiam cognoſcitur in decima. Quo ad partes eius prius agit de partib. ſubiectiuis ſimul in undecima. poſtea de partibus potentialibus hoc ordine. Quia primo agit de religione quæ reſpicit deum. eſt enim prima inter alias, de qua plura docet, ſcilicet quomodo eſt uirtus & pars iuſtitiæ, id eſt illi annexa in duodecima: qualis uirtus eſt in tertiadecima, quã excellens in quartadecima: quomodo ſe habet ad ſantitatẽ quę et ipſa reſpicit deum in quintadecima

ma,& qui sunt actus eius in sextadecima. Secundo agit de pietate quæ respicit parentes & patriam, nam debitum paternū sequitur debitum diuinum,& declarat quomodo est uirtus & pars iustitiæ in decimaseptima: et qualis uirtus in decima octaua. Tertio agit de obseruantia & obedientia quæ respiciunt superiores, & in dignitate constitutos, quibus post parentes et patriam debemus,& honorem quem exhibet obseruantia de qua in decimanona: & subiectionem, quam reddit obedientia, de qua in uigesima. Quarto de gratia, quæ post prædictos reddimus debitum benefactoribus in uigesima prima. Et quia iustitia non solum reddit debitum in bonis ad quod ordinantur prędictę uirtues,sed etiam in malis ad quod ordinatur uindicatio, consequenter agit de illa in uigesimasecunda. Post dictas uirtutes agit de quibusdam alijs quæ respiciunt minus debitū,scilicet potius honestatis quam legis,quarū prima est ueritas, de qua in uigesimatertia. Secunda est amicia de qua prius agit ut est quædam dilectio, & multa docet, scilicet naturam eius in uigesimaquarta, necessitatē in uigesimaquinta, conditiones seu proprietates eius in uigesimasexta,uigesimaseptima, uigesimaoctaua,uigesimanona. Inter quos reperitur in trigesima, actum eius proprium in trigesimaprima. qualitatem talis actus in 32. rectitudinem ipsius in 33.fundamentum in 34.principium in 35. comparationem inter amicos diuersarum rationum, id est inter benefactorem & beneficiatum in 36. & qualitatem amicorum usq; ad quadragesimā.

Sed

Sed quia amicabilia ad alterum deriuantur ex amore sui, præmittit in 37. quis proprie sit amator sui: postea agit de amicitia ut est idem quod affabilitas in 41. Tertia est liberalitas de qua ostendit quomodo est pars iustitię in 42. Circa quid uersatur in 43. an sit uirtus in 44. et quis actus eius in 45. Demum pro complemento huius libri agit de quadam parte iustitiæ, quæ agit contra uerba legis, quam iustitia communiter attendit, licet non contra intentionem scilicet epicheia in quadragesima sexta.

INCIPIT LIBER SEPTIMVS DE FORTITVDINE.

2.2.q.123.23. ar.1.3.4 *Fortitudo est uirtus, quæ timorem cohibet et audaciam moderatur circa pericula mortis.*

2.eth.c.9.lec. 6.3.eth.c.9. lec.14.s.t.

Quia enim homo repellitur aliquando ab eo quod est secundum rationem propter aliquid difficile, quod incumbit, oportet aliquam esse uirtutem in eo, quæ hoc impedimentum remoueat, & hæc est fortitudo, quæ secundum quod importat quandam firmitatem in illis, in quibus est maxime difficile firmitatem habere, est uirtus specialis habens materiam determinatam, & principaliter

liter est circa timores mortis: quia ad fortitudinē pertinet remouere impedimentum, quo retrahitur uoluntas a sequela rationis. Quod autem aliquis retrahatur ab aliquo difficili, pertinet ad rationem timoris, qui importat recessum a malo difficultatem habente, sed quia non solum oportet difficilium rerū impulsum firmiter tollerare, sed etiam moderate aggredi, quod ad audiciam pertinet, ideo fortitudo est circa timores & audacias, & quia nullum bonum corporale æquiualet bono rationis, oportet quod fortitudo retineat uoluntatem hominis in bono ratiōis firmiter, et contra maxima mala: uirtus enim respicit ultimum maximum autem terribile inter omnia corporalia mala est mors quę aufert omnia corporalia bona: ergo sequitur quod fortitudo sit circa pericula mortis. 2.2.ubi s.ar.

2 *Fortitudo proprie est circa pericula mortis quæ sunt in bello.* 3.3.eth.ubi s.

Ad fortitudinem enim pertinet, ut non refugiat pericula mortis propter aliquod bonum prosequendum. Pericula autem mortis, quæ sunt ex ægritudine uel tempestate mortis, uel ex incursu latronum, uel si qua alia sunt huiusmodi, non necessario uidentur directe alicui imminere, ex hoc quod sequitur aliquod bonum, sicut pericula in bellicis rebus: & ideo fortitudo proprie est circa pericula mortis, quæ sunt in bello iusto, siue sit bellum generale, siue particulare, sicut cū aliqua priuata persona non recedit a iusto iudicio, uel ab alio bono ratiōis, propter timorem gladij imminentis

tientis uel cuiuscunque alterius periculi: quamuis etiam possit esse circa pericula cuiuscunque mortis, quam homo debet aliquando subire propter uirtutes. utputa cum aliquis nō refugit amico infirmanti obsequi propter mortiferæ infectionis timorem: uel cum non refugit itinerari ad aliquod pium negocium prosequendum propter timorē naufragij, uel latronum, uel aliquid huiusmodi.

2.2.ubi s.ar. 6.3.eth.c.9. lec.15.itē c.11 lec.18.s.t

Sustinere est actus principalis fortitudinis. 3

Difficilius enim est timorem reprimere quam audaciam moderari, eo quod ipsum periculum, quod est obiectum audaciæ & timoris de se confert aliquid ad repressionem audaciæ, sed operatur ad augmentū timoris, unde difficilius est sustinere quā aggredi. qui enim sustinet, a fortiori inuadente uidetur sustinere, & iam sentit pericula imminentia: et importat sustinere diuturnitatem temporis sed qui aggreditur inuadit per modum fortioris, & pericula, ut futura habentur ab eo: & ex subito motu aggredi potest. uirtus autem est circa difficilius: et ideo principalis actus fortis est sustinere.

2.2.ubi s.ar. 8.3.eth.ubi s.

In actu suo a forti non requiritur ut delectetur, sed sufficit ut non tristetur. 4

Fortis enim sicut in proximum finem tendit in similitudinem sui habitus, ut scilicet ipsum in actum exprimat, quod est fortiter agere. intendit enim agere secundum conuenietiam sui habitus,

finis

finis autem remotus est beatitudo, uel deus. Ex una ergo parte habet in actu suo ut delectet. s. secundum delectationem animalem de ipso actu uirtutis, & de fine eius, ex alia uero parte habet unde doleat, etiam animaliter, dum consyderat amissionem propriæ uitæ, et corporaliter, dum sustinet uulnera, sensibilis ergo dolor corporis facit, ut nõ sentiat animalem delectationem uirtutis, nisi forte propter superabundantem dei gratiam, facit tamen uirtus fortitudinis, ut ratio non absorbeatur a corporalibus doloribus. Tristitiam autem animalem superat delectatio uirtutis inquantum homo præfert bonum uirtutis corporali uitę, et quibuscunque ad eam pertinentibus: propter quod a forti non requirit uirtus, ut delectetur quasi delectationem sentiẽs: sed sufficit quod non tristetur.

5 *Fortitudo in repentinis maxime manifestatur.* 2.2.ubi s.ar.

Habitus enim agit in modum naturæ, unde qp̄ aliquis absque præmeditatione faciat ea quę sunt uirtutis, cum necessitas imminet propter repentina pericula, hoc maxime manifestat fortitudinẽ habitualiter esse in anima confirmatam, nam potest etiam aliquis habitu fortitudinis carens, diuturna præmeditatione animum suum contra imminentia pericula præparare, qua præparatione etiam fortis utitur, ut cum tempus adest possit resistere aut facilius ferre. 9.3.eth.c.10 lec.17.S.t.

6 *Fortitudo in actu secundario assumit iram.* 2.2.ubi s.ar.

Ad aggrediendum enim assumit iram mode- 10.3.eth.ubi s.

ratam, quasi auxilium ab ea accipiẽs: quia etiam uirtus utitur appetitu sensitiuo, ut instrumento, sicut etiam membris corporis. Ad iram enim pertinet insilire in contra stantem, non autem ita directe insilire pertinet ad alias passiões, unde directe ira cooperatur fortitudini in aggrediendo. Ad sustinendum autem non assumit iram, quia hunc actum ratio per se facit.

1.2.q.128.ar.1 *Fortitudo nõ habet partes subiectiuas sed integrales.* 7

Quia enim est circa materiam ualde specialem, non potest habere partes specie differentes. Partes autẽ integrales, quæ scilicet ex necessitate concurrunt ad actus eius perficiendos habet. ad actum enim aggrediendi primo requiritur, ut aliquis habeat promptum animum ad agrediendũ, & quantum ad hoc pars eius integralis est fiducia uel magnanimitas, quę uidetur esse idem fiduciæ: secundo requiritur ne deficiat in executione illorum, quæ fiducialiter inchoauit, & quantum ad hoc ponitur magnificentia. Intellige autem hæc duo concurrere ad integrandum istum actũ fortitudinis si coartentur ad propriam eius materiam, id est ad pericula mortis. Nam circa alias materias minus difficiles, sunt uirtutes distinctæ specie a fortitudine, cui tamen adiunguntur sicut secundariæ principali. Ad actum autem sustinendi: primo requiritur ne difficultate imminentium malorum animus frangatur per tristitiam, & decidat a sua magnitudine. et quantum ad hoc ponitur patiẽtia, secundo ut ex diuturna difficilium

ficilium perpeſſione homo non fatigetur ad hoc uſq; ut deſiſtat: & quantum ad hoc ponitur perſeuerantia, & intellige etiã de iſtis duabus, quòd ſunt partes integrales fortitudinis, quando coartantur ad propriam materiã eius. Ad alias enim materias applicatæ ſunt uirtutes ſpecie ab ea diſtinctæ, & tamen coniunctæ ei ſicut ſecundariæ principali.

8 *Magnanimitas eſt ſpecialis uirtus annexa fortitudini* *2.2.q.129.*

Magnanimitas enim quandam animi extenſionem ad magna importat, hoc eſt ad magnos actus, qui magni ſimpliciter dicuntur, quia conſiſtunt in optimo uſu rei maximæ, quę inter res, quæ ueniunt in hominis uſum, eſt honor, eo ꝙ eſt ꝓpinquior uirtuti, quaſi teſtificatio eius, & deo exhibetur, & propter hunc homines omnia alia c poſtponunt: ideo magnanimitas eſt circa honores, & quia uirtus eſt circa difficile, uel ſecundum rationem, quia difficile eſt inuenire mediũ, ut in actu iuſtitię, uel ſecundum repugnantiam, quia paſſiones pugnant contra rationem, & quædam paſſiones habent paruam uim repugnandi, ideo circa eas non ponimus uirtutes; ſed circa eas, q̃ habent magnam uim repugnandi rationi, quam quidem habent ex rebus exterioribus, quæ ſunt eorum obiecta, ſicut amor pecuniæ, & honoris: & imo circa has paſſiones ponimus uirtutes, nõ ſolum quantum ad id, quod eſt in eis maximũ, ſed etiam circa mediocria, & minora, quia res exteriores etiam ſi ſint paruę, ſunt multum appetibiles, ut pote neceſſariæ ad uitam hominis, &

per to.
2. eth. c. 7. lec. 9. 4 eth. c. 6. 7. 8. 9. lec. 8. 9. s. t.

propter hoc circa paruos & magnos honores uirtutē ponimus. Magnanimitas ergo est circa magnos honores: & alia uirtus innonimata est circa mediocres, quæ potest dici uel nominari ex extremis, philotimia & aphilotimia, id est amor honoris, et sine amore honoris, unde magnanimitas est immediate circa passionem spei: mediate autem circa honorem, sicut circa obiectum spei: & tendit in aliquod magnum sicut in finem. Quia ergo ponit modum rationis circa drterminatam materiam, ideo est specialis uirtus, & quia conuenit cum fortitudine, inquantum confirmat animum circa aliquid mediū, & deficit ab ea in hoc quòd firmat animum circa aliquod facilius, ideo adiungitur fortitudini tanquàm uirtus secundaria principali.

2. 2. Vbi su. ar. 2. 3. 4. 4 eth. c. 10. lec 10. Item c. 9. lec. 8. s. t.

Magnanimitas multas habet proprietates. 9

Habet enim quasdam corporales proprietates: nam quia corporales motus diuersificantur secūdum diuersas animæ apprehensiones, & affectiones, & magnanimus intendit solum ad magna, quæ pauca sunt, & indigent magna attentione, & non se intromittit nisi de magnis: ideo magnanimus est ille, qui est naturaliter ad magnanimitatem dispositus: habet motum tardum, & uocem grauem, & locutionem stabilem, & non habet in memoria beneficia, quantum adhoc, quòd ei sit delectabile ab aliquibus beneficia recipere, quin maiora recompenset, & est ociosus, id est, non se ingerit ad quæcunq;, sed solum ad ea, quæ decent eum, & utitur ironia ad multos, quia scilicet non

quia scilicet non omnibus totam suam magnitudinem monstrat, & non potest alijs conuiuere .s. familiariter, sed solum ad amicos, quia omnino uitat adulationem, & simulationem, & uult habere magis infructuosa, non quæcunq; sed bona honesta, que utilibus præponit, tendit enim ad ea quæ important aliquam excellentiam, & illa fugit, quę important defectum, & ideo promptum se exhibet ad actus aliarum uirtutum, secundum ꝙ habent rationem cuiusdam excellentiæ, unde magnanimitas est quidam ornatus omnium uirtutum, nam per eam fiũt maiores, eo ꝙ ad ipsam pertinet operari magnum in qualibet uirtute: qđ est dignum magno honore, tamen ex magnis honoribus non extollitur magnanimus, quia non reputat eos supra se, & de inhonorationibus nõ frangitur, sed eas contemnit, ut pote quas reputat sibi indigne fieri, est autem manifestus amicus & manifestus inimicus: quia ꝙ aliquis latenter amet uel odiat prouenit ex timore, qui magnanimo repugnat: magis etiam curat de ueritate, quàm de opinione hominum, manifeste loquitur & operatur, semper uerum dicens, nisi cum ironice loquitur, obliuiscitur malorum sibi factorum, & despicit ea tanquam indigna æstimari,
21 non periclitatur pro paruis, nec pro quibuscunq; se exponit periculo, sed cum oportet se exponere non parcit etiam uitæ.

10 *Fiducia & securitas ad magnanimitatem pertinent.* 2. 2. *ubi su.*

Fiducia enim importat quoddam robor spei ar. 6. 7.

prouueniens ex aliqua consyderatione potentis amici uel propriarum uirium, quæ facit fidem, id est uehementem opinionem de bono assequendo. Cum ergo magnanimitas sit proprie circa speciẽ alicuius ardui, patet ꝙ fiducia ad magnanimitatem spectat, magis ꝗ̃ ad fortitudinẽ, quæ firmat hominem contra mala, ad quam tamen intantum pertinet inquantum spes causat audaciam, quæ ad ipsam pertinet, & quamuis dicatur quod magnanimus nullo indiget, intelligendum tamen est secundum modum humanũ. Nul
4. eth.c.10. lo enim indigere est supra hominem, & ideo cũ
lec.10.s.t homo sit animal ciuile, oportet ꝙ etiam habeat fiduciam in alio homine, & maxime in deo. Est tamen sciendum, ꝙ fiducia proprie non nominat uirtutem, sed conditionem uirtutis, quia fiducia est spes roborata ex aliqua firma opinione. Modus autem adhibitus alicui affectioni pertinet ad commendationem actus non tamen ex hoc determinatur ad speciem uirtutis, est ergo pars integralis magnanimitatis: securitas autem importat quandam quietem animi à timore, & ideo directe pertinet ad fortitudinem, sed quia ex timore causatur desperatio, ex consequenti pertinet ad magnanimitatem.

2.2.ubi su. ar. 8. *Bona fortunæ ad magnanimitatem conferunt.* 11

4.eth.c.9. lec.9.s.t. Pro quanto enim magnanimitas ad honorem respicit, qui uirtuosis nõ solum a sapientibus, sed etiam a multitudine, quæ bona fortunæ maxime reputat exhibetur, requirit bona fortunæ, ut honor ab hominibus eis exhibeatur, similiter & hæc

hæc bona deseruiunt ei ad actus exercendos, prout sunt quædam eius instrumenta: quia per diuitias, amicos, et potentiam, datur nobis facultas operandi.

12 *Magnificentia est specialis uirtus fortitudini annexa.* 2.2.q.134. per totum.

Magnificus enim dicitur, qui aliquid magnū facit prout factio dicit operationem circa exteriorem materiam, unde magnificus uersatur circa opus factibile, quod ab arte producitur, intendēs tale opus fieri magnum in quantitate, preciositate, & dignitate: ad quod requiruntur magni sumptus, & pecuniæ emissiones, et ideo materia magnificentiæ possunt dici & ipsi sumptus, quibus utitur ad opus magnum faciendum, & ipsa pecunia, qua utitur ad huiusmodi magnos sumptus, & amor pecuniarum, quem moderatur, ne sumptus magni impediantur: & ideo usus pecuniæ aliter pertinet ad liberalem, & aliter ad magnificum. Ad liberalem enim pertinet omnis usus debitus pecunię: cuius impedimentum tollit moderatio amoris pecuniæ. Ad magnificum autem in ordine ad aliquod magnum opus, & per consequens per comparationem ad spem, unde magnificentia uidetur esse in irascibili, & liberalitas in concupiscibili, licet etiam qui liberalis est, habeat actum magnifici in propinqua dispositione. Cum ergo uirtus dicatur per comparationem ad ultimum, proprie magnificentia est uirtus specialis .i. circa spē, materiam, quæ consistit in extremo consyderata quantitate eius quod facit: 4.eth.c.5. lec.6.7. Item 2.c.7. lec.8.s.t. 2.eth.ubi su.

 sed ta-

sed tamen in medio, consyderata regula rationis, a qua non deficit, nec eam excedit, ordinat. n. usum artis ad aliquid magnũ, et precipue ad honorem dei in templis, & sacrificijs, et in rep. & in ijs que pertinent ad seipsum, dum ea, que pro se facit et magnifice exequitur. Dato ergo quod aliæ uirtutes magna operentur, ista tamen sicut & magnanimitas intẽtionem suam dirigit ad ratiõem magni, differunt autem ab inuicem, quia magnanimitas respicit magnum in opere uirtutis cuiuslibet etiam ipsius magnificentiæ. Magnificentia uero respicit magnum in ipso opere exteriori producto per artem, unde si dona dat, non dat sub ratione doni, sed prout ordinantur ad aliquod magnum, ideo pauper & si possit habere actũ huius uirtutis interiorem, non tamen exteriorem. Conuenit ergo cum fortitudine in hoc quod tendit in aliquod arduum & difficile, sicut fortitudo, sed deficit ab ea, quia arduum fortitudinis, multo maiorem habet difficultatem, unde est uirtus annexa ei, sicut secundaria principali, quamuis. n. non conueniat ei in materia, conuenit tamen ei in conditione materiæ: & hoc requiritur ad talem connexionem, quia magis annexio attenditur secundum modum, q̃ secundum materiam.

2.2. q. 136. ar. 1. 4. *Patientia est pars fortitudinis.* 13

Quia enim inter alias passiones, tristitia efficax est ad impediendum rationem, necesse est habere aliquam uirtutem, per quam bonum rationis conseruetur contra tristitiam, ne ratio succũbat, hæc autem uirtus est patientia, qua ęquo animo tri-

mo tristitiæ tollerantur, præcipue quæ ab alijs in feruntur, ita quod propter eas quantæcunque sint, non deseritur bonum uirtutis, unde est in concupiscibili, & ideo differt a fortitudine, quæ est in irascibili, & uersatur circa timores, est tamen pars eius, & adiungitur ei tanquam secundaria principali: quia fortitudo est circa difficillima, & potest poni pars integralis eius quantum ad aliquid sui prout scilicet patiens etiam sustinet æquo animo mala, que pertinent ad pericula mortis, & quamuis temperantia etiam sit circa delectationes & tristitias, non tamen patientia est pars eius, quia ad temperantiam pertinet solum refrenare & moderari tristitias circa tactum, sed ad patientiam pertinet propter tristitias quæ ab alijs inferuntur non recedere a bono uirtutis, adiunctio enim uirtutis ad uirtutem non attenditur secundum subiectum: sed secundum formam uel materiam.

14 *Patientia non est potissima uirtutum.* *Vbi su. ar. 2.*

Quia enim uirtus ordinat ad bonum rationis, illæ uirtutes sunt potiores, quæ directius ordinant in bonum, ut sunt illæ, quæ sunt boni constitutiuæ, quam illæ, quæ hoc indirectius ordinant, ut illæ quæ sunt impeditiuæ eorum, quæ à bono abducunt, illæ autem quæ maioris boni sunt constitutiuæ sunt potiores alijs, loquendo de ijs, quæ bonum constituunt, & similiter inter illas, quæ malum impediunt, illæ sunt potiores, quæ impediunt id, quod magis a bono retrahit, quod est maxime periculum mortis, & etiam delectatio-

ctationes tactus. Ideo cum patientia numeretur inter uirtutes impedientes id,quod a bono retrahit,non est potissima uirtutum, imo non solum deficit a iustitia & prudentia,quæ bonum constituunt,sed etiam a fortitudine,& temperantia, quæ malũ impediunt. Dicitur autem perfectum opus habere,non quia perfectius habeat cæteris simpliciter,sed secundũ quid, inquantum remouet principia multorum magnorũ malorũ, nam dum quis patienter tolleratur aduersa, aufert tristitiam,iram,odium,& iniustum nocumentum.

V bi su. ar. 5. *Longanimitas differt a patientia.* 15

Longanimitas enim dicitur,per quam aliquis habet animum tendendi ad aliquid,quod in longinquum distat,unde uidetur habere conuenientiam cũ magnanimitate,quę magis respicit spem tendentem ad bonũ. quam audaciam,uel timorẽ siue tristitiam,quę respiciunt malum. longanimitas enim uidetur respicere bonum longinquum, magis,q̃ mali alicuius tollerantiam quam respicit patientia,tamen conuenit etiam cum patientia inquantum sub ratione mali contristantis põt cõprehendi dilatio boni remoti & separati: quia spes,quæ differtur affligit animam, unde etiã sub patientia comprehenditur constantia,qua homo sustinet laborem in cõtinua executione boni operis,qui labor potest comprehendi sub ratione mali contristantis.

2. 2. q. 137. ar. 1. 2. 7. eth. c. 10. lec. 7. s. t. *Presceuerantia est uirtus annexa fortitudini.* 16

Quia enim uirtus est circa difficile, si occurrit spãlis ratio difficultatis boni, ibi est spãlis uirtus difficul-

difficultas autem in opere bono poteſt prouenire ex obiecto, uel quia difficile eſt inuenire medium rationis, ut in iuſticia: uel propter repugnantiam rationis, ut in fortitudine et tẽperantiã poteſt etiam prouenire talis difficultas ax diuturnitate temporis. difficile eſt enim diu perſiſtere in aliquo bono uſque ad conſummationem: & ideo perſeuerantia, ad quam pertinet in his uel illis uirtuoſis operib. diuturnitatem ſuſtinere, eſt uirtus ſpecialis, ꝗuis autẽ uirtuoſus cum minori difficultate in bono perſiſtat, quam ille, qui paſſionibus uehementer afficitur, non tamen propter hoc ei deeſt uirtus perſeuerantiæ, cum in difficili bono diu perſiſtit, quia perfectio uirtutis magis attenditur ſecundum rationem boni, quam ſecundum rationem difficilis. Per ſe igitur ad perſeuerantiam pertinet, ut aliquis perſeueret uſque ad terminum uirtuoſi operis, ſicut quod magnificus perſeueret uſq; ad conſummatiõnẽ operis. Quia aũt aliquæ uirtutes uſq; ad finẽ humanæ uitæ debent durare, circa iſtas oportet ſem per cõſeruari actũ ꝑſeuerãtiæ, ut. ſ. in bono iſtarũ perſiſtat uſq; ad finem, qđ ſi non facit, non eſt dicendũ ꝙ non habuit habitũ ꝑſeuerãtię, ſed quod ſcđm habitũ non eſt operatus. Quia ergo ſuſtinere difficultatem quę ꝓuenit ex diuturnitate boni operis, dat laudem perſeuerantiæ, & hoc minus eſt, quam ſuſtinere pericula mortis: ideo perſeuerantia adiungitur fortitudini, ſicut principali ſecundaria, & perſeuerantia eſt in iraſcibili, ſicut etiam fortitudo, & moderatur paſſionem timoris, fatigatiõis, aut defectus propter diuturnitatem.

ubi s.ar.3.7. eth.c.10.lec. 7.s.t.

Constantia differt a perseuerantia. 17

Perseuerãtia enim ut dictum est, facit firmiter persistere hominem in bono contra difficultatem quæ prouenit ex diuturnitate actus. Constantia autem facit firmiter persistere in bono contra difficultatem, quæ prouenit ex quibuscunq; alijs exterioribus impedimentis, quæ præcipue sunt illa quę tristitiam inferunt, circa quam est patientia, & ideo constantia secundum ea, quæ difficultatem inferunt, conuenit cum patientia: secundum autem finem, qui est persistere in bono, conuẽit cum perseuerantia, quæ tamen est pars principalior fortitudinis, quam constantia, quia difficultas, quæ est ex diuturnitate actus est essentialior actui uirtutis, quam illa, quæ est ex exterioribus impedimentis. De fortitudine igitur et partib. eius breuiter hæc diximus.

Explicit liber septimus de fortitudine.

Postilla

Postilla in librum septimum.

POst iustitiam sequitur fortitudo de qua duo principaliter agit, scilicet de ipsa fortitudine secundum se, et de partibus eius. Quo ad pri
1 mum, declarat naturam fortitudinis ex diffinitione eius in prima cõclusione, ex obiecto in secunda, et ex actu in tertia, uel sic in prima declarat naturam eius, in secunda obiectum. in tertia actum, & ut melius eius actus innotescat, per quem ipsa maxime cognoscitur, subdit tria de illo, scilicet qualitatem eius in quarta, quando maxime manifestat fortitudinem in quinta, & quomodo se habet ad iram in 6. Quo ad secundum agit primo de partibus integralibus simul in septima. ostendẽs simul illa non habere partes subiectiuas. secundo de partibus potentialibus, quarum prima est magnanimitas, de qua declarat naturam in octaua. proprietates in nona. quæ pertinent ad illam in decima. & quę ad illam conferunt in undecima. secunda est magnificentia de qua agit in 12. tertia est patientia, de qua in 13. & 14. quarta est longanimitas de qua in quindecima: quinta perseuerantia de qua in 16. ultima constantia de qua in 17.

Incipit

INCIPIT LIBER OCTVVS. DE TEMPERANTIA.

TEmperantia est uirtus, per quam delectationes tactus & tristitias moderamur. 1

1.2.q.141. ar.1.1.3.4.5 3.eth.c.12. lec.19.20.5.t Cum enim temperãtia inclinet ad id, quod est secundum rationem, ut ipsum nomen eius importat, patet quod est uirtus, & licet secundum communitatem suæ significationis sit uirtus generalis, quia importat quandam temperiem, id est moderationem quę reperitur in omni uirtute morali, si tamen consyderetur antonomasice inquantum moderatur & refrenat appetitum ab ijs quæ maxime alliciunt hominem, sic est specialis uirtus, habens materiam specialem, sicut & fortitudo, quæ sunt concupiscentiæ & delectationes, & quia uirtus est circa difficile, ideo temperantia est circa maximas delectationes, quæ sunt illæ quæ sequũtur operationes maxime naturales, id est quibus natura indiuidui per cibum & potum, & natura speciei per coniunctionem maris & fœminę conseruantur: sunt aũt hæ delectetiones tactus & quamuis homo delectetur in sensibus, etiam propter cognitionem, tamen temperãtia non est principaliter nisi circa delectatiões tactus, id est circa usum rerum necessariarum ad conseruandũ uitam humanam, uel in specie, uel in indiuiduo.

Ex

Ex consequenti tamē est cerca sensibilia aliorum sensuum, ut circa saporem, odorem, ornatum mulieris & huiusmodi, inquantum conferunt ad delectabilem usum rerum, quę pertinēt ad tactum, quia tamen gustus propinquior est tactui quam alij sensus: ideo temperantia magis ex circa gustū quam circa alios sensus. Non est autem circa delectationes spirituales: tum quia per se non sunt contra rationem, tum quia non afficiunt uehemēter appetitum contra usum rationis, eo quod non percipiuntur sensu. Quia autem uirtus cardinalis dicitur, quæ principaliter laudatur ex aliquo eorum quæ communiter requiruntur ad rationem uirtutis, & moderatio, quæ in omni uirtute requiritur præcipue in temperantia laudatur, tum propter difficultatem abstinēdi se a delectationibus tactus, tū ꝑpter necessitatē, quia talia obiecta tactus sunt magis necessaria præsenti uitę: ideo temperantia ponitur uirtus cardinalis, unde etiam ei attribuitur pulchritudo: quia moderantia dicit quandam proportionem, in qua consistit ratio pulchritudinis, & quia per delectationes tactus homo maxime natus est deturpari, quia sequitur naturam bestialē, ideo pulchritudo illarum moderantiæ siue temperantiæ attribuitur, sicut autē uirtus fortitudinis de cuius ratiōe est firmitatem præstare, præcipue consistit circa passionem pertinentem ad fugam malorum corporalium, scilicet timorem, ex consequenti autem circa audaciam, quæ aggreditur huiusmodi mala: ita temperantia, quę importat moderationem, primo consistit circa passiones tendentes in bona sensibilia,

quæ

quæ sunt concupiscentiæ & delectationes dictæ. Ex consequenti uero circa tristitias, quæ contingunt ex absentia talium delectationum.

1.2.ubi s.ar. 6.3.eth.ubi s. *Regula tēpantiæ sumēda ē a necessitate uitæ præsētis.* 2

Ratio enim eorum quæ sunt ad finem ex fine sumenda est, nam uirtus dirigit ad bonum rationis, quod maxime cōsistit in hoc quod aliqua ad finem ordinet. quia ergo omnia delectabilia sensus, quæ in usum hominis ueniunt ordinantur ad aliquam uitæ huius necessitatem, sicut ad finem: ideo temperantia a necessitate uitæ præsentis, sicut a fine sumit regulam delectabilium, ut scilicet tantum eis utatur, quantum necessitas uitæ huius requirit. Necessitatem autem huānæ uitæ non solum dico illam, sine qua humana uita esse non potest: sed etiam illam sine qua non potest conueniente esse. Temperatus ergo utitur etiam ijs, sine quibus humana uita esse posset. moderate tamen pro loco & tempore et congruentia eorum, quib. conuiuit, et conuenientia status & diuitiarum, dummodo non sint impeditiua sanitatis & bonæ habitudinis.

2.2.ubi s.ar.8 *Temperantia non est maxima uirtutum.* 3

Cum enim uirtus sit circa difficile & bonum dignitas uirtutis magis attenditur secundum rationem boni quam secundum rationem difficilis Et quia bonum multitudinis est diuinius quam bonum unius, quanto aliqua uirtus magis pertinet ad bonum multitudinis, tanto etiam est melior. Iustitia autem & Fortitudo pertinent ad bonum multitudinis: Temperantia autem moderatur

ratur concupiſcentias, quę ſunt circa ipſum hominē. & iō iuſtitia & fortitudo excedunt tēpantiā.

4 *Verecūdia et hōeſtas ſunt partes integrales tēpantiæ.* 2.2.q.143. ar.1.

Partes enim integrales alicuius uirtutis ſunt conditiones, quas neceſſario eſt concurrere ad uirtutem Quia ergo temperantia uendicat ſibi quendam decorem, & uitia contraria ei habent turpitudinem, ideo ad temperantiam neceſſe eſt conuenire uerecundiam, per quam aliquis refugit turpitudinē et honeſtatem, per quā amat pulchritudinē.

5 *Verecundia eſt timor ingloriationis.* 2.2.q.144.

Non enim eſt eſt uirtus, ſed paſſio laudabilis. nam repugnat perfectiōi, quia eſt timor alicuius turpis, & uirtus eſt perfectio quædam. ille enim qui eſt perfectus, non timet turpe, quia non reputat difficile ad uitandum, nec facit illud, quamuis ſit ita diſpoſitus, ut ſi in eo eſſet aliquod turpe uerecundaretur de illo. Turpitudo igitur quæ conſiſtit in uituperatiōe alicuius, quia habet rationem mali ardui, ſicut honor habet rationem boni ardui: & illud quod conſiſtit in deformitate actus uoluntarij, non habet rationem mali ardui, cum conſiſtat in poteſtate hominis, iccirco uerecundia quæ eſt timor turpitudinis primo reſpicit uituperium, & ingloriationem, quia uituperium debetur culpę ſicut honor uirtuti. Ex conſequenti reſpicit culpam ſecundum quod uituperio ſubiacet propter cuius timorem, uel deſinit homo uitioſa agere, quod pertinet ad erubeſcētiam, uel in turpibus, quæ agit ſe occultat, quod pertinet ad uerecundiam. Verecundia igitur proprie eſt timor ingloriationis, ſcd'm quod debetur culpæ.

p to.4.eth.c & lec.ult. s.t.

2.eth.c.6

Quod

Quod autem aliquis uerecundetur de opprobrijs quæ sibi inferuntur, ꝑpter uirtutem, est ex imperfectione uirtutis. De operibus autem uirtuosis non est uerecũdia nisi per accidens, scilicet uel inquantũ sc'dm hominũ opinionẽ reputãtur uitiosa uel inquantũ hõ refugit in eis notã pręsũptionis, uel simulationis. uerecundamur aũt magis a sapientibus & coniunctis nobis ꝗ̃ ab alijs, quia testimoniũ eorũ reputatur maioris põderis, uel ꝑpter rectitudinẽ iudicij uel, ꝑpter maiorẽ cognitionẽ quam habent de nostris defectibus. Ab ijs autem qui sunt nobis coniuncti in similitudine peccati non formidamus, quia non existimamus, ut defectum nostrum apprehendant, ut aliquid turpe. uerecundamur autem aliquando de paupertate, uel de ignobilitate, quia uituperium etiam respicit quemcunque defectum saltem secundum opinionem hominum. unde quamuis principalius uerecundia pertineat ad temperantiam, quam ad alias uirtutes, eo quod uitium intemperantiæ est uituperabile & turpissimum: secundum tamen quod uitia alijs uirtutibus opposita sunt turpia et exꝓbabilia, potest etiam uerecundia ad alias uirtutes pertinere. itaque uerecundia non est proprie uirtus, nisi accipiatur uirtus large pro quocunq; bono laudabili nec sufficit quod sit in medio secundum determinationem rationis, nisi sit etiam secundum electionem, quod non est in uerecundia: quia motus eius est ex impetu passiõis, cui opponitur uerecundia, quę procedit ex nimio amore turpitudinum, non apprehendens erubescibilia, ut turpia, prout accidit in ijs, qui in peccati

catis profundati sunt.

6 *Honestas est spiritualis pulchritudo, secundum quam conuersatio hominis est bene disposita secundum spiritualem rationis claritatem.* 2. 2. q. 145. per totum.

Honestas enim dicitur quasi status honoris, et ideo honestum dicitur quod est honore dignum: honor autem uirtuti debetur, & ideo honestas in idem refertur cum uirtute. Ad rationem autem pulchri concurrit qualitas & debita propoitio. Vnde ad pulchritudinem spiritualem requiritur conuersatio seu actio hominis bene disposita secundum rationem, quæ omnes res humanas moderatur, & hoc pertinet ad rationem honesti cū sit idē uirtuti quæ secundū rationem moderatur humana. Cum igitur pulchro opponatur turpe, q̃d' est maxime contra temperantiam, cui pulchritudo attribuitur: ideo honestas specialiter uidetur pertinere ad temperantiā, unde honestos dicimus eos, qui bene sunt dispositi in sua conuersatione, secundū actus temperātiæ, maxime circa actus uenereos: quāuis ēt honestas soleat accipi generaliter pro spirituali decore: unde radicaliter cōsistit in interiori electione: significatiue autem in exteriori conuersatione.

7 *Temperantia habet partes subiectiuas.* 2. 2. q. 143. ar. 1.

Species enim uirtutum specificantur secūdum diuersitatem materiæ uel obiecti. Delectationes autem, circa quas est temperantia, uel pertinent ad nutrimentum, & sic circa cibum est abstinentia, & circa potum sobrietas: uel ad uim generatiuam, & sic quantum ad delectationem princi-

M palem

palem est castitas. Quantum uero ad alias circumstantes delectationes, quę sunt in osculis, uel amplexibus, est pudicitia.

2. 2. q. 146. per totum. *Abstinentia est uirtus, quæ moderatur delectationes ciborum.* 8

Quia enim uirtus moralis conseruat bonum rationis contra impetus passionum, ideo ubi inuenitur specialis ratio, qua passio abstrahit a bono rationis, ibi necesse est esse specialem uirtutē. Delectationes autem ciborum natæ sunt abstrahere a bono rationis tum propter eorum magnitudinem, tum propter necessitatem ciborum, quibus homo indiget ad uitę cōseruationem, quam maxime homo desyderat, & ideo abstinentia est specialis uirtus secundum quam delectationes ciborum temperamus in ordine ad rationem, non autem in ordine ad ualetudinem corporis, quia hoc pertinet ad medicinam.

2. 2. q. 149. per totum. *Sobrietas est uirtus mensuram seruans circa potum uini, & omne, quod inebriari potest.* 9

Virtutes enim quæ ab aliqua generali conditione uirtutis nominantur, illam materiam specialiter sibi uendicant, in qua difficillimum & optimum est huiusmodi conditionem seruare: sicut fortitudo est circa pericula mortis: & temperantia circa delectationes tactus. Nomen autem sobrietatis sumitur a mensura: sobrius enim dicitur, quasi briam, id est mensuram seruans: & ideo illam materiam sobrietas sibi specialiter ascribit, in qua maxime laudabile est mensuram seruare,

huius-

huiusmodi autem est potus inebriare ualens, & usum rationis impediens, & ideo sobrietas est uirtus, que conseruat bonum rationis contra impedimentum potus. Accipitur tamen aliquando cõmuniter; prout mensura in omnibus dicitur, & hęc uirtus est maxime necessaria iuuenibus, in quibus uiget cõcupiscentia, & mulieribus in quibus non est sufficiens robur rationis & senibus & episcopis, & aliis ecclesiæ ministris, & regibus, quia in istis debet uigere maxime usus rationis.

10 *Castitas est uirtus temperans concupiscentiam uenereorum.* 2. 2. q. 151. ar. 1. 2. 3.

Nomen enim castitatis sumitur ex hoc, q per rationem concupiscentia castigatur, quę ad modum pueri est refrenanda, & ideo quia per rationem modificat concupiscentiam uenereorũ, quæ est eius specialis materia, oportet castitatem esse specialem uirtutem, & quamuis alia delectabilia indigeant castigatione, quia tamen uenerea maxime indigent huiusmodi castigatione, hinc est q antonomasice uirtus contra has concupiscentias dicitur castitas.

11 *Pudicitia ad castitatem specialiter ordinatur.* V bi su. ar. 4.

Nomen enim pudicitiæ a pudore sumitur, in quo uerecundia significatur, et ideo oportet quòd pudicitia sit circa actus uenereos: de quibus homines maxime uerecundantur: eo q motus genitaliũ membrorum non subduntur imperio rõnis uerecũdatur aũt homo non solũ de cõmixtiõe uenerea, sed etiã de quibuscunq; signis eius, circa q̃

proprie attenditur pudicitia, quia hæc exteriora ſigna magis ſolent deprehendi. Caſtitas autem magis reſpicit ueneream commixtionem, et ideo pudicitia ad caſtitatem ordinatur non quaſi uirtus ab ipſa diſtincta, ſed ſicut exprimens caſtitatis circunſtantiam quandam interdum tamen unum pro alio ponitur.

2.2.q.152. per to. *Virginitas eſt uirtus, ſecundum quam quis integer a uenerea delectatione proponit firmiter ſic perſeuerare propter contemplationem dei.* 12

Nomen enim uirginitatis a uirore ſumptum eſt, uirens autem dicitur, quod non eſt ex abundantia caloris aduſtionem expertum in ſuo uirore, unde uirginitas importat immunitatem a concupiſcentiæ aduſtione, ad quam integritas membri per accidens ſe habet, immunitas autem a delectatione, quæ conſiſtit in ſeminis reſolutione, ſe habet materialiter ad eam. Propoſitum uero perpetuo abſtinendi a tali delectatione formaliter: ſi ergo abſq; propoſito uoluntatis integritas mēbri corrumpatur, uel contra uoluntatem experiatur illam delectationem, carne officium ſuum faciente, non tollitur uirtus uirginitatis, ſi autem reſolutio ſeminis a uoluntate procedat etiam ſine concubitu, tollitur hæc uirtus. Quia ergo ubi eſt materia habens ſpecialem excellentiam, ibi inuenitur ſpecialis ratio uirtutis, unde magnificentia a liberalitate diſtinguitur, & conſeruare ſe immunem ab experimento uenereę uoluptatis, habet quandam excellentiam ſupra hoc, quod eſt conſeruare ſe immunem ab inordinatione talis uoluptatis,

ptatis,

ptatis,hinc est quod uirginitas est quædam specialis uirtus habens se ad castitatem,sicut magnificentia ad liberalitatem, si autem quis se abstinet a uoluptatibus præter rationem rectam, non agit secūdum uirtutem,& ideo oportet habere finem debitum,& ad illum talem abstinentiam ordinare,hic autem maxime est contemplatio diuinorum, & quamuis non omnis uirtuosus habeat uirtutem uirginitatis quantum ad materiale,habet tamen id,quod est formale. id est præparationem animi hanc integritatem seruandi: si hæc sibi competeret,uel competere possit: sicut etiam pauper habet magnificentiam in præparatione animi. Connexio autem uirtutum accipitur secundum illud,quod in eis est formale: hoc est secundum prudentiam: non autem secundum id quod est in eis materiale.

13 *Temperantia habet partes potentiales.* 2. 2. q.

Partes enim potentiales alicuius uirtutis principalis dicuntur uirtutes secundariæ, quæ modū, quem principalis uirtus obseruat circa aliquam principalem materiam illæ obseruant in quibusdam aliis materiis,in quibus non est ita difficile. Modus autem temperantiæ est moderatio quædam circa delectationes tactus,quas difficillimū est moderari: & ideo quæcunque uirtutes quandam moderationem important circa aliquam materiam, possunt poni partes temperantiæ, & sic continentia, quæ motus uoluntatis commotæ ex impetu concupiscentię refrenat ponitur 143.ar.1.

pars eius: & similiter humilitas, q refrenat spem & audaciam: & mansuetudo, quæ refrenat iram seu clementia, & modestia cum partibus eius, q moderatur actus corporales: de quibus omnibus est dicendum immediate.

2. 2. q. 155. per totum. *Continentia non attingit ad perfectam rationem uirtutis moralis.* 14

4. eth. c. et lec. ul. 7. eth. a principio usq; ad c. 14. lec. 11. s. t.

Continentia enim si proprie accipiatur, non est illa, per quam aliquis ab omni delectatione uenerea abstinet, sed per quam resistit concupiscentijs, quæ in eo uehementes existunt, habet ergo rationem uirtutis inquantum ratio firmatur contra passiones, ne ab eis deducatur. Non attingit autem perfectam rationem eius, quę consistit in hoc, ut appetitus sensitiuus ita subdatur rationi ut in eo non insurgant uehementes passiones rationi contrariæ, et quamuis hoc nomen continentiæ possit attribui cuicunque materiæ, in qua est bonum se refrenare, tamen principaliter illi materiæ attribuitur, in qua difficillimum & optimũ est se continere, & ideo continentia est proprie circa delectationes uenereas: & quia omnis uirtus in aliquo subiecto existens facit illud differre a dispositione, quam habet, dum subijcitur opposito uitio: & concupiscentia eodem modo se habet in continente, & in incontinente, & similiter etiam ratio: quia uterq; habet rationem rectam, patet q continentia non est nec in concupiscibili, nec in ratione, sed in uoluntate: quia prima differentia, per quam differt ab incontinentia est electio: eo quod continens eligit non sequi-

sequi cõcupiscentias, quas eligit incontinens, nõ obstante contradictione rationis. Quia ergo temperantia plus habet de bono rationis, & de ratione uirtutis, quã continentia, ideo est melior ea: & continentia comparatur ad illam, sicut imperfectum ad perfectum.

15 *Clementia & mansuetudo sunt diuersæ uirtutes.* *2. 2. q. 157. per totum. 4. eth. c. 12. lec. 13. 2. reth. c. 3.*

Cum enim ex passione iræ prouocetur animus ad inferendum grauem pœnam: ad clementiam pertinet directe quod sit diminutiua pœnarum: & ad mansuetudinem quod refrenet impetum iræ, & sic patet quod & si hæ duæ uirtutes concurrant in eundem effectum, tamen sunt differentes: inquantum ergo subijciunt appetitum rationi rectę, uirtutes dicuntur: inquantum uero sunt circa materiam, quæ facilius subditur rationi, quã materia cõcupiscentiæ, sic adiunguntur temperantiæ, sicut secundariæ principali: cum qua in modo, non in materia conueniunt, & dicuntur aliquando maximæ uirtutes, quia mansuetudo refrenat iram, quæ maxime impedit rationem: & sic facit hominem compotem sui. Clementia uero in hoc, quod diminuit pœnam, uidetur maxime pertinere ad charitatem, per quam bona proximis operamur, & mala impedimus: sunt ergo potissimę uirtutes secundum quid, non autem simpliciter.

16 *Clementia ab epijceia differt.* *2. 2. ubi su. ar. 3. primum.*

Diminutio enim pœnarum secundũ intentionẽ legislatoris, non respiciendo uerba legis, pertinet ad epijceiam, sed moderatio affectus per quã

homo non utitur sua potestate in inflictione pœnarum propter aliqua consyderata particularia; decernens hominem non esse magis puniendum pertinet ad clementiam.

2.2. Vbi su. ar. 2. primum. *Seueritas non est contraria clementiæ.* 17

Seueritas enim est uirtus, secundum quam homo est inflexibilis circa exteriorem inflictionem pœnarum, quando hoc recta ratio requirit. Clementia autem diminuit pœnas secũdum rectam rationem, scilicet quando & quomodo oportet. Cum ergo ambæ sint secundum rationem rectã, & non sint circa idem: patet ꝙ non sunt contrariæ, secundum enim diuersas circunstantias oportet diuersimode operari secundum rationem: similiter non est contraria mansuetudini, quia mãsuetudo est circa iras, seueritas uero respicit exteriorem inflictionem pœnarum, et sic non sunt circa idem, & utraq; est secundum rationem certã.

2. 2. q. 160. per totum. *Modestia est uirtus quæ moderatur non multum difficilia moderari in actionibus moderandis.* 18

Vbicũq; enim est aliqua uirtus specialiter circa aliquod maximum, oportet esse aliam uirtutem circa ea, que mediocriter se habent, eo ꝙ oportet quantum ad omnia uitam hominis secundum uirtutem esse regulatam: quia ergo temperantia est circa ea, inq̃bus difficillimũ est moderari, oportet ꝙ sit alia uirtus circa alia mediocria, in quibus non est ita difficile moderari, & hæc uocatur modestia, quę est annexa temperãtiæ, & quia quoddã spãle bonũ consyderatur in moderatione pœna-

pœnarum, iõ mansuetudo & clementia fuerunt subtractæ a modestia, & sic modestia erit circa omnia quæ relinquunť moderanda a tẽperantia, & clementia, & mansuetudine, ut sunt motus animi ad excellentiam, uel desyderium cognitionis, & exteriores motus corporis, & exterior apparatus & q̃uis modus obseruet in qualibet uirtute, tñ appropriatur hoc nomen isti uirtuti, quia in rebus minimis uersatur, quasi solum habens nomen commune absque alia excellentia.

19 *Humilitas est modestia, quæ refrenat animum ne immoderate tendat in excelsa.* 2.2.q.161. *quasi p totũ.*

Circa appetitũ.n. boni ardui necessaria est duplex uirtus. Vna quæ refrenat animũ ne immoderate tendat ad excelsa, & hæc est humilitas. Alia uero quæ impellat ipsum ad prosecutionẽ magnorum sc̃dm rõnem rectã, & hæc est magnanimitas. Cognitio ergo ꝓprij defectus pertinet ad humilitatem, sicut regula quædam directiua appetitus, sed in ipso appetitu cõsistit humilitas essentialiter, et iõ quilibet hõ consyderans ꝓprium defectũ in se, et id quod est donum dei in altero, se debet alteri subijcere, q̃uis absq; præiudicio humilitatis possit se alteri præferre, si cõsyderet donum dei in se esse maius q̃ donum dei in altero et multo magis si comparet donum dei in se ad defectum alterius qui est in illo. Quia autem humilitas facit hominẽ subiectum uniuersaliter q̃tum ad omnia ordinationi rõis & iustitiæ: & aliæ uirtutes solum quantũ ad aliquã specialem materiã idcirco post iustitiã dicitur potissima uirtutum.

Remouet enim prohibens omnẽ subiectionem, quod est superbia: & quia ut dictum est, habet refrenare appetitum, est pars temperantiæ contenta sub modestia.

2.2.q.166. per to. *Studiositas est uirtus, quæ refrenat animum, ne immoderate in rerum cognitionem tendat.* 20

Studium.n. importat uehemẽtem applicationem mẽtis ad aliquid. mens aũt nõ applicatur ad aliquid nisi cognoscendo aliquid, unde per prius mens applicatur ad cognitionem, quam ad ea, in quibus per cognitiõem dirigitur, uirtutes autem proprie sibi attribuũt illam materiam: circa quã primo & principaliter sunt: & ideo studiositas proprie est circa cognitionẽ. quia enim homo naturaliter desyderat scire & cognoscere, uirtus studiositatis facit hominem habere appetitum rectũ applicandi uim cognoscitiuã sic uel aliter ad hoc uel ad illud: unde essentialiter habet refrenare immoderatum appetitum circa cognitionem: quãuis etiam laus eius consistat in uehementia intentionis ad scientiam perdiscẽdam, ne timeat labores, a qua etiam uehementia nominatur, & quia primum est sibi essentialius, ideo ratiõe illius ponitur pars temperantiæ contenta sub modestia.

2.2.q.168. ar.1. *Ornatus & bona habitudo seu ordinatio sunt uirtutes circa motus corporis exteriores.* 21

Decor enim honestatis pertinet ad uirtutem. Compositio autem in exterioribus motibus pertinet ad decorem honestatis, sunt enim per ratio-

nem

nem ordinabiles, cum ad imperium rationis exteriora membra moueantur. Possunt ergo ordinari recte secundum conuenientiam personæ. & circa hoc est uirtus, quæ dici potest ornatus, uel secundum conuenientiam ad exteriores personas et negocia, seu loca: & circa hoc est uirtus, quæ dici potest bona habitudo, seu bona ordinatio, ornatus autem potest reduci ad uirtutem, quæ dicitur ueritas: inquantum exteriores motus sunt signa interioris dispositionis, et bona habitudo ad amicitiam seu affabilitatem: inquātum tales motus ordinantur ad alterum.

22 *Eutrapelia seu iucunditas est uirtus circa ludos.* *ubi su. ar. 2. 3.4.4. eth. c 15. lec. 16. s. t*

Sicut enim homo indiget corporali quiete ad corporis refocillationem, ita etiam & quiete spirituali indiget ad refocillationem animi, eo quod habet uirtutem finitam, & laborat anima tam in speculatiuis quam in practicis, quādo intenta est operibus rationis, & ideo indiget remedio per aliquam delectationem intermissa intentione rationis, hoc autem fit per ludum, & quia potest aliquis excedere in ludo uel etiam esse remissus nimis, oportet aliquam uirtutem esse, quæ modum in ludo ponat, ut scilicet non quæratur in reb. uel operibus, in uerbis aut uocibus turpibus: et ne totaliter soluat grauitatem animæ, & quod conueniat personæ, tempori & loco, & fiat secundum alias debitas circunstātias, hæc aūt uirtus dicitur eutrapelia, seu iucunditas, seu bona cōuersatio, & reducitur ad temperantiam & modestiam.

Humili

2.2.q.169. ar.1. *Humilitas per se sufficientia & simplicitas sunt uirtutes circa exteriorem apparatum.* 25

Poteſt.n.eſſe uitium in exteriori apparatu, & maxime in ornatu ueſtium, uno modo per comparationem ad conſuetudinẽ hominũ, cum quib. hõ conuiuit, quia non facit ſcd'm conſuetudinem alio modo propter immoderatũ affectũ, utputa, quia per hunc ornatũ quærit gloriã hominũ, uel quærit delitias: uel quia nimiam ſollicitudinem apponit, uel etiam per negligentiam cultus: per quem etiam aliquando homo quęrit inanem gloriam: humilitas ergo excludit intentionẽ gloriæ: & per ſe ſufficientia intentionẽ delitiarum: et ſimplicitas nimiã ſollicitudinẽ. oportet.n.in omnib. tenere medium, & conformari morib. bonis aliorũ. De tẽperantia ergo, et uirtutibus ei annexis, deniq; de omnib. uirtutibus moralibus hæc breuiter dicta ſint.

Explicit liber octauus de tẽperantia.

Poſtilla in librum octauum.

VLtima uirtutum cardinalium ſeu principalium eſt temperantia, ideo determinat author de illa poſt alias, determinat inquam de illa ſcd'm ſe, & de partibus eius, tam integralibus quam ſubiectiuis et potentialibus, ſic.n. perfecte determinatur de illa. Quo ad ipſam uirtutem temperantiæ primo declaratur natura ſiue ſubſtantia eius in prima concluſione, quia habet quandam regulam declaratur ſecundo unde ſumatur eius re

gula

gula in secunda. tertio comparatur ad alias uirtutes ut melius innotescat in tertia. Quo ad partes integrales quæ sunt primæ inter alias primo assignantur ei duę in quarta: scilicet uerecundia et honestas: secūdo declaratur prima earum in quinta: & tertio, secunda in sexta. Quo ad partes subiectiuas quæ sequuntur integrales: primo assignantur ei in communi tales partes in 7. secundo declarantur in speciali singulæ, scilicet abstinentia in 8. sobrietas in 9. castitas in 10. cui addit pudicitia tanquam ad illam pertinens quam declarat in 11. & demum uirginitas in 12. hæ oēs sunt partes subiectiuæ tēperantiæ. Quo ad partes potentiales, primo assignantur ei in cōi: ut dictum est de partib. supradictis in 13. secundo explicantur in speciali singula & declarantur singulis conclusionibus. primo quidem continentia in 14. secundo clemētia & mansuetudo simul in 15. propter conuenientiam earꝫ, quarū prima cōparatur seueritati in 16. & epijceię in 17. ut magis innotescat tertio modestia in 18. & quia habet plures species, declarātur consequenter. prima est humilitas interior quæ declaratur in 19. secunda est studiositas quę declaratur in 20. nā & ipsa respicit interiorē animū. tertia & quarta sunt ornatus & bona habitudo quæ respiciunt exteriores actus corporis licet diuersimode, & declarantur simul in 21. quinta est Eutrapalia, quæ declaratur in 22. & hæc respicit ludos. sexta est modestia, in exteriori apparatu, quæ plura concernit & declaratur quo ad omnia in uigesima tertia.

Incipit

INCIPIT LIBER NONVS DE OECONOMICA.

1.pol.c.1.lec 1.s.t. Homo est animal sociale.

Homo enim non est sibi soli sufficiens ad omnia, quæ pertinent ad necessitatem humanæ uitæ, nam cum natura cæteris animalibus prouiderit in necessarijs ad uitam ministrando eis cibum, & pilos præbendo ad defensionem a frigore, & cornua ad pugnandum, & cætera huiusmodi necessaria: homini solum dedit ratiõem, per quam potest sibi hęc officio manuum prępatare. Ad hæc autem omnia præparanda unus homo non sufficit. Præterea natura dedit cæteris animalibus instinctum naturalem ad cognoscendũ utilia & nociua: unde ex instinctu naturæ ouis fugit lupum, & quædam animalia cognoscunt herbas medicinales: homini autem dedit lumen rationis, per quod possit sibi talem cognitionem acquirere, unus autem homo non sufficit ad hæc omnia cognoscenda, & maxime particularia, quę sunt minus certa, quam uniuersalia, oportet igitur simul conuiuere, ut unus homo adiuuetur in his ab alio, huius autem signum est ipsa loquela homini attributa, per quam potest alter alteri conceptum suum exprimere distincte et particulariter frustra autẽ esset. si homines non simul cõuiuerent

uiuerēt et iō ille hō, qui est solitarius, aut deus est, id est ualde deo coniunctus, & per consequens sibi sufficiens, & plus quam homo: aut bestia, qui cum non sibi sufficiat, non habitaret solus, nisi in eo facta esset aliqua corruptio eorum, quæ ad naturam humanam pertinēt: & maxime corruptio cognitionis naturalis.

2 *Prima societas est combinatio maris & fœminæ.* 1.poli.c.1. 1.œco

Hæc enim societas est homini a natura, & nō ex electione. Nam non competit homini inquantum homo sic coniungi, sed competit ei secundū rationem communem sibi et alijs animalibus ac etiam plantis immo omnibus rebus, quibus est communis appetitus generandi propter conseruationem speciei: & sine ista aliæ societates esse non possunt, nisi enim esset generatio hominum, nulla societas uel communitas fieri posset: hæc ergo est prima societas.

3 *Secunda societas est combinatio domini & serui.* 1.poli.ubi s.

Natura. n. non solū præparat necessaria ad generationem, sed etiam necessaria ad conseruationem & salutem generatorum. Prima ergo combinatio est propter generationem. Secunda uero ꝓpter salutem, quę est combinatio domini et serui, sine qua prima bene esse non potest.

4 *Tertia societas est combinatio parentum & filiorum* 1.pol.c.2 lec.2.s.t

Præparatis enim omnibus, quæ ad generationem pertinent, nihil aliud restat nisi, ut generatio fiat, & sic post combinationē dñi & serui sequitur

tur combinatio parentum & filiorum, qui relinquuntur possessores seu hæredes parentum.

1.poli.c.1 lec.3.s.t. *Combinatio domini & serui est naturalis.* 5

Naturaliter enim uigentes intellectu sunt aliorum domini, qui deficiunt intellectu. Cuius signum est, quia uidemus quod natura corpora robustiora tribuit deficientibus intellectu, quasi ijs qui debeant seruire, & uigentibus intellectu dat corpora delicata, quasi ijs qui debent imperare. Quando ergo plura ordinantur ad unum, oportet unum illorum esse regulans et alia regulata, sicut uidemus in membris corporis, in quibus cor est mouẽs: & in animalibus anima est regens corpus, & ideo naturaliter oportet unum hominem alium regere, & ab alio regulari, ut sibi inuicem auxilium præstent, unde domini non possunt esse sine seruis competenter, nec ecõuerso, quia isti nõ regularentur: & illi non possent omnia sibi necessaria præparare.

1.poli.c.4. lec.2.s.t. *Seruitus a legibus introducta, est iusta secundum quid.* 6

Secundum leges enim cõstituitur, quod capti in bello sint serui capientium: hoc autem non est iustum secundum suam naturam, quia potest cõtingere sapientem a stulto capi. Est autem iustum ex commodo boni communis, cui expedit ut homines fortiter pugnent, aliter peruei si homines multiplicarentur: ut ergo fortius pugnent, cõstituitur, ut si qui capiunt, aliquos eis pro seruis utantur: unde etiam sapientes debent hanc legem

seruare,

seruare,& seruire eis, a quibus capiuntur, quia bonumcommune non est infringendum propter bonum proprium.

7 *Domus est communitas naturalis.* 1. poli. c.

Illud enim quod ex partibus naturalibus constituitur est naturale. Sed domus ex illis supra enumeratis combinationibus naturalibus tanquam ex partibus constituitur, est ergo communitas naturalis. 1. lec. 2. s. t.

8 *In domo uir unus debet principari.* 1. poli. c.

Expedit enim in ijs, quae ex pluribus constituuntur unum esse regulans & alia regulata, quia cum omnia particularia secundum se tendant ad bonum particulare, bonum commune seruari non poterit, nisi aliquis ipsum respiciat et ordinet omnia ad bonum commune, & ideo sicut expedit homini, ut reguletur a ratione, ita inferioribus in domo expedit, ut a superiori regulentur: id est ab eo, qui maxime uiget intellectu. Hic autem est uir, nam uir magis intellectu uiget quam foemina: & pater filijs tanquam senior: & dominus seruis tanquam regulans, possessiones autem etiam seruis subijciuntur, sicut res inanimatae & irrationales homini. 4. lec. 5. s. t.

9 *Differenter uir principatur in domo.* 1. poli. c.

Mulieri enim principatur politico principatu quia nō habet plenam potestatem super uxorem quantum ad omnia, sed secundum quod exigit lex matrimonij, & est principatus similis, quādo aliquis eligitur in rectorem ciuitatis: qui non 4. lec. 5. Item lec. 10. s. t.

 habet

habet poteſtatem plenarium,ſed ſolum ſecũdum ꝙ exigunt ſtatuta: unde non debet uti coniuge ut ſeruo,quia etiam natura non determinat unum inſtrumentum ſingulare niſi ad unam operationem,ut oculum ad uidendum ,& aurem ad audiendum,& ſic de alijs, ſuper filios autem principatur regali principatu,quia habet plenam poteſtatem ſuper eos: ſic tamen quaſi ſuper liberos ſicut rex principatur ciuibus tanq̃ liberis ſuper ſeruos autem principatu deſpotico , quia ſuper eos habet pleniſſimam poteſtatem , tanq̃ ſuper eos qui non ſunt liberi.

1.poli.c. 3.lec.3 5.t. *Hi principatus ſunt naturales.* 10

In natura enim ſemper illud,quod eſt principalius principatur ſicut in homine ratio , & in membris cor. In domo autem uir eſt principalior fœmina,& filijs & ſeruis: & magis uiget intellectu,ut dictũ eſt , unde tales principatus ſunt naturales , omne enim imperfectum naturaliter regulatur a perfecto: & ideo non uariantur ſicut in ciuitate,in qua aliquando ille,qui principabatur principatu politico,efficitur poſtea ſubditus, unde principatus , quo uir principatur mulieri differt a politico , quia politicus uariatur multũ in nominibus,ſermonibus & honoribus , ſecundum ꝙ ille,qui prius erat ſubditus fit dominus & econuerſo, quod non contingit in principatu uiri reſpectu mulieris.

1.poli.c. 8.lec.10. 5.t. *In principatu iſto debet eſſe ordo præcipuus.* 11

Oportet enim quod reſpiciat primo finem totius

tius familię, & totius domus, qui maxime est beatitudo, & bonum ciuitatis, & ordo & pax familiæ, & ideo primo debet intendere ad regimen hominum q̃ possessionum & iumentorum: & debet magis uacare gubernationi liberorum, q̃ seruorum propter cõmune bonum ciuitatis, ad quam domus ordinatur tanquàm pars ad totum. & super omnia debet magis procurare, ut bene uiuant, quàm ut habeant diuitias.

12 *Virtus debet esse tam in principante, quã in subdito.* *Vbi su.*

Bene enim principari & bene subijci non est paruæ uirtutis. Virum enim (ait Bias) principatus ostendit, unde nullus poterit bene principari sine uirtute, nec aliquis bene subijci sine uirtute humilitatis cum cæteris adiunctis.

13 *Virtutes principantis & subditorum non sunt eiusdem rationis.* *Vbi su.*

Oportet enim in principante esse prudentiam & rationem esse bene consiliatiuam & perfecte, sed seruus inquantum huiusmodi non debet consiliari de suis actibus, quia non cõsiliamur nisi de ijs, quæ sunt in potestate nostra. Mulier aũt propter mobilitatem & debilitatem suę naturæ non habet ualidũ consiliũ, & si aliquando bonum habeat consilium, cito recedit ab eo, Pueri aũt imperfectum habent propter imperfectũ usum rationis. Non enim in iuuenibus est prudentia, ꝑpter inexperiẽtiã. Ex parte aũt appetitus oportet patrem familias habere uirtutẽ fortitudinis ad principandũ, ut non prætermittat hoc bonũ propter

aliquem timorem, ſubditi debent fortitudinem habere ad miniſtrandum ut ab hoc non recedant propter timorem, ſinguli ſecundum gradum ſuum. Ad mulierem quoque pertinet ornatus, honeſtas, taciturnitas, uerecundia. Ad filios autem quod non regantur ſuo ſenſu, ſed obediant pædagogo, qui adhuc ſubijcitur alteri. Et ſeruus debet diſponere actus ſecundum imperium domini ſui. Et ſic diſcurrendo per omnes uirtutes inuenies quod non ſunt eiuſdem rationis uirtutes principantis cum uirtutibus ſubditorum. In principante enim ſunt principatiuæ, in ſubdictis autẽ miniſtratiuæ.

1. poli. c. 2. lec. 2. 5. t. *Seruus eſt organum animatum actiuum ſeparatum alterius homo exiſtens.* 14

Illa enim quæ ſunt in domo ad uſum familiæ organa uocamus & inſtrumenta non quidem factiua inquantum ſunt domus, quia inquantum huiuſmodi non ſunt facta ad operandum in exteriorem materiam quod ratio factionis exigit, ſed actiua hoc eſt ad uſum ſolum, ſeruus igitur, qui ordinatur ad uſum domini eſt inſtrumentum animatum, qui eſt ſuper alia inſtrumenta domus, ſiue ſint animata, ut iumenta ſiue inanimata, ut ſunt cætera, quę ſunt in domo, ipſe enim utitur eis, & mouet ea, eſt autem actiuũ inſtrumentum, hoc eſt ad uſum domini, ſeparatum dicitur ad differentiam manus, & aliorum membrorũ, quæ ſunt organa animata coniuncta, homo dicitur ad differentiam iumentorum, alterius: ad differentiam liberorum.

Opti-

15 *Optimum genus seruorum ad opus faciendũ est quod neque timidum est, neque nimis ferox.* 1. œco.

In utroq; enim horum genere peccatum est, nam nimis timidi non ferunt laborem, & ferocibus non commode imperatur, utrumque tamen est necessarium in domo, scilicet & quod seruus labores ferat in operando, & quod principans libere possit ei imperare ad seruitia peragenda, utile tamen est eis libertatem proponere: libenter enim labores subibunt, si propositum premium conspexerint.

16 *Opus cibus & castigatio sunt necessaria seruis.* 1. œco.

Cibus enim sine castigatione & opere reddit seruum petulantem, opus autem & castigatio sine cibo uiolenta res est, & infirmum facit seruũ. Restat ergo ut opus faciendum illi tribuat: & cibum sufficientem, quoniam sine mercede laborandum nõ putant, merces autem serui cibus est. Castigationem quoque cum oportet addere uerbo & opere debet, sic tamen, ut cum expedit & indulgere & permittere singula secundum merita sciat, & liberalioribus honorem impendere.

17 *Distinctæ sunt curæ uiri & uxoris in domo.* 1. œco.

Et primo quidem, quo ad prolem, quia alterius est educare, & alterius erudire, uxoris quidem educare, uiri autem erudire, quo ad res uero debet uir intendere exterioribus, mulier autem, si tamẽ proba sit, dominari omnibus, quæ sunt intus: curamq;

curamq; habere eorum: sic tamen ut non permittat quenquam ingredi sine præcepto uiri. Et debet uterq; inspicere diligenter negocia & maxime uir, cuius est principalior cura domus, uerum hoc faciendum est in exilioribus quidem administrationibus raro: in grandioribus autem, quorum cura alijs committitur sæpe, nisi enim in huiusmodi diligentia bonum de se exemplum præbuerit, non existimet habere imitationem diligẽtiæ nec in re familiari, nec in alijs, quoniam impossibile est non diligentis domini diligentes esse uicarios, unde prius expergisci decet dominum quam seruum, & cubitum ire posterius: nec unquam incustoditam relinquere domum, quemadmodum nec urbem decet esse incustoditam, nec de die, nec de nocte: & debet surgere ante lucem: quod & ad sanitatem & ad curam rei familiaris et ad philosophiam quamplurimũ prodest, scire autem omnia, quę intra ædes fiunt, quorum curam habet mulier, est indecens uiro: non tamen est ita turpe ei quicquam facere eorum, quæ domi sunt, sicut mulieri, quæ sunt foris perquirere.

1. œco. *Viri ad uxorem debet iniuria cessare.* 18

2. œco. Si enim cessabit, nec ipse iniuriam patietur. Et quia iniuria uiri est externarum mulierum copula, ideo ab hoc debet summe cauere, maximus namq; honor est sobriæ mulieri si cernat uirum suum obseruãtem sibi castitatem, nec de ulla muliere magis cogitantem, sed præ cæteris omnibus hanc tanquam suam & fidam sibi existimãtem:

tem : tanto enim magis ſtudebit mulier ſe talem præſtare, quanto ſe cognouerit fideliter ac iuſte à uiro diligi, appropinquandum tamen eſt uxori cum magna temperantia & modeſtia : debetq; eſſe pudor in uerbis : in operibus uero fas atque honeſtas : in conuerſatione autem fides & moderatio.

19 *Nihil prætermittendum eſt uiro, quod ad uxoris pertineat diſciplinam, ut quantum fieri poteſt optima filios generet.* 2.œco.

Nam agricola quidem nihil omittit facere, q̃ ſemen in optima terra & maxime exculta ſerat, ſperans inde fructus optimos recepturum. Si ergo tãta adhibetur cura pro corporis eſca, quid pro liberis & matre educatrice eſt agendum? Quid enim ſanctius uiro eſſe poteſt, aut circa quę magis uir ſanæ mentis ſtudere debet, quam ex optima laudatiſſimaq; muliere filios procreare, ſenectutis ſuæ quaſi optimos paſtores, patris & matris reuerentes cuſtodes : ac totius domus ſeruatores? hoc etiam ſolo, conditio mortalis hominum per ſucceſſionem, ſempiternitatem cõſequitur, omniaq; parentum uota huc tendunt.

20 *Mulier debet uirum ſuum diligere, timere, in honore habere, & illi obedire.* Vbi ſu.

Diligere quidem & timere cum uerecundia, & pudore, hoc enim ingenuæ mulieris eſt erga proprium uirum, honorare uero, ut nullo modo contemnat, & ſi quid perturbatione animi deliquerit, non debet illud mulier memo-

fiter tenere: sed ægritudini, ignorant itaque ascribe-
bere, debet enim eum superiorem recognoscere,
supiori autem debetur honor, & eadem ratione
debet illi obedire, licet enim de ijs, quæ sunt intus
habeat ipsa disponere ut dictum est supra: in cæ-
teris tamen parere uiro debet, nec sine eo aliquid
tractare de ijs, quæ ad connubia spectare uiden-
tur: sed cum tempus poscit filias nuptui tradere,
aut nurum accipere, in his penitus obediat uiro:
sicque una cum illo deliberet, ut scientiam uiri se-
quatur. existimans mores uiri sui esse legem uitæ
suæ, impositam sibi a Deo per legem matrimo-
nij, si quid tamen turpiter imperat: ab huiusmo-
di cauere debet, in alijs uero magis obtemperare,
quam si empta uenisset in domum, magno enim
prętio empta fuit, societate scilicet uitæ, & procre
atione liberorum, debet autem non solum in pro
speris, sed etiam in aduersis unanimem se præsta-
re uiro & inseruire uelle. Et si sit in rebus defectus
uel ægrotatio, uel alienatio mentis, æquo ferat a-
nimo, & obsequatur, nisi sit aliquid turpe] & in-
dignum, prosperitatis enim facile est reperire par
ticipes, aduersitatis uero nisi sint optimi, partici-
pes esse renuunt.

Vbi su. *Inter uirum & mulierem debet uigere concordia.* 21

Cum enim hoc contingit, inimici eorum an-
guntur plurimum: amici uero lætantur, hanc
autem concordiam debent habere præcipue in
gubernatione filiorum, ut secundum uirtutem
educantur. Quibus & bonum exemplum ui-
tæ præstare debent. Si enim secus egerint,
relin-

relinquunt eis excusationis causam euidentem, timendumque est ne contempti a filijs, quasi non bene uixerint in senectute deserantur, debet & concorditer omnem curam parentibus exhibere uir quidem parẽtibus uxoris, non minus quam proprijs: uxor autem uiri, deinde amicorum rerum, & totius domus tanquam communis, curam habeant, seipsos studio ac diligentia superare certantes, ut quisque sit author multorum bonorum & causa meliorque existat.

22 *In domo oportet esse despoticam, possessiuam, pecuniatiuam, & oeconomicam.* *1.poli.c.5. lec.5.itẽ c.6. et 7.et lec.6 & 7.s.t.*

Necesse est enim principantem habere scientiam et dispositionem ad dominandum seruis, quę pertinent ad despoticam, quia regulans debet uigere intellectu, ut dictum est, & quia domus non potest esse sine necessarijs ad uitam, quę maxime habẽtur ex possessionibus recte gubernatis, et ẽt ex acquisitiõe pecuniarum, ideo necesse est in domo esse artem possessiuam & pecuniatiuam. Quoniam autem ea quæ sunt ad uitam necessaria nisi recte & ordinate secundum gradum uniuscuiusque dispensentur: generabitur confusio in domo: ideo necesse est ibi esse œconomicam, quę est ars bene dispensandi.

23 *Despotica non est scientia.* *1.poli.5. quasi p to. et lec.5. s.t.*

Non enim sufficit ad hoc quod aliquis despoticus sit, quod habeat scientiam recte gubernandi seruos, sed oportet etiam quod ita sit dispositus a natura uel a lege, unde despotica est dispositio

tio ſecundum naturam uel legem, qua aliquis eſt diſpoſitus ad dominandum ſeruis, non eſt ergo ſcientia, ſed ſcientiam præſupponit,

1.poli.c.6. itē c.8.et lec. 6.&8.s.t.

Poſſeßiua eſt naturalis. 24

Poſſeſſiua.n. eſt ars acquiſitiua cibi, uidemus autem quod natura omnibus animalibus præpa rauit cibos etiam in prima eorum generatione. Si ergo brutis animalibus in hoc ꝓuidit multo ma gis homini, unde fructus terræ, et carnes quorun dam animalium terreſtrium et aquaticorum præ parauit natura ad cibum hominis, ſed magis na turalis cibus ſunt fructus terræ, qui ad animalia ordinantur, unde ars poſſeſſiua eſt magis natura lis quam piſcatoria uel uenatoria. hæ enim a natu li aliqualiter recedunt tanquam talis cibus ſit mi nus nobis a natura paratus ſed magis ab arte. Terra aūt uidetur nobis ſponte cibum afferre.

ubi ſupra.

Poſſeßiua non eſt infinita. 25

Non enim uult in infinitum acquirere cum ſit acquiſitiua diuitiarum, quę ſubueniunt neceſſita ti naturę: ſed finita eſt, quia neceſſaria naturæ ſunt finita, cum natura ſit paucis & minimis conten ta: item cum ſit naturalis & natura non tendat ad infinitum, patet quod nō eſt infinita, unde etiam nullius artis inſtrumenta ſunt infinita, nec ſecun dum multitudinem, nec ſecundum quantitatem continuam.

1.poli.c.6. lec.7.itē c.7 lec.8.s.t.

Pecuniatiua non eſt naturalis. 26

Pecuniatiua

Pecuniatiua enim est ars ad inueniendum multitudinem pecuniarum, pecunia autem est inuenta propter commutationes. Nam cum homines prius commutarent res pro rebus, ut uinum pro grano, & necesse esset aliquando res aliquas necessarias a partibus longinquis deferri, essetque nimis laboriosum res transferre ad commutationes faciendas, cœperunt pro rebus metalla deferre, deinde a lege figurata sunt, & instituta ut esset tanti uel tãti ualoris, uidentes aũt hões quod ex translatione pecuniarum ad diuersas partes lucrabantur, eo quod plus ualebant in una regione quam in altera, cœperunt ab auaritia ducti ex pecunijs uelle lucrari: patet ergo quod tale lucrum non est naturale, nec secundum legem, quę inuenit pecuniam propter commutationes faciendas, & non propter lucra, unde usura maxime est præter naturam, & contra legem naturalem, quæ consistit in æqualitate. Lucrum ergo pecuniæ, siue ars ad cumulandum pecuniam necessariam in domo, non est a natura, quasi naturale lucrũ uel fructum præbeat, sed a ratione et lege propter commoditatẽ hominum & oportunas commutationes faciendas.

27 *Pecuniatiua ordinatur ad possessiuam.* ubi s.

Possessiua enim ut dictum est, quærit cibum & diuitias naturales, & pecuniatiua diuitias artificiales. Sicut ergo diuitiæ artificiales sunt ordinatæ ad naturales, ita & pecuniatiua ad possessiuam: unde sicut possessiua est finita, ut dictum est supra. ita & pecuniatiua finita esse debet.

Pecuniatiua

1.poli.c.7. lec.8.s.t *Pecuniatiua inordinata est infinita.* 28

Inordinatam ipsam dico quando non ordinat pecuniarum acquisitionem ad diuitias naturales habendas tanquam ad proximum finem, infinitam uero, quia quærit pecunias absque ullo termino. si enim esset ordinata, tot quæreret pecunias, quot sufficerent ad diuitias naturales habendas, quarum acquisitio finem habet, ut dictum est. Sed quando ponit finem in pecunia, propter se amat pecuniam, & quia finis & illud quod propter se quæritur quanto semper est maius, tanto etiam semper plus amatur & plus quæritur usque in infinitum, eo quod amor finis modum non habet, hinc est quod pecuniatiua inordinata quærit pecunias absque ullo termino, quia crescit amor nummi quãtum ipsa pecunia crescit. Vnde pecuniatiua ordinata est laudabilis, utpote ad bonum finẽ ordinata, inordinata uero uituperabilis, utpote ponens finem in pecunia.

1.poli. ubi s. *Pecuniatiua inordinata est maxime nociua communitati.* 29

Primo enim nocet domui, tum quia pecuniatiua inordinata solum uacat acquisitioni pecuniæ tanquam fini, & non curat de bona uita in se nec in sibi subiectis, unde cõtingit ut non bene uiuãt in domo, sed secundum prauos appetitus, tum quia introducit species malas pecuniatiuarum in domo, ut usuram, uel alias huiusmodi species, nam pecunia debet acquiri per commutatiõem

rerum

rerum, sicut ad hoc inuenta est, & in hoc etiam tangitur bonum commune ciuitatis, quod multo magis destruit, quia inducit abusionem officiorum & artium in ciuitate propter amorem pecuniæ, itaque patet quod pecuniatiua inordinata est ualde nociua.

30 *Oeconomica debet esse ordinata.* *ex lo. ubi s.*

Hæc enim est ars dispensandi pecuniã & alias diuitias, non oportet autem æqualiter omnibus dispensare, sed proportionaliter, ut dictũ est supra de iustitia distributiua, unde ordo domus ostendit sapientiam gubernatoris: quia sapientis est ordinare. quatuor igitur debet habere paterfamilias circa diuitias, scilicet illas querere, quęsitas tueri, illis ornari et frui, ac eas bene dispẽsare, primũ quidem, quia sunt necessariæ ad sustentationem uitæ, tam sui quam suorum. secundum eadem ratione, quia nihil prodest illas acquirere nisi conseruentur. tertium quia huius rei gratia expedit illas habere & ad hoc sunt utiles & ordinatæ. ornatur autem illis et fruitur si sumptus opportune cũ decore faciat, si ea quæ pertinent ad commoditatem suam inde sumpserit, illarumq; dominus nõ seruus existens in suum seruitium uerterit. quartũ autem oportet habere ratione dicta, & hæc de oeconomica breuiter dicta sufficiant.

Explicit liber nonus de oeconomica.

Postilla

Postilla in librum nonum.

POst regimen sui ad quod hactenus dicta in libris superioribus spectant sequitur de gubernatiõe domus quę œconomica dicitur de qua quatuor principaliter determinantur. Primo declaratur fundamentum & radix unde oritur societas domus in prima conclusione. oritur enim ex hoc quod homo est animal sociale, quod ibi declaratur. Secundo agitur de ipsa domo, & incipit aucthor a partibus eius quæ sunt tres cõbinationes ex quibus integratur domus, de quibus agit in secunda, tertia et quarta. partes enim huiusmodi sunt priores toto, & quia poterat esse dubium de combinatione serui & domini an sit naturalis sicut sunt reliquæ duę, id declarat in 5. addens in sexta quomodo seruitus est etiam introducta a legibus, & qualis sit talis seruitus. demum in septima determinat de communitate domus, quæ ex combinationibus dictis constituitur. Tertio agitur de principatu domus, de quo multa dicuntur. primo determinatur de principante principali qui est uir, quomodo scilicet in domo requiritur talis principantis unitas in octaua. Quomodo diuersis diuersimode debet principari in nona: quales sunt hi principatus in decima: quo ordine debẽt procedere in undecima: et quia principatus non potest esse sine uirtute & principantis, & subditi, id declaratur in duodecima & tertiadecima. secundo determinatur de subdito, scilicet

licet de seruo, de quo declaratur quid sit in quartadecima. qualis debet esse in quintadecima: & quę sunt illi necessaria in sextadecima. Tetrio determinatur de principante secundario, scilicet de muliere siue uxore, nam et ipsa aliquomodo principatur unde declaratur primo differentia curę utriusq; in domo in decimaseptima: secundo quomodo uir se debet habere ad illam, & quo ad fidelitatem thori in decimaoctaua: & quo ad prouisionem necessariorum in decimanona: tertio quomodo se debet habere uxor ad uirum in uigesima: & demum quid potissimum debet esse inter illos ut pacifice uiuant & digne gubernent domum in uigesimaprima. Vltimo agitur de requisitis ad domum iam constitutam, & primo enumerantur in conclusione uigesimasecunda: secundo sigillatim determinantur, despotica in uigesima tertia: possessiua in uigesimaquarta, uigesimaquinta: pecuniatiua in uigesimasexta. uigesimaseptima, uigesimaoctaua, uigesimanona: oeconomica uero in trigesima.

Incipit

INCIPIT LIBER DECIMVS ET VLTIMVS DE POLITIA ET REGNO.

1.poli.c.2 lec.1.s.t. *Ciuitas est communitas ex pluribus uicis constituta.* 1

Vicus enim ex pluribus domibus fit, nam ex multiplicatione prolis cum non possent domestici in una domo pariter habitare, diuisi sunt per diuersas domos, & sic factus est uicus: sicut ergo domus ex pluribus combinationibus cōstituta est, & uicus ex pluribus domibus, ita & ex pluribus uicis est constitura ciuitas.

ubi supra. *Ciuitas est communitas naturalis.* 2

Est enim finis communitatum naturalium: nā domus ex combinationibus naturalibus constituitur: & ideo est communitas naturalis, & similiter uicus, qui ex domib. fit: quia quod ex omnibus partibus naturalibus componitur, naturaliter ad ipsum ordinatis est naturale. Finis autem rerum naturaliū est natura ipsarum, eo quod natura est illud quod conuenit rei, quando est generatio perfecta quod quidem est finis omniū quæ sunt ante generationem ipsius: quia ergo omnes aliæ combinationes & communitates ordinantur ad ciuitatem tanquam ad finem, et sunt naturales

rales, ideo ciuitas est cōmunitas naturalis ex naturalibus communitatibus generata.

3 *Ciuitas est communitas perfecta.* *Vbi su.*

Quia enim dictum est hominem esse animal sociale propter necessitatem huius uitæ, eo q᷑ unus homo non sufficit sibijpsi: ideo cōmunitas inuenta est propter necessitatem uitæ præsentis: domus autem una non sufficit sibi in omnibus: & similiter nec uicus unus, quando ergo ex pluribus uicis fit cōmunitas, quę sibi in omnibus sufficit, illa cōmunitas est perfecta, talis autem cōmunitas est ciuitas: quia de ratione ciuitatis est q᷑ in ea inueniantur omnes artes, & omnia alia, quę sunt necessaria ad uitam humanam, nam propter hoc ordinata est, propter quod ciuitas est perfecta cōmunitas.

4 *Ciuitas inuenta est non solum ut homines uiuant, sed etiam ut bene uiuant.* *Vbi su. 3. poli. c. 6. lec. 7. Item c. 5. lec. 5. s. t.*

Omnis enim homo sicut ratione agens, operatur gratia alicuius boni et finis. Cum ergo homo fecerit cōmunitatem ciuitatis certum est, q᷑ eam instituit gratia alicuius boni, hoc autem bonum est bonum hominis inquantū homo, uiuere aūt competit omnibus animantib. bene aūt et beate uiuere homini soli inter animalia. Ciuitas ergo maxime instituta est, ut homines bene uiuant.

5 *Qui communitatem ciuitatis inuenit, maximum bonum inuenit.* *1. poli. c. 2. lec. 1. s. t.*

Quia enim ciuitas inuenta est, ut homines bene uiuāt, ideo factæ sunt leges dirigentes ignorantes

O ad bo-

ad bonum rationis & ad finem ultimum & coercentes prauos homines, ne innocentes opprimãt & mala multa committant: homo enim sine lege est pessimus inter omnia animalia bruta, & cum habeat multa arma ad nocendum, nisi metu legis coerceretur, omnis humana conuersatio destrueretur. Qui ergo inuenit ciuitatem, in qua sunt leges ordinantes hominem ad uirtutem, maximum bonum inuenit.

Vbi su. *Bonum, ad quod ciuitas ordinatur, est principalissimum inter omnia bona.* 6

Omnis enim communitas est ordinata ad aliquod bonum, principalis ergo ad principale, & principalissima ad principalissimum bonum ordinatur, hæc autem principalissima est ciuitas, q̃ omnes alias communitates continet, igitur ipsa ad principalissimum bonum ordinatur.

1. poli.c. 1. 2. 14. lec. 1. 2. 10. s. t. *Ciuitas, quæ debet esse felix, habere debet omnes uirtutes.* 7

Felicitas enim ut dictum est, in primo cõsistit proprie in contemplatione diuinæ essentiæ. In præsenti ergo uita contemplatio diuinorum pura, est aliqua felicitas, quasi inchoatio futuræ felicitatis: quia si qua beatitudo in hoc mundo esse potest, certe nulla alia poterit esse nisi hæc cõtemplatio, sed huiusmodi contemplatio haberi non potest sine alijs uirtutibus moralibus: & ideo oportet ciuitatem omnes ciues ordinare ad uirtutes ut felicitatem assequantur, si ergo omnes uirtutes habuerit tam practicas q̃ speculatiuas, cum

bonum

bonum quanto eſt cõmunius, tanto etiam ſit diuinius, nihil poterit in rebus humanis melius reperiri: & ſic ciuitas felicitatem præſentem, & futuram conſequitur.

8 *Ciuitas eſt multitudo ciuium ſufficiens per ſe ad uitã humanam.* 3.poli.c. 1.lec.1.ſ.t.

Totum enim ex ſuis partibus conſtituitur, ciues autem ſunt partes ciuitatis, & ideo ciuitas nil aliud eſt ꝙ multitudo ciuium, quæ per ſe eſt ſufficiens, quantum poſſibile eſt in humanis rebus, quia eſt communitas perfecta, ut dictum eſt ſupra. Ciuis autem proprie eſt homo, qui communicat in principatu ciuitatis conſiliatiuo & iudicatiuo ſecundum unamquanque politiam. Nam cum unumquodq; entium aliqua determinetur operatione, in quam poteſt, ita ꝙ cum in eam nõ poteſt dicitur tale æquiuoce: ut oculus determinatur per operationem uiſiuam, in quam ſi non poſſet, non eſſet oculus niſi æquiuoce: & ciuis in quantum ciuis non habeat operationem niſi in ordine ad ciuitatem: quæ quidem operatio conuenit ſibi per formam communitatis, cum pars operetur per totius formam: operatio autem propria ciuitatis ſit, quæ eſt ei principalis, quæ quidem non eſt niſi principatus: unde quod fit à principante, uel principantibus dicitur a tota ciuitate fieri, cum unumquodque dicatur eſſe illud, quod in eo eſt principale: & illud dicitur maxime in aliquo operari, quod in eo eſt principale: ut anima in homine dicitur eſſe principale & principaliter operari: unde aliquando

dicitur homo: ideo ciuis proprie determinari debet per ipsum participare consilium & iudicum, & attingere ad principatum in ciuitate, & ideo pueri, serui & mulieres. & aliæ personæ, quæ non possunt ad principatum aliquo modo attingere, ciues proprie dici non possunt.

4. poli. c. *Ciuitas multas habet partes.* 9

3. lec. 3. Cum enim ciuitas sit ordinata ad hoc, ut ho-
7. poli. c. mines possint sufficienter & bene uiuere: oportet
8. 9. lec. q in ea multæ partes inueniantur: nam quia non
6. 7. s. t. omnes uigent intellectu, imo plures sunt, qui deficiunt: oportet in ciuitate esse consiliatores: quia autem alij sequuntur concupiscentiam & uitia, oportet esse principantes & rectores cohibentes. At propter necessaria uitæ humanæ, oportet aliquos esse diuites, aliquos uero artifices, alios musicos ad delectandum: propter cibum uero oportet habere agricolas. At uero propter securitatem contra hostes oportet habere milites, qui ex eo q sunt ualde necessarij, & exponunt uitam propter bonum cõmune, debent esse honorati & priuilegiati, & ideo etiam ad hoc officium iuuenes ciuitatis sunt exercendi. Sacerdotes etiam debent esse in ciuitate, qui diuinum cultum obseruent.

7. poli. c. *Ad constituendam ciuitatem est eligenda aeris tem-* 10
5. lec. 4. *peries.*

Item c. 7. Sic enim homines conseruantur sani, quia sani-
lec. 5. s. t. tas in quadam humorum temperie consistit: & simile simili conseruatur, similiter etiam diutius uiuunt, quia in locis nimis calidis, humidum radicale

dicale cito per calidum exsiccatur: & in locis nimis frigidis humidum per frigus facile congelatur, & sic calidum deficit: oportet ergo aerem esse temperatum, ut diutius uiuant ciues: quia sic erunt prudentiores. Item etiam per hoc ciuitas redditur magis a bellis secura, quia regiones calidæ propter siccitatem & modicum sanguinem timent uulnera: unde facile subijciuntur iugo alieno. Regiones autem nimis frigidæ deficiunt intellectu, quamuis non deficiant animositate, propter abundantiam sanguinis, & ideo etiam istæ facile reducuntur ad subiectionem, sed mediæ uigent intellectu & uigent sanguine, unde animositate dotantur, & ideo sunt magis securę a bellis, eligenda ergo est aeris temperies.

11 *Melius est ciuitati habere necessaria uitæ ex agris proprijs quàm ex negociatione.* *s.t. de regi. lib. 2. c. 3.*

Tum quia melius est ex proprio uiuere quàm ex alieno, tum quia negociatio potest ab alijs impediri, non autem ita ager proprius, tum quia frequenter euntes corrumpuntur a legibus & moribus aliarum nationum: tum quia cupiditas per negociationem augetur, ex qua sequitur postea, ut omnia in ciuitate sint uenalia: & locus fraudibus aperitur: & bonum publicum contemnitur: & litibus uia aperitur, tum etiam quia aufert unam partem ciuitatis, quæ: scilicet est ex militibus, usus enim negociationis est cõtrarius exercitio militari, unde prohibetur militibus in iure ciuili ne sint negociatores, nam ciuitates nego-

tiationibus debitæ, militibus carent nisi extraneos conducant, qui non militant amore patriç, sed propter stipendium, sicut est ciuitas Florentina, & ciuitas Venetiarum, nec tamen negociatores omnino a ciuitate oportet excludi, quia non de facili potest inueniri locus, qui sic omnibus uitæ necessarijs abũdet, quod non indigeat aliquibus aliunde allatis, eorumq́ue, quæ in eodem loco superabundant, eodem modo reddetur multis damnosa copia, si per mercatorum officium ad alia loca transferri non possent, unde oportet quòd perfecta ciuitas moderate mercatoribus utatur.

s. t. de regi. lib. 2. c. 4. *Ciuitas debet ædificari in loco, qui amœnitate habitatores delectet.* 12

Sic enim ciuitas non facile deseretur, & ad eam faciliter multitudo hominum confluet. Ad hanc autem amœnitatem pertinet, quod sit locus cãporum planicie distentus, arborum ferax, montium propinquitate conspicuus, nemoribus gratus, & aquis irriguus, & tamen prouidendum est ne immoderate ciues delectationibus utantur, tum quia delectationes hebetant iudicium, & uirtutes destruunt, tum quia semper appetitus earum magis crescit, quanto magis utitur eis: & uehementer ducunt ad illecebras cogitationes, omnem prudentiam destruentes, tum etiam quia reddunt hominem inhabilem ad tollerandos labores, & animum uirilem deprimunt.

Vbi

13 *Vbi semper est eadem politia, ibi est semper eadem ciuitas.* 3. poli. c. 2. lec. 2. s. t.

Quamuis enim quotidie aliqui moriantur, & in loco eorum alij succedant, quando tamen remanet eadem politia, id est idem ordo priucipantium, uel principantis ad subiectos, remanet eadem ciuitas, sicut etiam dato q in corpore animato uarietur materia propter fluxum & deperditionem, uel appositionem humidi, tamen quia remanet eadem forma, quæ dat esse substantiale, remanet etiam idem animatum, forma autem ciuitatis est politia. Ex ordine etiam principantium & subiectorum constituitur ciuitas, unde politice uiuere est aliquo modo uiuere adinuicem ciues. Non enim communicatio loci est ciuitas, sed communicatio bene uiuendi composita ex diuersis generibus hominum gratia uitæ perfectæ & per se sufficientis.

14 *Politia, quæ multos habet medios ciues optima est.* 4. poli. c 11. lec. 10. s. t.

Medios ciues uoco eos, qui nec sunt nimis opulenti, nec nimis egeni. Isti enim sunt optimi ciues, quia nimis diuites non multum ratione reguntur & tanq̃ delicati non possunt subijci. Egeni autem non de facili obediũt rationi, quia ut plurimũ sunt uiles & inuident diuitibus, & reputant se semper opprimi a principibus. Medij aũt meliores sunt, & magis secundũ rationem uiuũt, & etiam sunt ualentiores: quia si diuites insurgũt contra principem, adhærent pauperibus. Si autẽ pauperes insurgunt, adhærent diuitibus, unde per

istos medios, principatus est melior & fortior, et ista politia est possibilis pluribus ciuitatibus.

4. poli. c 4. lec. 3. *Necesse est in ciuitate aliquem, uel aliquos dirigentes constituere.* 15

de regi. li. 1. c. 1. In omnibus enim quæ ad aliquem finem ordinantur, in quibus contingit sic & aliter ad illũ finem procedere, opus est aliquo dirigente, per quod directe ad debitum finem perueniatur, homines autem ad finem intentum diuersimode ꝓcedunt, ergo in multitudine hominum conuenientium necesse est dirigentes constituere, aliter unusquisque quereret quæ sua sunt, & sic communicatio dissolueretur. Quia ergo contingit recte & non recte ad finem procedere, prouidendum est diligenter, ut constituantur supra multitudinem directores, non dissipatores: ut si constituitur unus, quod sit rex non tyrannus qui bonum proprium querit: si autem constituitur potentatus, hoc est diuites ualde potentes, ꝙ sit potentatus optimorum non opprimentium plebem. Si autem multitudo plebis dirigit ꝙ non sit multitudo opprimens diuites, sed sit inter eos optimus ordo dominandi, & uera politia.

3. poli. c. 9. per to. Itẽ c. ul. et lec. ul. 3. t. *Excellentes uirtute debent principari.* 16

Naturaliter enim tales sunt aliorum domini & hi soli possunt multitudinem recte dirigere, si ergo inueniatur unus, qui alios excedat in uirtute istum oportet principari, quia hoc est magis simile principatui naturali, & principatui totius, uniuersi, in quo deus principatur, nec propter

hoc alij

hoc alij remanent inhonorati, quia unusquisque in politia ordinata diligit gradum suum & honorem secundum gradum, unde in politia regali non debet dominari ciuis, sed aliquis secundum uirtutem supra ciues, si autem uirtus unius nō excedit uirtutem alterius, expedit multitudinē dominari, uel sapientiores, si in ea plures sapientes inueniantur. Sic enim maiorem habebunt potentiam & meliorem directionem.

27 *Diuersæ prouinciæ diuersos habent hominum principatus.* s.t.d'regi.li. 2 c.9. itē li. 4.c.8.

Prouinciæ enim seruilis naturæ.s.quæ uel deficiunt sanguine, ut in parte orientali, uel deficiunt intellectu, & abundant sanguine, ut in aquilone, debēt regi principatu disposito & regali quia subijci facile possunt: & indigent directione uel uiolentia, ut ad bonum commune conuertantur, uis autē coactiua est in rege. Prouinciæ uero quę et sanguine & intellectu abundant confidentes, & in cordis audacia, et in mentis intelligentia debēt regi principatu politico, uel potētatu optimorū, qui summitti non possunt, et hoc obseruatur in Italia, in qua uidimus quod illi qui uolunt eos trahere ad principatum despoticum uel regalem, necesse est quod tyrannizent, unde principes partium insularium eiusdem, quæ semper fuerunt sub principibus semper fuerunt tyranni, ut patet in Sicilia, Sardinia & Corsica. In Lombardia quoq; nullus potest habere principatum perpetuum, nisi per uiam tyrannicam, Duce Venetiarum ex-

cæpto

cæpto, qui tamen temperatum habet regimen, unde regimen ad tempus, melius sustinetur in regionibus prædictis.

1. poli. c. 3. lec. 3. s. t. de regi. li. 3. c. 9

Dominium hominis super hominem est naturale. 18

Naturaliter enim homo dominatur brutis animalibus, & cæteris creaturis corporalibus: quia imperfectiora ad perfectiora ordinantur, & deus inferiora per superiora gubernat, homo igitur, cum habeat ueram rationem prudentiæ, et sit quoddam perfectum, & superior ad cætera animalia, quæ aliquid prudentiæ imperfectæ participant, patet quod naturaliter homo animalibus brutis dominatur. Quia ergo homines quidam sunt magis prudentes & quidam minus cæteris hominibus, oportet dicere quod dominium hominis super hominem est naturale, secundũ quod importat officium consulendi, & dirigendi, sed secundum quod importat coactionem seruitutis, ut est principatus despoticus, sic est magis secundum legem, quam secũdum naturam, ut dictum est in præcedenti libro.

4. poli. c. 1. 2. lec. 1. s. t. d'regi. li. 1. c 2. itẽ 8. eth. c 7. lec. 10. s. t

Principatus unius est optimus. 19

Bonum enim multitudinis est pax, et unitas: quæ multo melius potest per unum fieri quam per plures. unum enim inquantum unum facit unum, unde etiã uidemus quod in pluribus regentibus reperitur unio, si uolunt unitatem facere, & omnis multitudo deriuatur ab uno, & hoc regimen est magis naturale, utpote magis simile regimini totius uniuersi et partium eius, et hoc etiam experientia

experientia docet, quia uidemus quod in regimine plurium frequenter dissentiones oriuntur, post hunc ergo erit potētatus optimorum, post quem erit regimen politicum, in quo scilicet principatur multitudo, & est cōmune diuitibus & pauperibus.

20 *Regimen malum unius pessimum est inter omnia regimina.* 4.pol.ubi s. itē d'regi.ubi s.c.3.itē 8. eth.c.7.lec. 10.s.t.

Tum quia opponitur optimo, tum quia fortius est propter maiorem unitatem. uirtus enim unita fortior est seipsa dispersa, tum quia magis recedit a bono cōi, quia talis quærit priuatū bonū, et bonum cōe sibi appropriat: & sic commune erit tantum unius: tum quia nihil est securum sub tyranno, sed omnia incerta, unde tyranni seminant lites inter subditos, ut non sint fortes, & nolunt uidere uiros probos et excellentes. In alijs autem regiminibus non est sic, sed si a iustitia declinant propter discordiam, quam habent inter se cum mali rectores non possunt uel uix possint habere inter se pacē, propter hoc quia quilibet quærit, quę sua sunt, debilitantur in uiribus, unde non possunt tantum nocere sicut tyrannus. igitur regimen iniustum maxime nocet. iniustus etiā principatus potentum magis nocet, quam principatus malus multitudinis ciuium, eadem ratione, qua dictum est de malo regimine unius.

21 *Magis optandum est regimen unius quam multorum ubi imminet periculum tyrannidis.* d'regi.ubi.s. c.5.

Facilius enim regimen plurium in tyrannidem

dem uertitur, quia facilius est quod ex pluribus unus deuiet a iustitia quam unus tantum: unde facilius regimen plurium parit dissensionem in populo, quia si unus deuiat facile corrumpit unam partem populi, et sic frangitur bonum pacis. sed unus non ita cito frangit unionem uel pacem, nec audet cito opprimere populum. in qua quidem oppressione dictum est regimẽ eius esse pessimũ. prçterea cum facile sit unum ex pluribus corrumpi, si contigat ipsum cæteros superare usurpando sibi dominium efficietur pessimus tyrannus, & huius exemplum habemus in Repu. Romanorum, in qua illi qui alios ciues superauerunt effecti sunt pessimi tyranni, omnia cçde uastantes: ubi ergo imminet periculum magis optandum est regimen unius quam multorum.

ubi s.c.6 *Prouidere debet multitudo de Rege taliter, quod non possit in tyrannum conuerti.* 22

Hoc enim expedit bono communi omnium primo enim debet uirum eligere, de quo non sit suspicio mali, secundo debet principatum eius ita temperare, ut non possit faciliter tyrannizare. Tertio debet curare ut si in tyrannum conuertitur, possit eius tyrannidi resistere.

ubi supra. *Contra tyrannum est procedendum publica authoritate.* 23

Sicut enim ad nullam personam priuatam pertinet occidere hominem & sibijpsi iustitiam facere, ita etiam ad priuatum non pertinet tyrannum occidere,

occidere, uel ipsum deponere, quia ordinatiōi dei non est resistendum. sed contra eum debet procedere qui tenet locum dei, id est publica potestas. & hæc est uel potestas populi, si ad eam pertinet instituere regem, cum nō seruet pactum cum eis, uel alicuius superioris domini, si ad eum pertinet ipsum instituere. Et si hoc modo deponi non potest ad deum recurrendum est, uel aliter prouidendum, hoc autem intellige quādo iuste acquisiuit dominium, sed quando ui nolētibus subditis, uel etiam ad consensum coactis illud usurpat, potest quilibet de populo illum occidere tanqnam hostem publicum, quia populus habet iustum bellum contra eum, in bello autem iusto potest quilibet occidere hostem. uude laudatur qui illum occiderit ad patriæ liberationem, si recursus ad superiorem haberi non potest, & si absque periculo multitudinis potest occidi, utilius est enim aliquando tollerare tyrannum, maxime si non sit nimis grauis, quam contra eum insurgere, quia agendo cōtra eum, populus multoties implicatur multis periculis, et dissentionibus, & si non præualuerit multa & magna detrimenta incurret.

24 *Tyrannus grauissime est puniendus.* s.t.2.sen. di. 44.q.2.ar. 2.V.

Tum quia non solum rapit & damnificat & expoliat unum, sed etiam totam multitudinem tum quia uix uel nunquam potest satisfacere læsis, cum tamen teneatur etiam illis, quos utcunque læsit, tum quia cum omnia æstimet sibi licere, statuit multa iniusta, quæ deinde posteri sequuntur.

tum ex multa omiſſione. unde eſt puniendus tan quam malus miniſter, ſicut etiam ipſæ puniuit ſu os miniſtros, qui contra eius uoluntatem egerūt.

s.t.d'regi.li. 1.c.10,11. *Regnum ueri Regis fortius eſt in omnibus quam tyranni.* 25

Rex enim eſt qui unus multitudinem ciuitatis uel prouinciȩ propter bonum commune regit ſal ſus ergo rex erit, ſi propter bonum proprium regit. Rex ergo fortiſſimū habet regnum. unde habet cum ſubditis amicitiam, quæ uehementer unit & fortificat ſicut regnum, unde non indiget habere multos ſatellites et expendere in eis propriam pecuniam. Ex quo ſequitur primo quod magnam cōſequitur uoluptatem, quia nihil eſt dulcius amicitia: et ſecuritatem cum ſit inter amicos & defendentes eum: et habundantiam diuitiarū: cum parum expendat: & ita quæ ſunt amicorum ciuium ſunt etiā ſua, quia amicorum ſunt omnia communia: & diuturnitatem: quia nullus agit contra eum, & ſi agit non perficit, cum ſit ſtipapatus multitudine amicorum: & honorem & famam: propter iuſtitiam & bonitatem. Regimen autem tyranni, non habet amorem ſed timorem, unde omnia ſe habent ad ipſum per oppoſitiōem ad prædicta.

ubi ſ.c.9 *Rex digne miniſtrans ſublimen conſequitur beatitudinem.* 26

Tum quia maiori uirtuti maius prȩmium debetur, regere aūt multitudinem maxime uirtutis eſt, tum quia maiori operi maius præmiū datur. Regere autē multitudinem eſt maximum opus,

cum

cum sit communissimum, tum quia est magis deo similis, & per consequens ei magis acceptus, tum quia plus laborat, & maioribus periculis se exponit propter deum & bonum commune, & ideo maiorem beatitudinem cõsequitur si perseuerauerit usque in finem.

27 *Rex in regno debet esse sicut rex in mundo.* *ubi supra.*

Ars enim imitatur naturam, & effectus suam causam, & causę secundę primam: sicut ergo anima dat corpori esse & potentias diuersas & regit ipsum. Et sicut deus dedit esse uniuerso & distinxit partes eius unicuiq; quod suum est tribuens, & omnia gubernans: ita debet esse rex in regno, ut si instituit regnum uel ciuitatem, debet eligere locum congruum, temperatum, uberem, amœnum, securum, eminentem, ita quod respiciat ad orientem, ut mane habeat temperatum calidũ, & in meridie non habeat intemperatum, quod habeat abundentiam optimarum aquarũ: & debet distinguere regnum in partes secundum eius exigentiam, & subditorum: & eos cõgregare & unicuique officia proportianabiliter tribuere. & ad commune bonum omnia trahere quãtum potest.

c.12.13. 7.poli.c.5 lec.4.5.t. 5.t.d'regi.li. 1.c.12.

28 *Rex gubernandi regulam sumere debet a fine.* *7.poli.c.ul.*

Finis enim est ratio & regula eorum. quæ sunt ad finem, quia ergo beatitudo est ultimus finis, ideo debet studere inducere multitudinem ad beatitudinem, propter q͂ debet ea depellere, quæ ad ipsa remouẽt hões, & ea instituere, quæ ad ipsam inducunt

lec.ult. d'regi.li.1. c.15.

inducũt eos unde debet ſtudere ut ſubditi ſint bonæ uitæ. Primo multitudinẽ reducendo ad pacẽ. Secundo pacificos ad bonum uirtutis dirigendo. Tertio prouidendo eis neceſſaria ad uitam. Quarto de ſucceſſione hominum debet prouidere. Quinto ſuis legibus & pœnis a malo coercere. Sexto tutos eos ab hoſtibus reddere. Septimo in omnibus cum uidet defectum ſtatim occurrere. ſi enim minima contemnantur, finaliter faciunt unum magnum, ſicut paucæ expenſæ cum multiplicantur, minuunt ſubſtantiam, quia multa parua faciunt unum magnum. Cauendus eſt ergo paralogiſmus, quo ſic arguitur, hoc eſt paruum & illud, & paruũ pro nihilo reputatur, & ideo paruæ præuaricationes non ſunt puniendæ, quia non faciunt aliquod magnũ. Nam etſi non faciunt magnum, diuerſę tamen collectę faciunt illud: ergo debet inueſtigare ex quib. cauſis oriuntur in populis diſſentiones, & ſeditiones ut eas remoueat, & contraria inſtituat ad conſeruationem regni, ſeditiones enim oriũtur propter lucrum & honorem, & inhonorationes, & iniurias & timores, & cætera huiuſmodi: ideo prouidendum erit, ut proportionabiliter omnes lucrari poſſint, & habeant omnes honores ſecundum gradus proprios, & ut iniuriantes puniantur, & ſic oportet ipſum cauſas remouere ſeditionũ per contraria ad ipſas, & debet diligenter prouidere de bona diſpoſitione puerorum. & primo quantum ad corpus, ut bene generentur non ex pueris nec ex ſenibus, ex quibus oriuntur imperfecti partus, & nullius ualoris, ſed uiri accipiant uxores in

spoli.c.8 & lc.6.10.11.5.t

35.uel 36

35. uel. 36. ætatis suæ anno, fœminę uero uiros in 18. uel. 20. & nuptiæ fiant in hyeme. tunc enim clausis poris clauditur calor intus & est fortior generatio, & infantes nati nutriantur ex lacte matris, quia est magis conforme partui, non bibant multum uinum propter ægritudines, quæ ex eo accidunt, & debent assuefieri ad frigus & motus & labores moderatos, deinde prouidendum est, ut sensualitas bene ordinetur. Quia enim fugiunt libenter tristitiam, oportet in delectationibus honestis ipsos assuefacere & in ludis præsentibus senioribus, & eos prohibere a ploratu nimio & cõuersatione seruorum, a turpiloquijs, & a uisione rerum inhonestarum, & auditu, unde ferenda est lex ne aliquod inhonestum publice pingatur, postea autem prouidẽdũ est, ut intellectus bene disponatur circa mores, & etiam speculabilia, unde primo instruendi sunt per exempla præcedentium, & parabolas de lege dei, & erudiendi in musicis, quia non possunt a delectatione uacare, ideo debent instrui, ut cantent laudes dei, & uirtutes magnorum uirorum, & ea, quæ ad bonos mores pertinent, & ita rex sumendo regulam a fine cætera particularia poterit ad ipsum ordinare, quæ non possumus sub breuitate comprehendere.

7. poli. lect. 11. s. t.

8. pol. per to.

29 Oportet regem abundare diuitijs

s. t. de regi. li. 2. c. 5.

Primo enim debet abundare diuitijs naturalibus, quia hæc magis delectant quasi proprio sudore acquisitæ, & solicitudinem magis faciunt ad conseruandum. si enim has non haberet, opor

teret quod ab alijs emeret, & sic sequerentur inconuenientia, quę diximus supra in undecima cõclusione, & etiam erit ei periculum ne deprauentur uel inficiantur ueneno. Secundo debet abundare artificialibus auro & argento propter commutationes faciendas & magnificos sumptus, et necessitatem subditorum, præsidiaq; rarefacienda, & propter hostes & alia huiusmodi, aliter oporteret ipsum mutuo accipere, quod est turpe regi & frequenter inimicitiam generat. Tertio oportet ipsum abundare animalibus propter uictum & magnificentiam, & solatium in uenatione, & propter honorem regis oportet habere equos multos, & propter exercitium habere canes & propter hostes similiter habere equos & cætera animalia onerifera, quæ ad magnificentiam regis pertinent.

Vbi sup. c. 7

Vbi sup. c. 6.

Vbi sup. c. 10 *Oportet regem ministris esse munitum.* 30

Oportet enim ipsum non solum uti principatu regali, & politico, sed etiam despotico in improbos, quos oportet uiolenter a malo refrenare, unde debet habere milites. Item cum ipse solus ad regimen nõ sufficiat, necesse est qd habeat adiutores, qui debent in hoc gratis ministrare, aliter nõ erunt condomini, sed mercennarij idest pro mercede conducti sicut sunt in Italia. Item ad dignitatem regiam pertinet feudatarios habere, hoc est perpetuo sibi obligatos, & barones & familiares propter fulcimentum, & delectationem & mediocres & infimos propter diuersa officia, & negocia eius, & sic patet, quòd oportet regem mi-

nistris esse munitum.

31 *Rex debet habere munitiones fortißimas.* 7. poli. le. 8.

Tum propter securitatem sui & suorum, ut secure & audacter possit implere iustitiam, tum propter maiorem honestatem, ut non faciliter uideatur: & ut sit totus pudicus. sic enim facilius ducitur in admirationem populi, & facilius inclinatur ad obedientiã ex admiratione tantarum rerum, tum etiam propter diuitias conseruandas, tum magis propter hostes, ut sit tutus ab incursu eorum. 3. t. de regi. li. 2. cap. 11.

32 *Debet rex facere stratas securas.* de regi.

Sic enim poterunt multi confluere ad regnum, & maxime mercatores & deferre necessaria ad uitam & ad rempublicam & sic poterit etiam diuinus cultus augmentari, & hoc cedet in honorem regis, aliter esset illi magna ignominia. propter hoc enim soluuntur pedagia iuste a transeuntibus. Vbi sup. c. 12

33 *Debet etiam habere numisma proprium.* Vbi sup. c.

Sic enim magis erit in honore, si eius imago & memoria currat per manus hominum, & etiam facilius ualor eius cognoscitur quàm ualor aliorũ numismatum, quæ ab omnibus non cognoscuntur, & non potest etiam faciliter mutari, unde etiã oportet quòd instituat iusta pondera & mensuras, ut seruetur iustitia & fidelitas in soluendis tributis: & tollãtur altercationes in multitudine. 13. 14.

34 *Debet quoque prouidere pauperibus de ærario publico.*

Debet enim imitari naturam, quæ non deficit Vbi sup. c. 5.

in necessarijs, & de superabundanti sibi alijs tribuit, ut patet in generatione animatorum, quæ generantur ex superfluo alimenti, & maxime quia est pater omnium, & hoc etiam debet ipsum excitare: quia sic placabit deum, & erit ei in omnibus propitius.

De regi. l.3.4.5.6 *Debet eiam amare patriam, zelare iustitiam, & esse beneuolus, ac pius erga subditos.* 35

Amor enim patriæ & zelus iustitiæ & pietas ac beneuolētia erga subditos sunt media, per quæ Deus conseruat regnum, & huius exemplum habemus in Romanis, quorum regnum auxit & cōseruauit Deus. Ipsi autem pro amore patriæ, qui est radix charitatis, fecerunt mirabilia & similiter pro zelo iustitiæ, & sibi subiectos, socios, & fratres uocabant, & erant pij erga eos, atque sanctissimas leges habuerunt. Creditur ergo quod hæ fuerunt causæ secundę per quas Deus auxit & cōseruauit regnum eorum licet melius credatur, quod principalis causa fuerit uoluntas Dei, quæ uoluit punire per eos peccata populorum totius uniuersi; hoc tamen non fecit nisi concurrentibus causis prædictis.

De regi. *Regē oportet maxime ad diuinum cultum intendere.* 36

l.2.c.16. 7.poli.c. 91.le.6. 7.San.t. Omne enim dominium est a Deo, sicut omnē ens ab ente primo, & sicut omnē quod mouetur, mouetur a primo motore, quia prima causa plus influit in effectum quam secūda, et ideo debet rex intendere ad cultum diuinum, & semper gratias agat, & ꝙ sit homo, & quod sit dominus consti

tutus

tutus hominum, ab eo petens auxilium & sapientiam ad gubernandum, & ipsum imitando in regimine, ut ipse in omnibus honoretur, qui est solus beatus, & potēs Rex regum, & Dominus dominantium. Cui est honor & imperium sempiternum. Amen.

Explicit liber decimus & ultimus de politica & regno, & sic est finis totius philosophiæ moralis Reuerend. Patris Fratris Hieronymi de Ferraria.

Postilla in librum decimum & ultimum.

POst regimen domus sequitur regimen ciuitatis quod politia siue regnum dicitur, de quo in hoc ultimo libro agitur hoc ordine, quia primo determinatur de ciuitate de qua est politia, a prima conclusione usque ad decimamquartam inclusiue. secundo de principatibus in ciuitate, usque ad decimamoctauam, tertio de regno, siue rege usque ad finem libri. Quo ad primum sic procedit auctor, quia primo declarat naturam siue substātiam ciuitatis per diffinitionem eius materialem in cōclusione prima, & quia habetur ex illa quod est quædam communitas declarat consequenter qualitatem huius communitatis quo ad naturalitatem in secunda, & quo ad perfectionem in tertia, quia uero omnis communitas est

gratia alicuius boni quod est finis eius ideo secun do declarat cuius boni gratia ciuitas est inuenta in quarta, quantum est illud bonum in quinta, quam excellēs in sexta, & quia per illud bonum efficitur fœlix, in septima, declarat quæ requirun tur ad eius felicitatem. tertio iterum declarat naturam eius per diffinitionē eius formalē in octaua, & ex quibus partibus constet in nona, quarto declarat quasdam proprietates siue cōditiones ciuitatis, duas quidem materiales, & duas formales. Materiales sunt locus in quo debet edificari: de quo agit in decima, & undecima, & necessaria uitæ de quibus in duodecima, formales uero sunt unitas eius de qua in decimatertia, & perfectio, de qua in decimaquarta. Quo ad secundum primo declarat necessitatem principantium in ciuitate in decimaquinta, secundo qualitatem eorum declarando qui debeant principari in decimasexta, & quia non idem principatus conuenit omnibus gētibus declarat, tertio diuersitatem illius secundum diuersitatem gētium in decimaseptima, quarto naturalitatem eiusdem in decimaoctaua. Quo ad tertiū agit de tribus ordinate, scilicet de principatu regali qui ē principatus unius, de ipso rege, & de requisitis ad regem. De principatu declarat primo eius perfectionem per comparationem ad alios principatus, & per comparationem quidem ad bonos principatus in conclusione decimanona, per comparationem autem ad oppositum in uigesima, nam opposita iuxta se posita magis elucescunt. secundo docet quid agendum pro uitando opposito principatu, scilicet tyrannico, &

eo,& antequam factum & post factum. Ante factum docet quomodo uitãdus est,& quo ad qualitatem regiminis in uigesimaprima, & quo ad qualitatem regentis in uigesimasecunda, post factum uero docet quomodo remouendus est tyrannus in uigesimatertia, & quomodo puniendus in uigesimaquarta, tertio declarat fortitudinem huius principatus per comparatiõem ad oppositum, scilicet tyrannicum in uigesimaquinta. Quo ad ipsum regem docet primo quantum praemium assequetur si digne principetur in uigesimasexta, ut ex hoc moueatur ad bene regendum. secũdo quomodo debet instituere suum regnum per comparationem ad regnum Dei qui est Rex regum & Dominus dominantium in uigesimaseptima, tertio declarat regulã & modum regendi ipsius, quẽ scilicet seruare debet, & unde sumere regulam regiminis, in uigesimaoctaua, quarto docet quae requirantur ad regem, quo ad diuitias quidem in uigesima, quo ad ministros in trigesima, quo ad munitiões in trigesimaprima, & quo ad numisma, in trigesimasecunda, quinto docet quomodo se debet gerere & habere, quo ad exteros ut secure uenire possint ad regnum suum, in trigesimatertia, q̃ ad pauperes in trigesimaquarta, quo ad patriam & subditos, & demum quo ad eum in trigesimaquinta, ut ab eo regatur et conseruet qui est benedictus in secula. Amen.

Conclusiones totius operis secundum ordinem librorum. & primo primi libri philosophiæ naturalis, qui est de ente in communi.

Conclusiones secūdi libri, qui est de principijs entis mobilis.

Conclusione tertij libri qui est de motu.

Motus

Conclusiones quinti libri qui est de primo motore & primo mobili.

Conclusiones sexti libri qui est de cœlo & mundo.

Conclusiones noni libri qui est de lapidibus & metallis.

Concluſiones libri duodecimi qui eſt de appetitu ſenſitiuo.

Conclusiones lib.xiij. qui est de principio motiuo animalium.

626

Culex

Conclusiones libri.xiij. qui est de anima intellectiua.

Conclusiones libri quintidecimi q̃ est de appetitu intellectiuo.

cum

Conclusiones primi libri philosophiæ moralis q est de ultimo fine.

Conclusiones secundi libri qui est de actibus humanis.

A corpore

Concluſiones tertij libri qui eſt de habitibus.

Conclusiones quarti libri qui est de uirtutibus.

Conclusiones quinti libri qui est de prudentia.

Concluſiones ſexti libri qui eſt de iuſtitia.

Conclusiones septimi libri qui est de fortitudine.

Conclusiones octaui libri qui est de temperantia.


Conclusiones noni libri q est de œconomica.

Conclusiones decimi libri & ultimi qui est de politia & regno.


FINIS.

Ego f. Ant.o Gattinaria possideo ad usum










OPVS PERVTILE
DE DIVISIONE ORDINV[illegible]

[illegible]

OPVS PERVTILE DE DIVISIONE ORDINE AC *utilitate omnium ſcientiarũ Reuerendi. p. Fratris Hieronymi de Ferraria ordinis prædicatorũ in poeticen apologeticus.*



650

a

VGOLINO VERINO
Florentino Hieronymus Sauonaro
la Ferrarienſis ordinis
prædicatorum.
S.

OPuſcula tua animo lætante ſuſcœpi & legi: lectaqꝫ commendaui. Non enim a ſententia eruditiſsimorum hominũ ac religioſorum diſcrepant, nec ego aliquando artem poeticam damnandam putaui: ſed quorundam abuſum: quamuis nonnulli me in eccleſijs declamantem uerbo ac ſcripto calumniari conentur.
Prou.26. Quia autem ſciebam ſcriptum eſſe: Non reſpon-
1. Timoth. 2 deas ſtulto iuxta ſtultitiaȝ ſuam, & Apoſtoli ſententiam conſyderabam dicentis, Seruum autem Domini non oportet litigare ſed manſuetum eſſe ad omnes, ſtatui in corde meo ſilẽtio potius quaȝ uerbo linguas compeſcere detrahẽtium. Verum tu dormientem excitaſti: et tuis ſcriptis melliflui & ſermone & ſcientia imperitum ad ſcribendum impuliſti. Mea igitur intẽtio eſt quid de arte poetica ſentiam in hoc libello deſcribere, & aduerſus quoſdam ſciolos ſtilum dirigere qui in modico atque uano, ne dicam iuuenili uerborum amore falluntur. Ne queras autem ullum a me nitorem hic ſermonis, quoniam iſta humanitatis ſtudia a nobis grauioribus diſciplinis occupatis uiginti duos integros annos uniuerſa ſimul penitus fuerunt prætermiſſa. Tu nihilminus Vgoline eloquentiſsime a paupere amico tuo munus exiguum benigno ſuſcipe uultu, qui ſi aurum & argentum in

gazofila

gazofilatio domini offerre non poteſt, conatur tamen cum paupercula uidua uel duo minuta largiri. Quorum primum in latere uno artis poeticæ reliquarumque ſcientiarum ſedem atque diſtinctionem oſtendit, in altero uero eiuſdem earumdemque dignitatem. Secundum autem in facie prima omnium ſcientiarum ad noſtram religionem exiguam prorſus utilitatem demonſtrat. In ſecunda uero facie ſpecialiter ipſius poeticæ artis rationem, qualitatem, fructum atque damna manifeſtat. Quod ſi cui primorum librorum longitudo uel ſubtilitas tædium generat, ultimum librum cuius præcipue gratia prouinciam hanc ſuſcepimus, precor omnino diligentiſsime perlegat.

Vale.

APOLOGETICVS DE RATIONE POETICAE ARTIS.

Incipit liber primus. De omnium scientiarum diuisione.



Philosophiæ sectio in realem & rationalem.

VNiuersam philosophiam in partes duas secari, in rationalem scilicet & realem, & auctoritas excellentissimorum uirorum & ratio probat. Cum enim non entium non sit scientia: sed eorum duntaxat quæ sunt: ut philosophi testantur: & secentur scientię quemadmodum & res iuxta sentētiam philosophi in libro de anima, diuidatur autem ens principaliter in ens reale & ens rationis, necesse est philosophiā in duas partes diuidere: quarum una ens reale respiciat, altera uero circa ens rationis uersetur, quas partes qui ignorat philosophus & sapiens appellari non debet. Sapiens .n. teste Aristotile: debet omnia scire ut decet. Philosophia quoq; realis in duas partes distinguitur. In practicā et speculatiuā. Practicam scientiā dicimus habitum intellectus immediate ordinatum ad operationes earum potentiarum q̄ sunt infra intellectū regendas. Vnde finis practicæ est opus ut in secūdo metaphysicorū suorum testatē philosophus. Quod qdem opus praxim græco nomine uocamus & diffinimus esse opus alte-

& . 1. poste. lec. 2.

3. de anima. t. c. 38.

Entis sectio in reale et rationis.

Realis philosophie sec. in prac.

2. met.

rius potentiæ ab intellectu naturaliter posterius eo & aptum natum ab eo regi. Quia autem quædam animæ operationes alienæ ab intellectu transeunt ad exteriorem materiam, quędam uero minime, practicam scientiam duplicem existimamus. Quędam enim practica operationes animę exteriorem materiam pertingentes regit. Quædam autem dirigit operationes ipsam animam perficientes: quæ propriæ ad bonos mores pertinent. Primam ergo ad mechanicas artes pertinere dicimus, quæ cũ nec ex obiecto nec ex mõ suo habeant dignitatem, et si quandoque philosopho expediat aliquid de eis nosse, ignorantia tamen illarum nomen sapientis non euacuat. Secundam autem in tres partes distinguimus. Nam ad bene beateque uiuendum opus est hominem in bonis actibus & ad seipsum & ad alterum dirigi. Ad habitum ergo animæ & ad ratiõis ordinem, quo homo bene regitur ad seipsum ordinata est scientia quæ habetur in libro ethicorum Ari. Sed quia ad alterum potest homo dupliciter ordinari, uidelicet specialiter ad familiam, & uniuersaliter ad regimen ciuitatis & regni, hanc partem in duas diuidimus. In œconomicam & politicam. Sub politica autem scientia legum clauditur. At speculatiua scientia realis in tres partes scinditur. Cum enim intellectus noster sit a materia separatus, necesse est in tantum unumquodque esse intelligibile, inquantum est aliquo modo a materia separatum. Quædam igitur in particulari nec a materia sensibili nec a materia intelligibili separari possunt. & hæc sunt omnia naturalia. Verum quia

Prac. sect.

Mecanicæ artes.

Moralis sec. in Etica.

œcono. poli.

Speclatiuæ realis sectio.

Naturalis intellectus (ut diximus) est immaterialis, id quod est materiale potest immaterialiter intelligere: & particulare uniuersaliter apprehendere. Vnde cum usque ad singularia iubeat Plato quiescere, & scientia sit solum uniuersalium, de his quae nullo modo possunt a materia sensibili & intelligibili particulariter separari, est philosophia naturalis: quae quamuis non abstrahat a materia sensibili abstrahit tamen a materia particulari. Quaedam autem & si a materia sensibili realiter nequaquam sunt separata, possunt tamen per intellectũ ab ea separari: licet a materia intelligibili abstrahi nequeant. Et hęc sunt omnia mathematica. De quibus est scientia speculatiua alia a naturali, quę est et geometria et arithmetica. Quędã uero tam a materia sensibili quam ab intelligibili sunt separata: circa quae alia scientia uersatur, quae metaphysica nuncupatur. Prima ergo harum hoc est philosophia naturalis cum sit de rebus naturalibus: quae ideo naturales dicunt quia habent naturam quae est principium motus & quietis, necesse est ut tractet de motu & mobilibus, quae ab Aristot. in multas partes diuiditur. In prima enim considerat de motu simpliciter quae de philosophico auditu inscribitur. In secunda de motu per comparationem ad corpora nobilissima, uidelicet in libro de coelo. In tertia de motu ipso per comparationem ad corpora simplicia generabilia & corruptibilia, quae sunt elementa, in libro de generatione & corruptione. In quarta item de motu per comparationem ad ea quae in media aeris regione generantur in libro metheororum.

Porphi. lib. prædic.

mathem.
geomet.
arithm.
metaph.

phisic. l. de
cœlo.
de gen.

In

In quinta per comparationem ad ea quæ generan tur in terra, in libro de mineralibus quem tamen ab Aristot. non habemus, sed Albertus magnus hunc librum composuit. In sexta per compa rationem ad ea quæ habent uitam, quæ quoni am intermixta sunt nobiliora oportuit etiam ea diligentius pertrastare. Et quia a communiori bus est inchoandum, necesse fuit primo determi nare de his quæ pertinent ad omnia animata, de quibus tractatur in libro de anima. Quia autem (ut dicit philosophus) quatuor sunt genera ui uentium, quorum unum habet solum animam uegetatiuam. Aliud uero cum uegetatiua ha bet etiam sensitiuam, sed sine motu. Alterum autem cum his habet etiam motum localem. Et quartum genus est hominum, qui supra sen sum & motum habent intellectum, ideo post sci entiam qua scimus quid est anima: & per quam cognoscimus quas habet partes & potentias in generali, necesse est specialiter ad hæc uiuentium genera descendere, ut perfectius natura eorum co gnoscatur. Verum quia intellectus est imma terialis non pertinet ad physicum sed methaphy sicum de intellectu separato disputare. Vnde non oportuit aliquem specialem librum edere in philosophia naturali, qui de intellectu separato tractaret. De anima enim intellectiua physicus tractat inquantum est corpori unita. Non au tem inquantum est separata, quia ipsa est ter minus & orizon philosophiæ naturalis. De sensu autem exteriori debet philosophus natura lis habere cognitionem quam tradit Aristoteles

meteo. *minera.* *De anima.* *2. de anima t.c. 14.*

in libro de sensu & sensato. Et quia sensus interior ab exteriori accipit species suas, cum phantasia sit motus factus a sensu. Consequens est de sensu interiori philosophum naturalem oportere notitiam tradere: quam Aristoteles tradidit nobis partim in libro de anima, partim uero in libro de memoria & reminiscentia. Et quia per somnum & uigiliam sensus ligantur, hoc quoque scire ad physicum pertinet. Vnde de eo agitur in libro de somno & uigilia. De his autē, quae pertinent ad tertium genus uiuentium, quae, scilicet habēt sensum cum motu: tractat philosophus in lib. de cā motus animalium, et in lib. de processu animalium, ubi ostendit quae sint optime partes ad hunc motum pertinentes. De his uero quae pertinent ad id genus uiuētium quod tantummodo habet uitam, tractat in libro de uita & morte. Et quia uita animalium per inspirationem & respirationem conseruatur, ideo huic libello adiungit librum quem de inspiratione & respiratione animalium inscripsit. Et quia haec inueniuntur in diuersis statibus uiuentium: ideo praecedentibus copulauit librum de iuuentute & senectute. Et quia iuuentus si praecisa fuerit breuis est uita, senectus autem longa, ideo consequēter tractat de longitudine & breuitate uitae. Et quia uita usque ad senectutem maxime conseruatur per sanitatem, & per infirmitatem praeciditur, praecedentibus annectit librum de sanitate & ęgritudine, & quia per conueniens nutrimentum sanitas cōseruatur, & per contrarium destruitur & aegritudo superuenit, ideo post eos libros qui dicti sunt, de nutrimento

Liber d' sen. & sensa.

De mem. & remini.

De somno et uig.

De cā motus an. & que proce.

De uit. & mor.

De respi. & inspi.

De iuuen. et senec.

De lon. & bre. uite

De sanita. & egritu.

De nut. & nut.

mento & nutribili librum edidit. Postremo autem tractandum erat de omnibus animatis, & primo de plantis de quibus & Aristoteles, & copiosius Theophrastus in libris de plantis tractauerunt. Deinde de animalibus omnibus secundum species suas, quod & Aristote. & Albertus. M. copiose fecerunt & in hoc terminatur tota philosophia naturalis. Mathematica autem scientia quæ abstrahit a materia sensibili & non ab intelligibili in duas partes secatur. Nam huiuscemodi abstracta aut considerantur sine aliqua sui positione, & sic unitatem & numeros habemus de quibus Arithmetica considerat. Aut cogitantur secundum quod habent positionem, & sic habemus magnitudines, circa quas se exercet giometria. Inter mathematicas autem & naturales scientias quædam sunt scientiæ mediæ ut Astrologia quæ circa astrorum motus uersatur, & perspectiua quæ de linea & magnitudine uisuali tractat. & Musica de numeris sonoris & eorum proportionibus considerat. Nam hæ quantum ad modum sunt mathematicæ eo quod mathematicorum principijs & maximis ac demõstrationibus utuntur, quantum uero ad obiectum sunt naturales, eo quod circa res naturales uersantur. Et quia obiectum est magis de essentia scientiæ quam modus iudicio meo potius naturales scientiæ quam mathematicæ appellari debent. Metaphysica autem quæ est de abstractis a materia sensibili & intelligibili in duas partes secari potest. Nam huiuscemodi abstracta duplicia sunt. Quædam enim eo dicuntur ab utraque materia abstracta, quia in

De plantis. *De aīalibus.* *Math.* *Arith.* *Geom.* *Astro.* *Persp.* *Music.* *Metaph.*

sua generalitate comprehendunt ea quæ nullo modo a materia dependent. Vnde secundum se non sunt in materia & hæc uocamus transcendentia, ut ens, res, bonum, & cætera id genus, de quibus metaphysicus pertractat. Vnde subiectum eius ut dicit philosophus, est ens inquantum ens. Quædam uero sunt abstracta, quia nullo modo materiæ coniunguntur quæ sunt intelligentiæ separatæ de quibus principaliter metaphysicus consyderat. Rationalis autem scientia est illa quæ circa ens rationis uersatur.

4. & 6. metap. in prin.

rationalis scientia.

Ens autem rationis dicimus id quod ita a ratione inuentum est & fabricatum quod extra ipsam inueniri non potest ut sunt uniuersalia & propositiones & syllogismi & cætera huiusmodi, quæ nullus recte sentiens extra intellectum inueniri posse putabit: nisi forte sicut in signo. Cum enim philosophi cœpissent rerum scientiam acquirere & frequenter, ut testatur Boetius in suis disputationibus & studijs per diuersos discursus rationis contradictionem incurrerent ignorantes naturas argumentationum ac syllogismorum nimis impediebantur processus eorum. Vnde uisum est eis prius artem disputandi inueniendam & discendam esse, quam de rebus naturalibus & motibus cecutiendo tractandum. Nam sicut cæteræ potentiæ animæ in suis actibus errare possunt, ita & intellectus in suis, & sicut ratio de operibus aliarum potentiarum ratiocinatur & ordinat eas ut per debita media ad suos fines perueniant, ita & potest de suo proprio actu ratiocinari & seipsam ordinare ut per

Boetius.

debita

debita media ad suos fines sine errore perueniat. Sicut ergo ipsa ratio inuenit diuersas artes ad dirigendum hominem ad diuersos fines ad quos peruenit per exercitium corporis, ita cōgruum fuit ut aliquam artem inueniret, qua seipsam in suis operibus dirigeret. Nihil enim aliud uidetur esse ars quam quædam rationis ordinatio per quam homo per debita media ad finem intentum perducitur. Ille uero artes quæ exercentur per corpus, quod animæ deseruit dicuntur seruiles. Ille uero quæ per solum intellectum exercentur qui liber est, dicuntur liberales. Quamuis autem omnes scientiæ sint secundum rationem, non tamen omnes dicuntur rationales: sed solum hæc de qua loquimur, quia ipsa non solum est secundum rationem, sed etiam dirigit omnia rationis opera. Operationes uero rationis tres sunt, uidelicet simplicium apprehensio: compositio & diuisio: & discursus seu argumentatio. Circa quas tota rationalis scientia uersatur. Primæ enim operationi intellectus deseruit liber prædicamentorum Aristotelis secundæ autem liber perihermenias, id est, de interpretatione. Tertiæ uero reliqui libri logices, qui sunt de syllogismis. Sed quia in syllogismo duo sunt forma & materia, hæc pars tertia in duas principaliter diuiditur. Vna enim tractat de syllogismo simpliciter & eius forma, & ad hanc ordinauit philosophus librum priorum analyticorum. Altera uero de syllogismi materia consyderat quę est id ex quo conficitur, Hæc autem sunt propositiones, ex quibus

Sciētia rōnalis diuisio li. prædic. perih.

lib. prior.

discurrendo ad cõclusionem peruenimus, et quia ars imitatur naturam, sicut natura ex caussis procedit ad effectus ita & rationalis scientia ex propositionibus procedit ad conclusiones. Nam propositiones dicuntur a logicis causa conclusionis. Natura autem aliquando per causas necessarias operatur, aliquando per eas quæ ut in pluribus et non ex necessitate producunt suos effectus: quarum quanto uirtus fuerit fortior: tanto etiam frequentius ad effectus intentos perueniunt. Ratio igitur quandoque ex propositionibus necessarijs et euidẽtibus ita suas colligit cõlusiones ut nunq̃

Lib. poster. in tali ꝓcessu fallat, et huic deseruit liber posteriorum analyticorum qui de demonstratiuo syllogismo consyderat, quandoque uero ex propositionibus probabilibus procedit, per quas & si scientiam non generat: opinionem tamen faciens inclinat intellectum ad unam partem contradictionis

Lib. topico. determinate licet cum aliquali formidine alterius & huic processui deseruit liber topicorum. Aliquãdo autem ex signis procedit per syllogismum qui dicitur enthimema, qui quamuis opinionem non generet: tamẽ aliquam facit existimationem de re quam intendit probare, cui processui deser-

Rheto. uit ars rethorices. Aliquando ex similitudinibus et exemplis procedit per syllogismum, quem philosophus uocat exemplum, cui processui deseruit

Poatic. ars poetica. Et quia in omnibus his processibus contingit errare propter defectum alicuius principij quod ad syllogismum pertinet, cõgruum fuit ut huiuscemodi deceptionis cognitio nobis trade-

Lib. elench. retur, cui deseruit liber elenchorum, & in hoc terminatur

minatur uniuersa philosophia rationalis. Grammatice autem proprie nec est scientia realis, nec rationalis, quia de uocum significatione & orationum constructione & literarum inscriptione pertractat, quæ significant, ordinantur, atque scribuntur secundum placitum hominum. Possent enim homines una conuenire & uniuersum modum loquendi et scribendi quem nunc seruant immutare, sicut etiam nũc multa antiqua immutata fuerunt. Sed hoc in alijs scientijs fieri non potest, ut uiro sapienti manifestum est. Scientia enim est de immutabilibus & sempiternis. ut Aristote. manifeste probat. Vnde grammatica inter scientias non connumeratur, nisi nomen scientiæ accipere uoluerimus latissime. Hac igitur de diuisione ni fallor omnes scientias quæ ui humani ingenij inueniri possunt complexi sumus, & si forte aliæ inueniantur, uel non sunt ueræ scientiæ, ut multæ superstitiosę quę diuinatoriæ appellantur, uel ad istas quas enumerauimus reducuntur.

Grammatica non cõputatur inter scientias.

1. post. le. 16 t. c. 22.

Quas omnes philosophiæ partes qui non possidet simpliciter philosophus & sapiens appellari non potest, sed ex parte solum, si partem aliquã solum possideat, quia ut dictum est sapiens simpliciter dicitur qui omnia scit ut decet. Hoc autem dico philosophice, non christiane loquendo. Sacra uero theologia nostra inter istas connumerari non poterit, quia nec uirtute humani ingenij nec alicuius intellectus creati quamlibet excellentissimi inueniri aliquo modo potest, uersat enim circa illud ens quod a nullo intellectu naturaliter potest intelligi, & tamẽ complectitur omnia quę

662

Theologia. aliæ ſcientiæ conſyderant ſub una ratione formali ut ſit una ſcientia & non plures. Si enim loquamur de ratione formali ex parte obiecti inquantum eſt quædam res dicimus ipſam tractare de Deo ſub ratione Deitatis. Et hoc eſt eius obiectum principale quia ſi de alĳs tractat hoc agit ſecundum quod ad Deum diuerſimode ordinantur, uel ſicut ad cauſam efficientem, uel ſicut ad finem. Si autem loquamur de ratione formali ex parte cognoſcentis, ſic obiectum eius commune eſt ens diuinitus reuelabile. Tractat enim de omnibus rebus tam diuinis & ſupernaturalibus ac naturalibus quam moralibus, non quidem per rationes naturales uel per creaturas procedendo, ſed per lumen ſupernaturale. Vnde in creaturis non conſyderat proprietates rerum & eſſentias cauſaſque proximas, ac proxima earum principia, eo modo quo philoſophi faciunt, ſed altius eleuatur, conſyderans in eis principaliter diuinam potentiam, ſapientiam ac bonitatem, & per eas inueſtigat proprietates diuinarum rerum non manuducta à lumine naturali, ſed a lumine diuino ſubuecta quod ſplendore ſuo adiuuat intellectum, & mentem ab omni labe purgatam confortat ut in creaturis tanquam in ſpeculis diuinam contempletur bonitatem, paulatimque ipſum ſuſtollit ſuper altitudines terræ, ac mirabili quodam modo in ſinum ſanctiſsimæ & indiuiduæ trinitatis perducit ubi paſcitur & quieſcit ac decantat. In pace in id ipſum dormiã & requieſcam. Omnibus ergo ſcientĳs hoc pacto diſpoſitis ac diuiſis, reliquum eſt ut comparemus

mus eas adinuicem considerantes earum dignitates: & conuenienter, unam alteri præponentes, ut cognoscamus quam transeunter inspicere: & in qua paulisper immorari & quam tanquam omnium nostrarum operationum finem amplecti debeamus, ut simus aliqua ex parte etiam in hac uita beati.

Explicit liber primus.

INCIPIT LIBER SECVNDVS.

De singularum scientiarum ordine ac dignitate.

SCientiarum aliæ sunt honorabiles, aliæ uero laudabiles. Honorabiles sunt speculatiuæ, laudabiles practicæ. Honoramus enim fines. Laudamus autem ea quæ sunt ad finem. Quia ergo speculatiuæ sunt propter se, practicæ uero propter aliud, cum finis illarum sit contemplatio ueritatis, istarum uero finis sit opus manifestum est speculatiuas scientias practicis esse digniores ac honorabiliores. Practicas enim scientias non honoramus proprie sed laudamus. Nam scire ea quæ ad bonos mores pertinent sine opere (ut philosophus testatur) nihil est: & multo magis minimum putatur scire artes mechanicas. non enim habet hęc scientia dignitatem ex obiecto nec etiam ex modo.

Arist. in lib. mag. mor. in p°. specu. prac. prest. 2. eth. l. 2.

Vnde ſi quis moralia ſciat, & non operetur, nec honoratur nec laudatur, immo potius uituperatur, quia tota uis eius in opere eſt, quia ergo practicæ ſcientiæ non ſunt propter ſe ſed propter aliud comparantes eas adinuicem, dicimus illas pręſtare quæ ad nobiliorem finem ordinantur, & ideo morales præponuntur mechanicis, quia illæ ad perficiendam animam, iſte uero ad bona corporis ordinantur. Inter morales autem politica œconomicæ & œconomica ethicæ præfertur: quia bonum quanto communius eſt tanto eſt diuinius.

Mora. mec. proſunt.

Diony.

Politica autem ad bonum cõmune ciuitatis & regni immędiate, & œconomica ad bonum familiæ: Ethica uero ad bonum unius hominis tãtum ordinantur. Scientiarum uero ſpeculatiuarum, altera alteram excedit: uel quia certior eſt, uel quia de nobilioribus & excellentioribus tractat, propoſitis ergo duabus ſcientijs ſi una ſuperat alterã in certitudine & obiecto, proculdubio dignior ęſt ea, ſi autem in altero ſolum præcedit, illam dicimus eſſe ſimpliciter præponendam quæ nobilius habet obiectum quamuis minorem habeat certitudinem. Obiectum enim eſt magis eſſentiale ſcientię quam modus. Vnde potentiæ & habitus non a modo ſed ab obiecto ſpeciem accipiunt. Quamuis ergo illa quæ certior eſt ſit dignior quantum ad hoc: eſt tamen minus digna ſimpliciter cum de rebus ignobilioribus tractet. igitur ſcientias reales ſimpliciter dicimus eſſe nobiliores ſcientia rationali: eo quod nobilius habeant obiectum: quia ens reale nobilius eſt ente rationis, inter reales uero mathematicę quamuis certiores

Poli. œco. et eth. præfertur.

Reales rationalibus præferuntur.

ſint

sint naturalibus: quia tamen circa quantitates et qualitates uersantur simpliciter sunt ignobiliores eis quæ substantias naturales consyderant, sicut accidens est ignobilius substantia. Pure autem mathematice ut est arithmetica & geometria quantum ad aliquid preferuntur scientijs quæ medię sunt, idest, quantum ad modum. Vnde a philosophis arithmetica & geometria dicuntur principales & subalternantes. Medię autem subalternatæ: principalis autem semper dignior est subalternata: quia hæc omnem firmitatem & certitudinem habet ab illa. Verum inquantum hæ mediæ sunt naturales (ut superius diximus) preferuntur illis: quia res naturales circa quas mediæ uersantur pręferuntur numeris & figuris, quæ a puris mathematicis consyderantur. Arithmetica uero merito pręfertur geometriæ, tum quia habet obiectum nobilius, utpote magis abstractum, tum quia est magis certa. Nam geometria se habet per appositionē ad arithmeticam ut philosophus dicit. Punctus enim positionem includit quam unitas non respicit, & sine numeris & unitatibus geometria suas domonstrationes non facit. Astrologia autem dignior est perspectiua & musica, tum quia est de nobiliori obiecto, tum quia secundum se est magis certa. Versatur enim circa cœlum & astra quæ habent ordinem inuariabilem & certissimum. At perspectiua simpliciter uidetur esse dignior musica, & quia obiectum uisus est nobilius obiecto auditus, & quia stabilius est. Vnde & secundum se maiorem uidetur habere certitudinem. In scientia autem na-

naturales mathema. præsunt.

Arith. præfertur geomet.

perspect. music. præfertur.

666

turali quamuis liber de physico auditu ratione ordinis doctrinæ alijs libris pręferatur: non tamen ratione dignitatis, nisi forte quis opinetur eum cęteris libris prestare, ratione dignitatis primi motoris de quo tractat in octauo libro. Pars autem illa quæ de anima & de animalibus tractat (ut philosophus dicit in.1.de anima) omnibus alijs partibus est præferenda ꝓpter obiecti sui nobilitatem maiorem, & si quis dicat librum de cœlo cæteris esse pręferendum quoniam tractat de corporibus nobilissimis: præsertim cum secundum Aristotelem & Platonem cœlum sit animatum, dicendum est secundum Boetium quod philosophus non arbitratur corpora cœlestia esse animata eo modo quo Platonici crediderunt, id est, anima informante & dante esse quam uocauerunt animam mundi: sed intellexit ea esse animata improprie per unionem intelligentię ad talia corpora quemadmodum motor unitur mobili. Vnde Arist. non agit in li. de cęlo de corporibus istis per relationem ad intelligentiam mouentem: nec de eius natura aliquid dicit: & recte. Excessisset enim metas philosophi naturalis: cum sit officium metaphysici de substantijs separatis tractare. Tractat ergo de huiuscemodi corporibus per cōparationem ad motum & ad formam naturalem. dantem esse quæ non est anima. Cum itaque animata inquātum huius nobiliora sint inanimatis: necesse est partem philosophiæ naturalis quæ circa animata uersatur preferre illi quę uersatur circa. motum cœli & naturam eius: exclusą contemplatione de natura intelligentię mouentis, Quamuis

De āīa lib. 1.

Cœlum esse animatum quomodo intelligatur.

enim

enim forma cœli inquantum forma sit nobilior anima inquantum anima est forma: eo quod illa dat esse incorruptibile: hæc autem corruptibile: tamen anima inquantum hęc & talis forma nobilior est forma cœli: quia anima dat esse animatum non autem forma cœli. Et simpliciter & absolute loquendo anima est nobilior forma quam forma cœli. non enim simpliciter forma cœli pręferenda est animæ: quia dat esse incorruptibile & sempiternum. Alioquin formæ lapidum & quarundam rerum ignobiliũ pręferentur animę: eo quod dant esse uel sempiternum uel durabilius quam anima. Libri itaque de anima omnibus libris philosophiæ naturalis præferuntur. Liber uero de cœlo secundus erit dignitate. Si quis tamen cum sancto Thoma in sum. contra gen. sustinere uoluerit Aristot. opinatum corpora cœlestia esse animata anima informante & dante esse: non tamen ei licebit præferre librum de cœlo libro de anima. quia philosophus non tractat ibi de cœlo inquantum animatum est: sed solum de his consyderat quę ad motum cœlorum & elementorun pertinent: nulla habita ratione de anima ipsorum. Sed quia ad alia festinamus de ordine dignitatis cæterorum librorum taceo. Quem facile cognoscere poterit qui ea q̃ supra diximus diligenter inspexerit. Metaphysica autem eo quod maxime est de Deo & eam maxime Deus habet: ut dicit Aristoteles, merito omnibus anteponenda est: Hæc enim est finis ad quem philosophus & sapiens intendit peruenire & in quo quiescere tentat.

lib. d'anima cæteris præferatur.


meth. omnibus præfe.

At rationalis philosophia quæ inter speculatiuas

ſcientias tenet infimum locum: quia & ipſa multas habet partes: conſyderandum eſt qualiter ordinari debet. Quidam enim adeo eam ignobilem putant ut non dignentur ipſam ſpeculatiuam appellare: eo quod uideatur quidam ſciendi modus & ad aliud ordinari quemadmodum & practicę ſcientiæ. Sed ſi quis recte conſyderet: inter practicas ſcientias eam non connumerabit: cum practicæ ſcientiæ ordinentur ad opus alterius potentiæ quam intellectus: ad quod iſta nequaquam ordinatur; ſed opus intellectus tantum reſpicit: & ipſa ſecundum ſe non eſt modus ſciendi: ſed ſcientia in pleriſque multo certior quam philoſophia naturalis. Nam philoſophus in libro priorum analyticorum ita certas demonſtrationes facit ut nullũ poſſit eſſe dubium quin uere & proprie de ſyllogiſmorum formis ſcientiam habeamus. In cæteris quoq; libris ita efficaciter ſuas probat concluſiones ut non uideam qua ratione logica non poſsit: & ſcientia: & ſpeculatiua ſcientia nuncupari: quãuis etiam dum ſuas regulas ad obiecta aliarũ ſcientiarum applicat poſſit dici modus ſciendi: ſed ſiue ſit ſcientia ſpeculatiua ſiue non: manifeſtũ eſt tamen illam partem quę eſt de demonſtratione cæteris eſſe digniorem: eo quod demonſtratio eſt nobiliſsimus ſyllogiſmus. Nam primæ duæ partes quarum una eſt de ſimplici intellectus appræhenſione: altera uero de compoſitione & diuiſione ordinantur ad ſyllogiſmum tanquam ad finem. Vnde poſtponuntur tertiæ parti quæ eſt de ſyllogiſmo quemadmodum ea quę ſunt ad finem poſtponuntur ipſi fini. Ideo etiam prima pars

postponitur secundæ: cum ordinetur ad eam. Secundum ergo ordinem doctrinæ liber prædicamentorum librum periermenias præcedit: & hic librum priorum analyticorum: secundum uero ordinem dignitatis se habent adinuicē ordine retrogrado. Liber autem priorum analyticorum, etsi omnes alios libros philosophię rationalis pręcedat secundum ordinē doctrinæ non tamen praeponitur omnibus ordine dignitatis. In lib. enim prædicto tractatur de syllogismo simpliciter qui est genus ad omnes syllogismorum species. Species uero genere digniores & perfectiores sunt. Quarum una tanto dignior est altera quanto efficacius suam conclusionem probat & quanto excellentiorem habitum generat. Quia ergo sciētia dignior est opinione, & opinio existimatione. Existimatio autem suspitione. Syllogismus demonstratiuus dignior est dialectico: & dialecticus rethorico, rhetoricus autem poetico, & ideo liber posteriorum analyticorum dignitate praecedit librum topicorum. Hic autem librum rhetoricorum, qui libro poeticæ merito anteponitur. Postremo uero loco collocabitur liber elenchorum qui de syllogismo sophistico tractat. Sacra autem theologia est & practica & speculatiua. Nam sub ratiōe formali obiecti ipsius omnia entia tam diuina quam naturalia & moralia (ut dictum est) includuntur. Principaliter tamen est speculatiua, quia quamuis finis præcepti sit charitas de corde puro, tamen charitas ulterius ordinatur ad contemplationem primæ ueritatis tā in patria quam etiam in uia tanquam ad finem, iuxta illud Do-

Ordo & dignitas librorum logic.



Ioan.14. mini Iesu. Qui diligit me diligetur a patre meo et ego diligam eum & manifestabo ei meipsum. Theologia ergo quantum ad utranque partem dignior est omnibus scientijs humanitus inuētis. Inquātum enim est practica, ad nobilissimum finem utpote ad ultimum ordinatur. Cum ergo una scientia practica alteri præponatur propter nobiliorem finem, nulla in genere practicarū poterit huic nostræ scientiæ comparari. Inquantum uero speculatiua, palam est quod simpliciter omnibus est dignior, eo quod obiectum eius sit Deus supernaturaliter cognitus. Quantum etiam ad modum omnes alias præcedit. Nam scientiæ humanitus inuentæ certitudinem habent a lumine naturali quod multipliciter deficit. Theologia autem a lumine diuino, quod nullo modo deficere potest. Vnde merito hæc sola digna est nomine sapientiæ, cuius studium homines perfectos reddit ac propemodum beatos, & pręponenda est regnis, & sedibus, atq; in comparatione illius omnia suntut stercora existimāda. Tantum enim distat hæc ab alijs scientijs quantum Deus distat a creaturis, dicente scriptura, infinitus thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt participes facti sunt amicitiæ Dei. Scientijs itaque omnibus hoc modo ordinatis, manifestum esse potest quas transeunter legere, & in quibus paululum immorari, et quam tanquam finem amplecti debeamus. Rationales enim & mathematicę cū ex obiecto non habeāt magnam dignitatem trāseunter & quantum sufficit ad aliarum scientiarum utilitatem inspiciendæ sunt. In philosophia autem naturali & morali

theologia simpliciter oībus præferenda.

Sap.7

morali aliquãtisper immorandum eſt, tũ propter obiectorum dignitatem, tum etiam propter utili tatem, quia naturalia eleuant animum ad diuina. Metaphyſica uero in ſcientijs humanis eſt finis omnium, cui tamen præponimus ſemper ſacram theologiam, in qua uir ſapiẽs perpetuo quieſcere debet. Quia ergo de numero & ordine ac dignita te ſcientiarum diximus, reliquum eſt ut de earum utilitate aliquid loquamur.

INCIPIT TERTIVS LIBER de ſecularium ſcientiarum utilitate chriiſtianæ religioni.

Finem humanę uitę eſſe contemplationem primæ ueritatis nõ ſolum fides catholica; ſed etiam excellentiſsimi omnium philo- ſophorum Plato & Ariſt. eorumque ſecta tores teſtantur & ratione manifeſtiſsima probãt. Nam finis uniuſcuiuſq; rei eſt propria operatio, quam philoſophus uocat. ſecundam rei perfectio nem. Prima enim eſt forma. Operatio autem ho minis propria eſt intelligere ueritatem. Quãto au tem ueritas eſt nobilior & prior tanto operatio homiuis propria hanc ueritatem inſpiciens eſt nõ bilior & magis proxima ut ſit ultimus finis. Vn de philoſophus in decimo ethic. dicit ultimum fi- nem hominis eſſe operationem nobiliſsimæ po- tentiæ per comparationem ad nobiliſsimum ob- iectum. Nobiliſsima autem potentia in homine eſt intellectus & nobiliſsimum obiectum eſt pri ma ueritas q̃ eſt. Deus Ergo operatio intellectus quę eſt contẽplatio dei eſt ultima hõinis pfectio,

Finis humana mane uitæ.
1.eth. l. 10
10.eth. l. 10.

Verum in hac uita qualiter homo possit fieri beatus est difficile intelligere, immo est impossibile diffinire, quia impossibile est quemq; in hac misera uita mortali uere posse esse beatū. Et ꝑpter hoc Arist. angebatur, ut patet in ethicis suis. Cum. n. de alia uita per rationes naturales nihil posset affirmare, & in hac qualiter aliquis uere posset esse beatus minime discerneret nullam certam potuit de beatitudine proferre sentētiam. Nos aūt facile probamus nullū omnino in hac uita mortali uere posse fieri beatum. Ad quod probandum etsi multæ nobis rationes & pene demonstrantiones occurrunt, quia tamen iam res in promptu est & experientia probatissima, quia per multa millia annorum iam nobis hoc apertissime demonstrauit, cum adhuc de nullo mortali uere dictum sit uel dici posit quod in hac uita fuerit uere beatus.

Neminem in hac uita fieri posse beatū.

Vnam tantum rationem ne omnino uideamur hanc partem præterire adducemus in medium. Tendentes enim ostendere quantū religioni christianæ prosint aut profuerint scientiæ sæculares, necessarium putamus prius declarare quis sit finis humanæ uitæ non solum secundum fidem, sed etiam ui rationis naturalis & similiter quod & quale sit medium per quod ipsum finem attingimus. Hoc enim patefacto facilius ad propositum perueniemus. Vt autem ratio sit potentior & nullus posit eius uirtutem subterfugere, statuemus in medio aliquem qui omnia bona creata possideat, hoc dempto duntaxat, quod diuinam essentiam non uideat, uolentes tamen ut cognoscat naturam omnium rerum creatarum

rum

tum, & sit Dominus Angelorum ac totius uniuersi, hunc ergo quisquis ille fuerit siue homo siue Angelus, probo non esse uere beatum si beatitudo est quies desiderij. Nam cum nō quiescit naturale desiderium, certum est ipsum ad finem nōdum peruenisse. Quod autem huius naturæ creaturæ in tanta sublimitate constitutę naturale desyderium non quiescat, sic probamus. Omnes homines natura scire desyderant (ut philosophus ait.) Quod quidem non solum uerum est de hominibus sed etiā de omni creatura intellectuali, quia unumquodq; inclinatur naturaliter ad suam perfectionem. Perfectio autem intellectus est sciētia & ueritatis cōtemplatio. Cum igitur scire sit rei causām cognoscere, & quoniam illius est causa, & quod impossibile est aliter se habere, ut dicit philosophus in primo posteriorum analyticorū: naturale desyderium est unicuique intellectui uiso effectu desyderare cognoscere causas. Vnde propter admirari (inquit Aristote.) cœperunt homines philosophari, ꝓpter naturale enim desyderium sciendi philosophi uidentes effectus inclinauerunt animum ad inuestigādas causas. Quicunque ergo super angelos fuerit constitutus, cum habeat intellectum non poterit ab hoc naturali desyderio liberari, eo quod naturalia auferri nō possunt. Ergo uisis angelis & alijs nobilissimis effectibus aut eos cognoscet perfecte aut imperfecte, si imperfecte statim ex naturali desyderio ad acquirendam perfectam eorum cognitionem inclinabitur, quia omne imperfectum naturaliter desyderat suam perfectionem. Vnde & materia na

Primo Methaph. in prohe.

Primo post. l. 4. ibi.

Primo Met. l. 5.

1.physic.t. turaliter appetit formam sicut fœmina appetit ef
c.8. se uirum, & turpe pulchrum ut dicitur in primo
physicorum. Ergo naturale desyderium eius non
dum quiescit. Adhuc ergo mouetur & ita sequi-
tur ꝙ non est in fine ultimo, nec uere beatus. Si au
tem perfecte huiuscemodi effectum cognoscit, er
go intelligit eos depẽdere ab aliqua superiori cau
sa quam statim ex naturali desyderio cognoscere
optabit, quia (ut dictum est) omnes naturaliter
scire desyderant: & scire est rei causam cognosce-
re. Non ergo quiescet adhuc eius naturale desyde-
rium immo uidetur minus quiescere ꝙ̃ naturale
desyderium aliorum intellectuum inferiorum,
quia id quod naturaliter mouetur quanto propin
5.Phi.t.c.61 quius est termino tanto uelocius mouetur. Cum
igitur intellectus præfatus sit termino propinquis
simus, iuxta casum positum, sequitur ꝙ ad ipsum
uehementius moueatur ꝙ̃ alius intellectus remo
tior, & ita non uidens deum quiescere non pote-
rit. Non ergo erit uere beatus. Si igitur tali casu fa
cto probatum est excellentissimam creaturam si
ne uisione dei nullo modo uere posse esse beatam
quis poterit asserere hominem mortalẽ & in hac
miserabili carne & in tam crassa ignorantia ac cę
citate posse beatificari? Beatitudo ergo nostra est
uisio primæ ueritatis. i. patris & filij & spiritus
Beatitudo sancti, iuxta illud domini Saluatoris. Hęc est uita
quid sit. æterna ut cognoscant te solum uerũ deum & quẽ
misisti Iesum Christum. Nec curandum est nunc
Ioan.17. utrum beatitudo consistat in actu intellectus uel
Beatitudo in in actu uoluntatis. Nos enim dicimus quod essen
quo consistat tialiter consistit in actu intellectus, perfectissimẽ

uero

uero in actu uoluntatis. Sufficit tamen nobis in præsentia q beatitudo est operatio partis intellectiuæ, id est, superioris partis animæ rationalis quantum pertinet ad homines per comparationem ad deum non in ænigmate sed aperte uisum & cognitum. At quia non solum secundum fidem sed etiam iuxta sententiam achademicorum & peripateticorum contemplatio primæ ueritatis requirit puritatem animi, secundum illud philosophi. Anima sedendo & quiescendo fit prudēs qui etiam in libro ethicorum ostendit neminem fieri posse beatum nisi uirtutes morales possideat quibus ab omni labe concupiscentiarum & passionum mundetur animus, Ideo mediū perueniēdi ad beatitudinem dicimus cordis puritatem dicente domino. Beati mundo corde quoniam ipsi deum uidebunt. Cum ergo post creationem uniuersi labentibus hominibus multæ religiones, si tamen ueræ religiones possint appellari fuerint inuentæ, illam debemus confiteri ueram & solā esse religionem & a deo institutā, quæ uel melius uel sola homines perfecte perducit ad animi puritatē prædictam. Nullam autem inuenies aliam nisi christianorū religionē. Hæc. n. sola docet perfectā animi puritatē, cū homines instruat, omnib. creatis ēt semetipsis relictis. soli deo p amorē inhærer, deū plusq̃ seipsū diligere, nihil ppriū q̃rere, tā puro amor deo seruire, ut mercedē nullā deū amātes cōsiderēt, sed solū eius honorē & gloriā. Nō ē op9 āt nūc p diuersas alior̄ supstitiōes discurrer, spurcitias idolatrarū pādere, philo. discordias, ābiguitates, ac ignorātias explicare. Mahometi sectā cō

7. Phis. t. c. 20.

Mat. 5.

fusam, fatuam ac inhonestam prædicare, iudæorum quoq; qui solum literæ corticem in scripturis attendunt ineptias demonstrare. Nulla enim religio est nec esse potest quę magis ad cordis puritatem ducat uel ducere possit quàm nostra. Eo maxime quia non solum per exercitium docet homines purgare animos ut philosophi quidam docuerunt sed etiam prædicat gratiam & dona supernaturalia, per quæ mens altius eleuata & perfectius purificata in carne mortali fit particeps beatitudinis desideratæ. Vnde si aliqua alia religio inueniretur quæ hæc eadem doceret, nam meliora docere nulla potest, non esset iam alia sed eadem cum nostra nulla tamen adhuc inuenta est, nec inuenietur in æternum. Sed de his satis. Cum itaq; quæritur an scientiæ quas gentiles inuenerunt sint christianę religioni necessariæ. Respondendum puto, eas simpliciter minimę esse necessarias, cũ sine his christianus & esse & uiuere possit. Placuit enim domino nostro Iesu christo homines ad pauca sacramenta constringere, eosque saluos facere breuissimo charitatis ac puritatis uerbo, ut Isaiæ uaticinium impleretur, qui ait.

Esaie. 10 Consummatio abbreuiata inundabit iustitiam. Consummationem enim & abbreuiationem dominus deus exercituum faciet in medio omnis terræ. Verum quia in populo christiano quidam cõstituti sunt aliorum doctores, posset aliquibus uideri his necessarias esse disciplinas naturaliter inuentas. Sed diligenter consyderans sacram scripturam, quę ecclesię magistris data est ad suam, & aliorum salutem potius puritatem cordis ope

tibus

ribus bonis, & contemplatione ac spiritus sancti illustratione quàm ui ingenij & exercitio studij humani addisci. Non uideo quomodo tales scientiæ sint adeo necessariæ q̃ sine illis respu. christiana uiuere non possit. Profecto si sic esset. Dñs noster Iesus christus qui tantam pro nostra salute sustinuit passionē nullo modo prętermisisset quin uel per seipsum uel per apostolos & prophetas disciplinas has aut docuisset: aut addiscendas in libris philosophorum ecclesię pręlatis pręcepisset. Siquis tamen omnino putat eas prędicatoribus: ecclesięq; doctoribus esse necessarias: legat rogo sacras scripturas: non in sensus sui uanitate: sed in conscientia pura & fide non ficta: & experientia discet earum sensum non de subtilitate humani ingenij: sed de spiritus sancti illustratione uenire. Et quanquam multa sint in nouo & ueteri testamēto quę ad physicas pertinent disciplinas: hoc tamen non me mouet ad credendum sacras literas christianum doctorem nequaquam posse tenere: sine harum disciplinarum scientia. posset.n. fieri liber (ut dicit Augu. in lib. de doctrina christiana.) in quo de quibusdam rebus naturalibus & de numeris & alijs multis quæ ad scientias humanitus inuentas pertinent: quantum opus esset ad sacrę scripturę intelligentiam tractaretur. Quę omnia paruo uolumine perstringi possent: ita ut non indigeremus tot philosophorum libros quotidie reuoluere: sicut etiam sanctus Hieronymus libellum edidit de interpretatione ac significatione hebraicorum nominū adeo copiose ut linguā hebraicam amplius non desideremus: quanquā

Aug. de doctri. christ.

perutile

Hebraica prosunt ad intelligendam scripturam.

perutile putamus: præsertim si qui uelint cum iudæis disputare literarum hebraicarum habere peritiam. Si quis autem ulterius instat & dicit hereticos homines eorumq; peruersa dogmata nequaquam posse sine philosophia confutari. Respondemus ei in concilio niceno fuisse quendam philosophum in arte dialectica peritissimum qui a nullo unquam episcoporũ illorum & sacerdotum secularium disciplinarũ doctissimorum potuit uirtute philosophię superari: & tamen a quodam simplicissimo uiro literarum prorsus ignaro sed fide atq; charitate dei munito: paucissimis (non fucatis sed uirtute dei suffultis) uerbis superatus est & ad fidem christi conuersus. Vnde circũstantibus dixisse fertur se hactenus pro uerbis uerba dedisse. Virtuti autem dei se resistere non potuisse. Mihi credite. Spiritus qui scripturas sacras tradidit nobis non eget armis philosophorum ut se defendat. Sapientia. n. nostra fortior est cordis puritatē roborata q̃ armis fulta gẽtilium. Dauid enim arma proiecit, & lapides limpidissimos in peram posuit unoq; solo ualidissime iacto interfecit potentissimum gigantem qui gloriabatur in uirtute sua: quę nõ erat uirtus. Sed ne omnino uidear multorum opinionibus & magnorum uirorũ auctoritatibus contradicere: aliter respondebo: Dupliciter inquit philosophus dicitur necessarium. Est enim necessarium absolute dictum: ut est hominem animal esse, & hoc modo philosophiam dicimus nulli christiano esse necessariam. Est etiam necessarium ex suppositione quod in duas secatur partes. Nam aliquid interdum est adeo necessarium

Plus potest fides pura, ad confutandos hæreticos, q̃ scientia

1. Reg. 17.

5. Met. t. c. 6

ad ali-

ad aliquem finem consequendum: ut sine eo finis haberi non possit. Et hoc etiam modo philosophiam putamus non esse christiano necessariam nec ad salutem consequendam: nec ad sacrã scripturam perdiscendam. & hoc dico loquendo de philosophia quæ per studium & magnam ingeniorum attritionem acquiritur. Nam sine cognitione aliquarum rerum ad philosophiam naturalem pertinentium quæ sine magno labore acquiritur (ut iam dictum est) haberi non potest. Si autem necessarium illud appellaueris sine quo finis quidem haberi potest. sed non ita bene & perfecte: non negabo philosophiam christiano fore necessariam. i. utilem: quia si quis sacram theologiã cũ philosophia teneat & in conscientia pura, custodiat, perfectior theologus & potentior Christi miles dicendus erit cęteris paribus, quam ille qui solam theologiam possidet, hoc tamen sciẽtes ꝙ theologia absque philosophia in pectore mundo præponenda est theologiæ cum philosophia in pectore superbo. Illa enim fortius inimicorum iniuriam propulsaret quàm ista, quia spiritus est qui uiuificat. Caro autem non prodest quicquam. Et sciendum est quòd quamuis scientia naturalis multũ christianę religioni profuerit ad errores confutandos & superbiam huius seculi ac sapientũ eius retundendã, nõ minus tamen eidem nocuit. Sciẽtia enim per se bona est & utilis, per accidẽs autem mala & noxia. Bona igitur & utilis esi ecclesię philosophia per se & ad fidem confirmandã ac omnem altitudinẽ extollentẽ se aduersus scientiã dei destruendam, admo-

Scientia naturalis non minus nocuit christiane religio. q̃ profuit.

dum est necessaria, quoniam christianus doctor dum ostendit ueram philosophiam, sacræ scripturæ non modo non repugnare sed magis ei deseruire, superbos huius seculi ac inflatos uacuosque intellectus, in quos eorũ propria tela retorquet: pedibus (ut ita dixerim) calcat, & eorum imprudentiã obtumescere facit, garrulitatemq; restringit, atque oues christi agnosq; ac paruulos & ubera suggentes ab eorum rabie potentissime defendit.

Roma.1. Verum multi hodiernis temporibus qui uolũt uideri legis doctores ac defensores cõuersi sũt in uaniloquium, obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt, quia relicta sacrarum literarum simplicitate, ad gentilitatẽ se penitus conuerterunt, & adulterantes uerbum dei impleuerunt chartas superbissimis obscuritatibus uanissimisque uerborum ornatibus ac stulta apud deum sapientia pompaque rhetoricorum uerborum deo odiosa, necnon infinitis quæstionibus inexplicabilibus ac inutilibus, quæ mergunt homines in interitum, audientesque subuertunt, & in uestimentis ouium uolentes uideri fidei defensores, facti sunt populo dei lupi rapaces. Dicunt enim se philosophiæ operam dare ut melius sacras scripturas quas nunquam legere uolunt, intelligant, meliusque ueritatem dei, fidemque defendant. Sed re uera quærunt quę sua sunt non quę Iesu christi, semper addiscentes (ut dicit Apostolus.) & nunquam ad ueritatis scientiã peruenientes.

2.Thimo.3. Psal.11. Qui dixerunt, ait propheta. Linguã nostram magnificabimus. Labia nostra a nobis sunt, Quis noster dominus est? Et tantũ hic morbus

bus increuit ut Ecclesię prelatos, presbiteros, clericos, religiosos ac seculares, totumque populum christianum tabefecerit. Adeo autem inueteratus est, ut non solum glorientur christiani & tumenti animo de gentilium literis extollant semetipsos, sed quod peius est, paganorum scientias, qui in uanitate sensus sui ambulantes nihil putabant uerum nisi esset inflata uerborum compositione ornatum, non uerentur præponere scientiæ Dei, a quo est omnium sapientia: & qui linguas mutorū aperit facitque disertas. Et multi hodie in tantam insaniam blasphemiāque proruperunt ut sacras scripturas rugato naso subsanantes, ita despiciant & irrideant ut earum sectatores putent pro nihilo habendos. Adeo enim princeps huius seculi excecauit eos, ut tanquam mentecapti cum nihil sciant, se omnium rerum sapientiam apprehendisse arbitrentur. Taceo de multis qui cultum Dei fidemque eius abnegarunt, eo quod nulla alia ratione se ingeniosos doctosque uideri posse arbitrantur nisi Deum uiuū a quo & esse & uiuere & moueri ingrati acceperunt blasphemando uituperent. Contra quos profecto aliquid dicerem, nisi scirem quibus uiribus opus sit ut persuadeatur superbis quāta sit uirtus humilitatis. Quis igitur posset aduersus horum uanissimam loquacitatem & superbissimam stoliditatem admirandissimamque cæcitatem stomachum continere? Scientia itaque cum per se bona sit, per accidens facta est mala. Bona quippe est bonis, & mala malis, quia (ut dicit Apostolus.) Omnia munda mundis, immundis autem etiam ipsa mundissima sunt immūda.

Ideo religioni christianæ non expedit scientias seculares, ita passim admittere. Experientia enim docuit quod nisi caute recipiantur filios blasphemos in ecclesia generabunt. Omnia (inquit Apostolus) mihi licent, sed non omnia expediunt. Quamuis ergo philosophiæ secundum se studium impendere non sit illicitum, non expedit tamen omnibus in ea ingenium perdere. Felicissimam profecto putarem rempublicam christianam si retenta pristina scripturarum simplicitate quosdam duntaxat probos ac ingeniosos uiros eligeret, qui propter hæreticorum uersutias cum theologia disciplinas has perdiscerent, cæteri uero post grammaticæ scientiam cum bonis moribus sacras literas docerentur. Sed & si hoc fieret non deessent diabolo alia machinamenta contra eam quam semper persequitur sanctissimam ecclesiam. Necesse est enim (ait Dominus) ut ueniant scandala. & necesse est, (inquit Apostolus) heres es esse, ut qui probati sunt manifesti fiant. Vnusquisque ergo uideat quomodo caute ambulet, quoniam dies mali sunt. Hæretici enim ad hoc studium ecclesiam coegerunt atque ad philosophiam impulerunt, quam cum fuisset amplexata, tãquam meretrix ancilla multos eius filios ad sui carnalem concupiscentiam traxit. Nam & mulieres nonnunquam uenenum farinæ commiscent, & incaute ad necandos mures aliquo in loco recondunt, ad quem paruuli eorum accedẽtes, & uenenum ignoranter cum farina comedentes cum muribus pariter moriuntur. De his autem satis dictum puto. Verum quia me

1. Cor. 6.

Hoc nunc experimento didicimus in hac lutherana prauitate

Math. 18.

1. Cor. 11.

in ecclesia declamante, nonnulli poetæ uerba ferre non potuerunt, eo quod contra eam, quam super omnes scientias extollunt eorum disciplinam nimis ardenter uidebar inuehi, ne hanc partem pro qua principaliter suscœpi hoc onus scribendi prætermittere uidear, singulariter ad eam philosophiæ speciem quam poeticen dicunt transire tẽtabo. Et quia tum publice, tum priuate uerbo ac scripto dicunt, me ex ignorantia disciplinæ illius contra eam tam grauiter insultare, ostendamus postremo quæ & qualis cuiusue necessitatis aut utilitatis, presertim in ecclesia Dei sit hæc eorum ars quam tantopere laudant, ut intelligant, me non ex ignorantia sed ex zelo Dei & decoris domus eius quam dilexi poetas acriter fortiterq; mordere. Certe & nos scholas poetarum, ac metrorum infructuosas syluas uidimus, & manum ferulæ subduximus. Sed amor Dei aperuit oculos nostros, ut relictis syluis dulces pomariorum ecclesiæ fructus degustemus. *Iuuenalis.*

QVARTVS LIBER DE POEticæ artis ratione utilitate & damno christianorum animabus.

TRia in arte poetica mihi consyderanda uidentur. uidelicet. Obiectum, usus & modus. Quæ si subtiliter examinentur multos fortasse qui se magis poetas esse inanissimo facto gloriantur inueniemus necdum cognouisse quid artis poeticę nomen significet.

Phocenses pugnare malum est. Poetæ igitur est docere ex quibus & qualibus exemplum constituatur: & quibus modis: & similitudinibus ad diuersa genera. & ad diuersos status hominum conditionesque negociorum hoc syllogismo uti debeamus. Nam & cæteræ partes philosophiæ rationalis hoc idem faciunt circa proprium obiectum. Demonstratiua enim docet ex quibus & qualibus fit demonstratio: & topica ex quibus et qualibus fit syllogismus probabilis. Rhetorica quoque ex quibus & qualibus fit enthimema: & sic de alijs. Cum enim omnes istæ partes uersentur circa ens rationis: quod est obiectum in tota philosophia rationali: non possunt se ultra ens rationis extendere. Non enim philosophia rationalis tractat de rebus naturalibus: aut moralibus uel diuinis (ut quidam ignoranter dicunt) sed solum de syllogismis & de ente rationis. Cuius limites excedere non põt ut facile cognoscunt in logica etiam mediocriter instructi. Verum huiusce modi philosophia per omnes scientias currit. Est enim sicut aliarum scientiarum instrumentum et supellex. Vnde sicut malleo eodem quis operari potest in omnibus metallis: ita & philosophia rationali uti possumus in omnibus scientijs. Finis autem poete est inducere homines ad aliquid uirtuosum per aliquam decẽtem repræsentationem, ad modum quo fit homini abhominatio alicuius cibi: si repræsentetur ei sub similitudine alicuius abominabilis. At quoniam poetæ proprium est ex particularibus procedere: nõ quemadmodum dialecticus qui ex omnibus particularibus per in

Poete officiũ

Poetæ finis.

Poetæ ꝓpriũ

686

ductionem ostendit propositum suum: sed solum ex aliquibus: eo quod ut in analyticis prioribus dicit philosophus. Exemplum non est sicut pars ad totum: nec sicut totũ ad partem: sed sicut pars ad partem. Et quoniam singularia sunt incerta: necesse est propter debilitatem rationum suarum ipsum inducere aliquas decentes similitudines: & diuersis modis uerborumque ornatibus ac lenocinijs animos hominum ad se trahere ac delectare. Et quia anima nostra in canticis & armonijs uehementer delectatur: unde & quidam eam armoniam esse crediderunt: inuenerunt antiqui poetæ modũ metrorum: pedum: ad numerorumque ut uel sic animos hominum ad uirtutem & bonos mores inclinarent. Hic ergo modus metricus & armoniacus utendi arte poetica non est ei essentialis. Potest enim poeta uti argumẽto suo & per decentes similitudines discurrere sine uersu. Huiusscemodi enim pedum ac numerorum usus se habet ad artem poeticam sicut pulchritudo ad iuuẽtutem. Vnde qui per metrorum pedes facile ludere nouit: si de arte poetica nihil aliud didicit: ita poeta dici potest sicut anus pulchra potest iuuenis appellari. Impossibile est enim quemquam qui logicam ignorat uere posse esse poetam. Poeta enim est qui artem habet poeticam: Hæc autem est cognitio syllogismi qui dicitur exẽplum: quod necesse est ignorari ignorato syllogismo: quia impossibile est scire speciem ignorato genere. Syllogismus autem nequaquam potest sciri sine logica: ergo sine logica neminem posse poetam appellari manifestum est. Si quis autem dixerit

2. pri. c. 24.

Logicæ ignarus, poeta nõ est.

xerit sufficere logicā naturalem: qua quilibet homo inclinatur ad arguendum & respondendum: poterit etiam dicere poeticam artem esse naturalem & sic nō oportebit libros de arte poetica edere. Sed quia hoc dementis est dicere cum ars poetica sit pars philosophiæ rationalis & inter artes liberales connumeretur, quæ etsi initium habeant a natura perfectionem tamen ab humana inuentione acceperunt. Quicunque ergo de logica & arte poetica hoc solum habet quod natura dat, certe neque logicus neque poeta dici poterit nisi forte omnes homines mundi tam urbanos quam rusticos & ipsas etiam mulieres poetas, oratrices, & logicas appellare uoluerimus. Itaque si quis credit artē poeticam solum docere dactilos & spondeos syllabas longas & breues, ornatumque uerborum magno profecto errore tenetur. Sequeretur enim ipsam non esse scientiam. Nam cum non sit scientia realis, nec rationalis dici potent eo quod hæc cognitio non rationem sed uoces & scripta dirigit cum ordinem uocum & scripturæ modum doceat. Cæterum scientia est de incorruptibilibus & sempiternis. Huiuscemodi autem uerborum ac uersuum pedumque ordines, secundum placitum hominum constituti sunt. Possent enim homines hodie hunc ordinem mutare & ab hac consuetudine seipsos alienare, quia nihil aliud est integritas locutionis, nisi alienæ consuetudinis conseruatio ueterum auctoritate firmata. Cur ēm non eodem accentu aquas uocemus Mária q̄ mulier uocatur Maria?

Cum eisdem literis nomen utrunque scribatur, quis potest aliam asignare rationem nisi quia sic antiqui uoluerunt. Vnde de huiusmodi non potest esse scientia, si proprie scientiæ nomine utamur. Nam & nos homines sumus sicut & ipsi, & potestatem imponendi nomina rebus eis æqualem a Deo accepimus. Possumus ergo addere & minuere sicut & illi potuerunt, nam & multa iam mutata sunt. Quis enim hodie dicit nostrás, & uestrás, & intelligere & alia multa quæ apud antiquos erant usitata? Quidam enim adeo perstrinxerunt se, & carceri antiquorum intellectum proprium adeo manciparunt, ut nedum cōtra eorum consuetudinem aliquid proferre nolint, sed ne uelint quidem dicere quod illi non dixerunt. Quia enim antiqui hoc nomine uirtuosus usi non sunt, nostri quoque pro magno crimine habent si quis eo nomine utatur quasi nos nequeamus imponere nomina rebus, nec noua inuenire uocabula ac nouos loquendi modos. Quæ enim ratio est ista, quæ ue uirtus argumenti? Antiqui non ita locuti sunt, ergo nec nos ita loquamur. Aliud est enim dicere. Antiqui hoc modo locuti sunt, ergo & nos eodem modo loquamur, aliud autem negatiue arguere. Si enim antiqui non aliquod bonum fecerunt, nunquid nos illud facere non debemus? Nec hoc dico quasi uelim reprehendere eos qui morem antiquorum in hac parte sequuntur. Loquendum est enim inquit philosophus in topicis ut plu-
2. top. cap. 5 res loquuntur & sapiendum ut pauciores. Sed
Augustinus. quosdam sciolos tango, qui ut dicit Augustinus

eo magis offenduntur quo sapientiores uideri uolunt, non rerum scientia qua ædificamur, sed uerborum, qua nō inflari difficile est. Cum igitur de his non proprie sit scientia, hi qui poetæ dicuntur solum ista scientes ignorantes autem essentialia artis poeticæ profecto falso nomine gloriantur. Et fere omnes nostri temporis poetæ tales sunt. Quibus ideo accidit ignorantia quædam crassa, ut æstiment poeticam artem omnium scientiarū esse dignissimam, quibusdam ineptissimis & puerilibus argumētis suffulti. Aiunt enim poetas de rebus diuinis & naturalibus & moralibus pertractare, quia de his carmina cudunt, & in suę opinionis robur prophetas in mediū adducunt, quia diuina uersibus cantauerunt. Confirmantes etiā hoc idem potissimum ex eo quod scriptura metaphoris & similitudinibus utitur, quemadmodū & ars poetica: quo inquiunt euidenter apparet ipsam nihil aliud esse quàm theologiam. Sed certe si hæc uera sunt omnes scientias oportebit in unū confundere & chaos Anaxagoræ reuocare. Hoc etenim modo ars oratoria erit sciētia diuina, quia de diuinis oratores sæpissime tractant, & maxime logica erit theologia, quia per totū sacræ scripturæ contextum subintrando progreditur. Grāmatica quoque erit omnis scientia, quia omnia scientiarum genera complectitur. Cum ergo hoc sit confundere scientias & admodum omnia perturbare. Sciant poete quod scientia rationalis potest dupliciter cōsyderari. Vno modo ut docens est, id est ut est scientia de ente rationis & de syllogismis tractans, Alio modo ut instrumentum

Logices ignari falso poetæ nomine gloriantur.

Scientia rationalis dupliciter consyderatur.

ſeu aliarum ſcientiarum ornamentum, inquantū uidelicet aliæ ſcientiæ ad ſuam utilitatem eam cōuertunt. Primo ergo modo eſt ſcientia ab alijs diſtincta. Scientiæ enim diſtinguuntur per obiecta & habent partes ſuas formaliter diſtinctas, ut ſuperius diximus. Cū igitur artis poetice obiectū formale ſit ſyllogiſmus quod uocatur exemplum per ipſum diſtinguitur ab omnibus alijs ſcientijs tam diuinis quàm humanis & tam rationalibus quàm realibus. Vnde nec eſt diuina ſcientia nec realis, ſed rationalis tātum & infima inter omnes ſcientias ſpeculatiuas, ut patet ex his quę ſuperius diximus de omnium ſcientiarū dignitate tractantes. Secundo uero modo conſyderata ſcientia rationalis non eſt ſcientia, ſed ſcientiarum inſtrumētum & quidam ſciendi modus, & hoc modo cōparatur ad alias ſciētias ſicut malleus uel lima aurificis ad aurum & argentum, & ſicut ſeruus ad dominum ſuum, uel etiā ſicut ſerta & corónæ ad templū. Nunquid ergo quia lima uel malleus tangit & ornat ac illuſtrat aurum & argentum dicemus limam eſſe aurum, aut malleum argentum? Nunquid ſeruus dominus dici debet, quia in eadē domo cum domino comedit & bibit ſeruiens ei? Nunquid ſerta & coronæ ſunt templum dei, quia templum dei ornant? Scientia enim diuina eſt illa cuius obiectum eſt deus, nō illa cuius obiectū eſt exemplum. Scientia diuina non tractat de ſyllogiſmis, nec de his quę a ratione humana fabricātur, ſed de deo qui cūcta creauit. Scientia denicp diuina nō eſt de ente rationis, ſed de ente reali immo de cauſa entis realis, ſi tamen & cauſa dici poteſt.

Sciētia diuina quæ ſit

Pro. 9.

test. Non enim facile possumus nomen inuenire quo tanta maiestas queat nominari. Prophetę igitur diuina uersibus descripserunt, nō propter hoc utētes arte poetica. Quia (ut iam dictū est) cognitio quæ de carminum compositione nobis tradita est, non est ars poetica, nec ad eam pertinet nisi per accidens. Et si in tali uersuum descriptione usi sunt arte poetica, hoc fecerunt ad alliciendū animos hominum infirmos tanquam instrumento, aut ancilla sua ea utentes, iuxta illud quod scriptum est de sapientia. Misit ancillas suas uocare ad arcem & ad mœnia ciuitatis. Nec tamen prophetæ usi sunt uersibus uirgilianis aut ouidianis, sed his quos non uana hominū superstitio & diabolica instigatio ad colenda idola inuenit, sed spiritus sanctus qui uult hominem de seipso humilia non alta sentire. Inter uersus enim poetarum gentiliū & prophetarū nostrorum infinita distantia est. In illis enim magnus diaboli laqueus abscōditus est. Sicut.n. diabolus ad sui cultum & superstitionē hominum nutriēdam ea carmina docuit ita & in eis superbissimam uanitatē inanisq; gloriæ intolerabilem fœtorem reliquit. Vnde dominus nō est passus laudes suas his uersibus ab aliquo prophetarū suorū decantari. Et quāuis quidā catholici zelo dei ducti ad cōtundendā quorūdā uanissimorum poetarū arrogantiam, qui christianos de ignorantia eloquentiæ arguebant, Euangelia & quasdam alias scripturas ueteris instrumenti uersibus scripserint, Deus tamen noluit eas multum in ecclesia sua extollere. Vnde nec legūtur nisi rarissime nec apud christianos in magno Pro. 9.

precio habentur, quia eloquentia huius seculi sicut a paganis ortum habuit ita est plena paganorum uanitate. Nihil enim habet humilitatis, quæ est omnium uirtutum fundamẽtum. Cuius signũ manifestissimũ est, quia poeta cum nec dum carmina sua ad finẽ perduxerit, in publicum ea producit, omnibus quibus potest ostendit, ore proprio laudat, ab aliis laudes expectat, animo tumet, in laudibus delectatur ac pascitur, omnibus doctiorem se esse audire gestit, & si quis ad eum casu aduenerit statim cogitat in sermonem incidere quo possit ei sua carmina prodere, & nõnunq̃ impudenter ea oculis amicorum ingerit, tanta est in eo inanis gloriæ cupido. At prophetarum carmina sicut a spiritu sancto inuenta sunt, ita & sapientiam & amorem diuinum, sanctamque redolent humilitatem. Non enim magnum studium uerbis cõponendis sed ueritati dicendæ adhibuerunt. Et catholici doctores scripturarumque studiosi quia a spũ sancto intus illustrantur, non uerborũ cõpositionẽ, sed absconditã æternã ueritatẽ mirandaq; mysteria inuestigare conantur. Quãquam enim sacra scriptura, ut in libro de doctrina christiana probat Augustinus, sit eloquentissima utpote a deo scripta qui sua mysteria enarrauit eo modo quo nullus melior potest inueniri, tamen non detinet animos spiritu plenos in corticẽ literæ, sed statim ad medullam eos trahit, & pascit ac nutrit mirabilissimo quodam modo mentes a terrena uanitate purgatas. Si enim eloquentia inuenta est ad inclinãdum hominum animos firmandosque in bonis moribus, illa merito facũ

Aug. de doc. christia.

dia

dia prestat & omnibus anteponenda est tanquã omnium potentissima, quæ statim animos inclinat ad bene beateque uiuendum, statimque oculos aperit ut intueantur amentque eterna, nec unquam relinquit in cortice litere, sed ad finem intẽtum fortiter perducit. Hæc est autem sanctarum scripturarũ eloquentia, iuxta illud domini in Isaia. Verbum meum non reuertetur ad me uacuũ, sed faciet quæcunque uolui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud. Eloquentia enim secularis pascit aures, & raro uel nunquam ad finem intentum perducit. Vnde & ipsi patres eloquentiæ, qui contra uitia luculenter scripserunt, & uirtutes summo studio ac facũdia suauissima laudauerũt, efficacissimeque perorantes uerborum lenocinijs aures populi demulserunt, nec alios nec seipsos unquam ita persuasos reliquerunt, ut uitijs carere potuerint. Quia enim eorũ uerba plena erant ambitiosissima uanitate nõ poterant præstare quod ipsi non habebant. Nostri autem oratores scripturarum facundia pleni breuissimo tempore, nõ cũ magna difficultate totum orbem eis repugnantẽ & contradicentem, eorumq; inopiam ac doctrinam detestantem, irridentem, crudeliterque persequentem, ac immanissime discipulos eorum innumerabiles occidentem Christi dominio eiusque doctrinæ subegerunt. Quid ergo prodest illa eloquentia, quæ nunquam ad finem intẽtum potest peruenire? Quid prodest nauis picta & sertis ornata, si semper fluctibus maris iactatur, & nunquam ad portum hominem perducit? Quid autem proderit si à portu semper magis elongat?

Esai. 55.

Ita profecto secularis eloquētię fastus magis christianos a felicitate remouet quàm propinquos facit. Sed durum multis est hoc uerbū nec possunt audire, quia non omnes capiunt uerbum hoc, sed quibus datum est. Beatus homo quem tu erudieris domine, & de lege tua docueris eum. Scio autem multos mihi opponere Hieronymum, Augustinum, Ambrosium, aliosq; excellentissimos uiros fidei christianę defensores, qui in scripturis sacris exponendis magna usi sunt eloquentia & grandi genere dicendi. Ad quos primum respondeo me nō damnare scientiam rhetorices aut poeticæ artis quam laudaui superius, & inter partes philosophiæ rationalis connumeraui, nec etiam ornatum linguæ cultumque eloquentiæ, sed uanissimam in his poetarum elationem qui se omnia scire arbitrantur cum nihil sciant, & cum non habeant nisi dactili & spondei numerorumque cognitionem, quam probauimus non esse sciētiam, & gloriantur se omnes habere scientias, cum nec ipsam quam putant se habere poeticam sciētiam teneant. Respondebo etiam uiros illos sanctissimos priusquam scripturarum mel suauissimum degustassent seculares literas didicisse, nec tamen eas ad seruitium Christi conuertisse cum ea pompa uerborum & seculi uanitate qua eas didicerūt. Manifestum est enim eos stilum temperasse post ea quàm a spiritu sancto edocti fuerunt, quo tempore eis maiori curę fuit ueritas rerum quàm integritas uerborū. Respondebo iterum ipsos quos pro uestra defensione in medium duxistis, opponere, acrius, duriusque contra uestram uanitatem pugnare

Psal. 93.

pugnare quàm ego. Legite Hieronymum, ut de reliquis taceam, qui prisca præ cæteris redolet eloquentia, & inuenietis in plerisque libris eius quã acriter mordeat uanã superbamque sæculi & eloquentiam & sapientiam. Legant amatores fabularum quid scripserit ad Damasum papam. Nonne per siliquas porcorum, quibus ille prodigus luxuriosusque filius non poterat uentrem suum saturare interpretatus est carmina poetarum rhetoricorumque pompam uerborum & cæteras uanas huius sæculi artes, de quibus luxuriosi uanissimique homines quantumcunque comederint, saturari non possunt? Quin inter alia dicit. Nõne uobis uidetur in uanitate sensus obscuritate mentis ingredi qui diebus ac noctibus in dialectica arte torquetur, qui physicus perscrutator oculos trans cœlum leuat, & ultra profundum terrarum abyssi, in quodam inane demergitur, quia iambum struet, & tantam metrorum siluam in suo studiosus corde distinguit & congerit? Et ad Pammachium. Ecclesiastica interpretatio etiam si habeat eloquentiæ uenustatem, dissimulare eam debet & fugere, ut non otiosis philosophorum scholis, paucisque discipulis, sed uniuerso loquatur hominum generi. Respondebo & quarto me non damnaturum huius sæculi eloquentes & sapientes, si Hieronymum & Augustinum, cęterosque quos pro sua defensi one nobis opponũt, in omnibus imitentur. Viuite poetæ & oratores ac philosophi sicut ipsi uixerunt, & uestram sapientiã linguęq; nitorem Christo dño cõsecrate, & digitos superponam ori meo. Arbaham plures habuit

Hieronymus ad Damasum

Idem ad Pammachium.

Gen. 25. & 29. uxores. Iacob quoque duas matrimonio sibi con iunxit sorores & earum ancillas, hoc multis placet hoc uolunt imitari, hoc in excusatione sui peccati proferũt. Sed Abrahe fidem & castitatem ac opera non attendunt, Iacob simplicitatem & sanctimoniam non respiciunt, Opus eorũ quod magis delectat imitari gestiunt, reliqua uero opera perhorrescunt, & tamen opus illud quod carnale uidebatur, castitatem non fugabat. Tu autem nõ tale opus diligis, sed operis uoluptatem, & cum luxuriam sequaris opus castum in operimentum tuum sumis. Nonnulli etiam in excusationem sui erroris Apostolum Paulum adducunt, quia uersus poetarum nonnunquam scribendo ac prædicando non abhorruit. Quibus respõdemus. Apostolum Paulum ita raro et ita breuiter hoc fecisse, ut nullus debeat hoc testimonium in suam defensionem adducere. Non enim uitium esse putamus si quis apostolicæ uitæ imitator etiam in publico diuinoque sermone, uel medium, uel unũ uersum duntaxat pro aliqua utilitate, non pro sui ostentatione in medium protulerit. Hoc propterea dico ꝙ quosdam mihi prædicatores obijciunt qui in publica concione uersus tam uulgares quàm latinos dimissis euangelijs populo prædicant, quos profecto defendere nec debeo nec possum. Nõ.n. hos uerbi dei præcones, sed poetas uel gentilium oratores appellauerim. Vnde & tales etiam fructus faciunt, qualia uerba proferunt. O magnus fructus animarum aures populi delectare, laudes Christi ad se trahere, philosophos ore rotundo allegare, poetarum carmina uana modulatione cãtare,

tare, Christi euangelia uel dimittere uel interrupte proferre, & paganorum superbam stultamq; sapientiam, quæ suos damnauit auctores, populum docere. ab Apostolo igitur (ut uideo) nihil aliud discere potuerũt nisi quod ipse de poetis breuissime ac rarissime, uelocissimóque transitu protulit. Quem si adeo imitari cupiunt, ut dicunt, mores Apostoli & Christi amorem, ac in prædicatione feruorem sequãtur, & si post hoc transeunter & raro uersum unum interrupte allegauerint equidem non reprehendam. Poetæ item probare contendentes artem poeticam sacræ scripturę esse æquiperandam adhuc nobis opponunt, quod illa quemadmodum & hæc sensus habeat allegoricos non intelligentes quæ loquuntur, neque sensuum differentias consyderantes. Cum enim quotidie in significationibus uocum perdiscendis laboriosissime uersentur, nondum didicerunt quid sensus literalis quidue spiritualis seu allegoricus significet. Intelligant igitur poetæ qui suam artem sacræ scripturæ ęquiparare, ne dicã proponere prę sumunt nullã scientiam præter diuinã sensum habere allegoricũ & spirituale. Literalẽ quippe sensum dicimus non illũ quem sonant uoces et litere ut ipsi poetæ grãmaticiq; credũt, sed illum quem auctor per illas uoces & literas principaliter intẽdit. Vnde in parabolis euãgelicis sensus literalis non est ille quẽ uoces grãmaticæ sonant, sed quẽ Dñs Iesus per illas uoces intendit exprimere. Nã per uoces significatur aliquid proprie & aliquid figuratiue nec est sensus literalis ipsa figura, sed id quod per ipsam est figuratum. Nõ.n. cum scriptura nominat brachiũ Dei, uidelicet cũ dicit. Fecit

Allegoricũ sensum scientia nulla habet præter diuina. literalis sensus.

698

potentiā in brachio suo, literalis sensus est in Deo esse mēbrum hmōi corporale. Alioquin sensus literalis, qui est cęterorū sensuum fundamentū mendacium cōtineret. Sed literalis sensus est id ꝙ per hoc membrū significat. i. uirtus Dei operatiua, ut intelligatur fecisse potentiam in uirtute sua, quæ Christus est scd'm Apostolū dicentē Christum esse Dei uirtutem & Dei sapientiā, & similiter dicimus de cęteris parabolis. Spiritualis aūt sensus accipitur ex hoc ꝙ res cursum suū pagentes signant aliquid aliud q̄d per sensum spūalem accipit. Vnde tria ad sensum spūalem exigunt. Primū est historia, ut uidelicet per ṽba prolata aliq̃ historiā non fabulam seu fictionē enarret scriptū. Q̄ quidē historiam dicimus ad sensum literalem ꝑtinere, quem sensus spūalis tanq̄ fundamentū pręsupponit. Scd'm est per illam historiam significatio alterius rei quæ facta uel præsens uel futura est. Tertium est quod illa historia ad hoc significandum fuerit & prouisa & ordinata & facta ne si aliter dixerimus, cum Theodoro damnemur qui allegorias de Christo & ecclesia negauit ex cursu rerum gestarū ueteris & noui testamenti esse significatas. Sed apostolos & alios catholicos doctores asseruit eas post Christi et ecclesię gesta inueuisse. Non autem historias id significasse. In cuius quidem damnationem incurrunt e nostris nonnulli qui historias Romanorum aliorumque gētilium allegorizare conātur putātes eo modo eas allegorias habere quemadmodū habent sanctæ scripturæ, non intelligentes historias illas ad hoc significādum minime fuisse ordinatas. Sic enim ordinatæ res in cursu suo ut ex eis talis sensus capi possit.

Sēsus spūalis

tria requirūtur ad sensū spiritualem.

solius

solius Dei est, qui sua prouidentia res disponit eo modo & tempore & nominibus atque per homines illos quibus scit suæ significationi posse congruere. Non enim potest aliqua creatura mundi infallibili cursu ordinare uitas hominũ et loca nominaque eorum & bella & regna & cætera gesta ad aliqua præterita & futura uel etiam præsentia significanda, cum solus Deus futura cognoscat & sola sua prouidentia scit quam nulla res subterfugere potest. Homines uero nec futura contingentia cognoscunt nec eorum prouidentię hominum gesta ita subduntur, quin multipliciter eorum cōsilia conatusque impediri atque frustrari possint. Idcirco rerum ab ipsis dispositarum euentus fere semper uel inuentum deflueret uel in contrarium uerterentur. Nulla ergo scientia præter sacram scripturam proprie & uere sensum habet spiritualē. Quia sensus metaphorarum poeticarum est literalis tantum sicut & sensus parabolarum euangeliorum nostrorum. Ex quibus tamen metaphoris ijdem poetæ adhuc contra nos insurgunt, sacras scripturas dicētes ex omni parte metaphoris & similitudinibus poeticis esse refertas, & per hoc probare conātur poeticam artem nihil aliud esse quam theologiam. Verum quam magnus error sit infimam scientiarum, supremam facere & lutum aurum opinari, qui potest dijudicet. Aliud est. n. metaphoris uti propter necessitatem & rerum magnitudinem, aliud uero propter delectationem & ueritatis debilitatem. Theologus enim cum de his loquatur, quæ omnium intellectum & capacitatem excedunt, imprimis cogitur sub similitudinibus rerũ domesticarum

ea tradere quia nullus posset ea ipsa nuda in suo splendore cōprehēdere. Non.n.(ut inquit Dionysius) possibile est aliter nobis lucere diuinum radium nisi uarietate sacrorum uelaminum, quibus infirmus noster animus sursum manducatur, circūuelatum. Poeta uero similitudinibus utitur propter suarū rerū debilitatem. Nisi.n. methaphoris sua argumēta uelaret, tāta est eorum debilitas, quod ipsorū conatus omnino frustraretur. Nam cum singularibus procedat, quae infinitis modis uariari possunt, uel nullam uel modicā aestimationē de re quam intēdit probare generaret, si nuda argumēta proponeret. Preterea cum intellectus noster maxime ueritate pascatur, & poetica ars ad eā demonstrādam debilissime se habeat, si similitudines & uerborū ornatus ei ēt deessent, nullus quippe poetas audiret, quia nec ueritate animos pascerēt, nec aliquibus lenocinijs delectarēt. Non ergo eadē rōne theologus qua poeta metaphoris utitur. Quibus tamen ēt si eadē rōne uteretur, nō hac de cā poetarum ars esset theologia, quia metaphorae nō ptinēt ad essentiā scientiae, sed potius ad ornatū. Nam Plato fere in omnibus libris suis metaphoris utitur. Non tamen philosophia Platonis est ars poetica. Ornamenta enim tēplorum & serta atque coronae pnt & principū & ciuiū domos exornare sicut & tēpla, Caeterū scriptura noui & ueteris Test. similitudinibus utitur lōge diuersis a metaphoris poetarū. Aut.n. historias plenā ueritatē continentes, aut parabolas decentissimas plenas hōestate uerborum proponit. Poete uero iuxta prouerbium, mēdaces sunt, & in omnibus fere mendacia fingunt, fabulasque tam de dijs quam de hominibus narrant, quae libidinibus

 nibus

nibus & stultissimis ac nephandissimis deorum hominumq; commixtionibus plenæ sunt. In quibus quidem mendacijs et puerilibus ludis ac scelestissimis libidinosissimisq; dijs animos adolescentulorum teneros nutriunt, implentq; intellectus eorum puros ac nudos primum falsitatibus, deinde idolalatrarum spurcitia nephandaq; supstitione, carnem q̃que eorũ quæ semp ad malum prona est uehementius ad libidines incendunt, ignẽ igni addẽtes, & totũ hominem. i. animã & corpus seruituti diaboli subiugantes. Ideo (ut dicit Isidorus) prohibetur christianis legere figmenta poetarum, quia per oblectamenta fabularum nimium mentem excitant ad incentiua libidinum. Non. n. thura solum offerendo dæmonibus immolatur, sed ẽt eorum dicta libentius capiendo. Religioni itaq; cristianæ q̃tum prosit ac profuerit ars poetica iã quilibet ex his q̃ diximus cognoscere facile potest. Scientiam. n. ipsam penitus nullius esse utilitatis: ego quidem non dico, quia omnis sciẽtia bona est & aliquid perfectionis cõfert intellectui. Verũ quãtum ad intelligẽtiam scripturarum sacrarum pertinet, non multum utilis est. Potest. n. christianus earum cognitionẽ sibi perfecte uendicare sine huius artis cognitione, prout in libris poetarum aut philosophorum traditur, eo ꝙ scripturę exẽplis et similitudinibus plenę sufficienter docẽt ea quę ad modum arguendi poetarum pertinent. Si quis tñ ipsam artem poeticã haberet. i. ea quę ad artis scientiam pertinent, nonnihil sibi prodesset. Modus aũt artis quem nunc nostri poetæ seruant & gentiles seruauerunt, hoc est metrorum ac fabularum laudum quæ deorum usus, adolescentibus pestis est per

Isidorus.

nicioſiſsima. Et certe ad hoc ꝓbandum laborarē, niſi ſole clarius appareret. Expientia .n. ipſa rerū magiſtra ita nr̄is oculis mala q̄ ex puerſo uſu poetice artis eueniunt manifeſtat, ut non oporteat in ꝓbatione ſudare. Cōtra hoc poetarꝫ genus Plato legē ferēdam cenſuit, q̄ nr̄i Chriſtiani hodie nec intelligere nec ſeruare uolunt, ut in die iudicij ſurgat Plato et infidelis hō chriſtianorꝫ capita condēnet. Ait .n. ferendā eſſe ſeruandāq; legem ut poetę de ciuitatibus pellantur, quia omnia & exemplo & auctoritate falſorū nephandiſsimorūq; deorū ac turpiſsimorꝫ uirorum ſuum pruritu titillationeq; deuaſtantes libidinibus ignominioſiſsimis repleuerunt. Quid igitur faciunt principes nr̄i? Cur hæc mala diſsimulant? Cur legē non ferunt? ut nō ſolum tales poetæ ciuitatibus expellantur, ſed ēt libri eorꝫ aliorumq; ueterꝫ qui de arte amandi, de meretriculis, de idolis ac de demonū ſpurciſsima nequiſsimaq; ſupſtitione editi fuerunt igne uſq; ad puluerem cōſumant. Multum .n. ꝓdeſſet ciuitatibus, ſi libris paganorꝫ qui deorum falſorꝫ laudes, improbos mores, ac ignominioſa flagitia cōtinent, igni traditis, cæteris uero qui ueritates ſpeculatiuæ practicæq; philoſophiæ docent ab adoleſcētulorꝫ oculis ſubtractis catholicorꝫ uirorum pueri lac primum ſugerēt, & doctrina Chriſti eorum ingenia tenella ante omnia imprimerentur. Quia ut dicit philoſophus. non eſt parum in principio adoleſcētes ſic uel ſic aſſueſcere, immo multū, immo totū. Principiū .n. eſt plus q̄ dimidiū totius, hoc firmius atteſtāte ſcriptura quę ait. Adoleſcēs iuxta uiam ſuam, ēt cū ſenuerit nō recedet ab ea. Nam poſt ueritatis cognitionem, philoſophorum

Plato poetas iubet expelli.

2. eth. l. 2. et 1. l. 11.

Prō. 22.

rum falsitates facilius apprehendere ac impugnare possent dicente philosopho. Cognitio ueritatis est solutio dubitatorum. Non enim religio nr̄a carer doctissimis & eloquētissimis uiris, ut indigeamus paganorꝝ disciplina. Et si quis dicat eos non tanta pollere eloquentia quāta. M. Cicero & Demosthenes & Aeschines & alij multi, ego melius puto christianos moribus ornatos minori fulgere eloquentia, quam propter eloquentiam Christi nomen perdere. Et tamen post disciplinam in libris nostrorū acquisitam possent sine periculo animę ad libros, philosophorꝝ gentiliumqꝫ transire. Modus itaqꝫ artis poeticæ qui nunc fere ab omnibus seruatur christiano est fugiendus, & maxime ab adolescentulorꝝ animis tenellis est remouendus. Verum quidā non amatoria, non laudes idolorum, non turpia, sed uirorum fortium gesta atque moralia uersibus descripserunt, & bene usi sunt arte poetica et modo eius. Hos igitur damnare nec possum nec debeo. Vtrum tamen ipsorum libri sint utiles religioni nostræ discutiendū est. Et quidem posset aliquibus uideri eos non solum utiles esse, sed maxime necessarios adolescentulorum animos aliorumque uirorum ad bonos mores excitandos. Sed si quis hoc recte consyderet & secundum regulam fidei ac Spiritus sancti doctrinam subtiliter ab omni passione alienus examinare uoluerit, inueniet quorundam huius generis poemata religioni nostræ magno esse dedecori, quorundam uero prorsus exiguæ utilitatis. Nam aliqui poetarum qui nondum de diuinis loqui didicerunt, siquando Christum, eiusque Virginem matrem in suis carminibus

7. eth. l. 2.

laudare uelint, ore turpissimo atque feculentissimo blasphemant. Nescientes.n.scripturas Deique uirtutem, sub nomine spurcissimi libidinosissimique iouis & aliorum falsorum deorum, impudicarumque dearum atque nympharum, Omnipotentem Deum & ineffabilem creatorem nostrum, quem nominare minime licet nisi sicut in scripturis ipse suis nos docere dignatus est: & castissimam genitricem eius spiritusque beatos & electorum animas laudare simulantes: ineptissimis atque nephandissimis nominibus uituperant. Et quamuis recte uerba eorum interpretari possint: sciant tamen Deo & sanctis eius huiuscemodi præconia sub tam indignis nominibus nul-
Oseæ.2. lo modo placere. Scriptum est.n. in Osea propheta. Non uocabit me ultra Baalim: quod interpretatur Superior. V bi dicit glosa. Quamuis de Deo recte Baalim dici possit: propter similitudinem tamen nominis idoli caueri debet. Deus enim qui est super omne nomen: laudari non debet nisi per nomina quæ in scripturis sanctis & doctrina ecclesiæ sunt
Aug. d'ciuit. dei.l. 10. usitata. Nam & August. in 10. lib. de ciuita. dei sic inquit. Liberis uerbis loquuntur philosophi nec in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem religiosarum aurium pertimescunt. Nobis autem ad certam regulam loqui phas est: ne uerborum licentia etiam de rebus que ipsis significantur impiam gignat opinionem. Horum igitur poetarum opera non diuina non moralia: sed animalia: quin potius diabolica appellauerim. Aliorum uero qui recte Deum & sanctos nominantes laudes nostræ religionis descripserunt: uel nullius uel exiguæ utilitatis in ecclesia esse facile demonstrare possu-
2. Cor. 3. mus. Quia.n. litera occidit, spiritus autem uiuificat:

Christianus

Christianus debet omni studio relicta carnali sensibiliq; delectatione: quantũ potest ad spiritũ trahere seipsum. Hæc autẽ carmina ad sensum & ad auriũ pruritum trahunt hominẽ: a spũ reuocãtes. Cuius rei signum est: quia & ipsi auctores si ueritatẽ negare noluerint quã etiam si ore negabunt multis tamen manifestissimis indicijs ostendent: magis laudari de ornatu & carminũ cursu ac uocabulorũ integritate gestiunt q̃ de disciplina morum descripta. Nam & maiori eis cure est integritas locutionis q̃ doctrinę: nec possunt inanis gloriæ uitare peccatum: immo nec abscõdere. Videbis. n. eos cum eorũ carmina uel leguntur uel laudantur applaudere: nec posse se continere: quin & ipsi os propriũ ad suas laudes extendant: & scribentes nõnunq̃ contra inanis glorię cupidinem: ita de genere dicendi et ornatu proprio inflantur: ut sui penitus immemores: & quasi phrenetici uideantur: dum seipsos pariter & laudãt & uituperant. Si ergo auctores de sua propria doctrina fructus nõ capiũt: quid discipuli excerpere poterũt? Hic credite mihi modus scribẽdi solum pascit aures: & mentes uacuas relinquit. Et quanq̃ hęc studia sequẽtes uideãtur exterius moribus ornati: intus tamẽ a superbia lacerantur. Sciant tales q̃ superbiæ rabies tanto magis depascit hominis interiora: quanto exteriora sunt magis ornata. Fomẽtum. n. principale & maximum illius generis superbiæ quæ uix unquã eliminari potest exterior est cultus ac uirtutum ornatus. Vbi intus non est Christi perfectus amor. Nam tales sanari uix possunt: quia nec seipsos infirmos putant: nec ab alijs existimantur infirmi. Vnde sępe uiros perfectissi

mos ac sanctissimos magnisque operibus ornatos hoc genus superbiæ magno impetu aggreditur. Qui nisi intus spiritusancto reuocati eius conatus fortiter expellerent: ab ea tanto duriore morsu depascerentur quanto exterius operibus perfectioribus ornarentur. Quia igitur scientia inflat, charitas autem ædificat, Deus qui linguas fecit disertas: noluit scripturas suas ornari facundia paganorum. Vnde & sanctus Hieronymus: qui nobis eas latinas fecit: seculari eloquentia facūdissimus a spiritu sancto permissus non fuit ut diuinas historias sententiasque uerbis tullianis & uirgilianis decoraret. Sciebat enim q̄ sic animos detinuissent in uerbis q̄ mens non pasceretur in medulla: & q̄ ex eis potius homines inflarentur q̄ discerent. Vnde etiam Eusebius Pamphilius in. 8. lib. suo de euāgelica præparatione narrat quosdam a deo fuisse percussos quia sacras scripturas oratorio ac poetico fuco ornare uoluerunt. Ait enim quòd cum Ptolæmeus auditis de lege mosaica multis quæ in græcam linguam fuerant translata: miraretur: dixit Demetrio. Quomodo nemo poetarum neque historicorum de tot tantisque rebus gestis ullam mentionem fecit. Cui Demetrius. Diuina hæc lex est, & a deo data (ut uides). ac ideo si qui tetigerunt a deo percussi, resilierunt. Affirmauitque audisse se a Theopompo quia cœperat nonnulla a iudaica scriptura translata græca oratione ornare. & ilico turbatione quadam mētis & animi perculsus magno studio se deum orasse cuius rei gratia id sibi accidisset: audiuisseque per somnū: quia res diuinas orationis lenocinio inquinatis hominibus

1. Cor. 8.

ederet.

ederet. Ego quoque ipse inquit a Theodecto tragediarum poeta accepi: quòd cum his nonnulla a iudaica scriptura ad fabulam quãdam transferre uellet luminibus captus fuerit. Qui quoniam credidit hac de causa id sibi euenisse magno tempore pœnitentiam egit: & tandem sibi uisus fuit sic restitutus. Tunc rex magna cum diligentia sanctæ scripturam iudaicam reseruari iussit. Hæc ille. Voluit ergo deus talem loquendi modum inuenire: quo nullus unquam usus: nec aliquis postea uti posset, qui humilitate animos stabiliret & charitate inflammaret. In hoc enim maxime sacra scriptura ab alijs scientijs distat: quia hæc dum legitur humiliat animum & calefacit: scientia autem paganornm inflat & ad terrena deijcit. Libri itaque quos nostri poetæ de religione: de moribus, & de uirtutibus ediderunt, ueritatem fidei lenocinijs paganorum fucoque tegentes: etiã si uideantur prima facie ualde utiles, ac necessarij: tamen sapientibus quæ Dei sunt & species intimas cernentibus: spiritualibusque uiris: qui secundum Apostolum omnia iudicant & ipsi a nemine iudicantur: ad bonos mores nutriendos: ad ueræ fidei soliditatem, ad charitatemque de corde puro & conscientia bona ac fide non ficta: parum utiles uidebũtur. Quod hinc manifestissime probatur: quia prædictos sanctos uiros spiritu Dei plenos tales libros legere & in eis immorari nunquam inuenies. Si quis tamen nostram in hac parte sentẽtiam approbare noluerit: eo quòd nimis uideatur durum bonarum artium codices reijciendos & nihil faciendos putare: mollius animalibus hominibus loquamur. Animalis 1. Cor. 2.

1.Cor.2. n. homo (ut dicit Apostol.) non percipit ea quæ sunt Dei, Stultitia.n.est illi: & nō potest intellige re quia spūaliter examinatur. Arbitramur ergo horū libros hanc maximā afferre utilitatē: φ ado lescētes lubrici carnisq; illecebris inuoluti: dū talium carmina poetarū legūt: occupātur interim et turpia ac amatoria deserere suadētur, nō tamē usque adeo prosunt: ut ad uerā cordis cōpunctionē puritatemq;: ac christianā sanctimoniā eos reuocare ualeāt. Pruritus.n. & modulatio uersuū non sinit legentē ad interiora redire. Quod si hoc quo que nō placet: adhuc eorū uoluntati alludētes mol lius aliquid dicemus. Cōcedamus nōnunq; eorū carmina ad cōpunctionē animos reducere: & a mortuis peccatores reuocare, tamē hoc adeo per rarum est ut nullus forte etatis nostrę miraculum tale uiderit. Ego certe in cordis mei simplicitate fateor tale quid me nūq; audisse nec legisse nec ui disse. Quāq; ergo talis scribēdi modus secundū se dānari nō possit eo φ in se nō est malus: quia tamen ualde modicā religioni nostrę utilitatē confert nō est magnifaciēdus. Et si quis totā uitā suā huic studio mācipauerit: ꝑfecto nō erit laude dignus: tum ꝑpter eius artis inopiā: tum ꝑpter eius infimū gradū. Cū.n. ars poetica sit infima sciētiarum, quā laudē meretur inter sapiētes & doctores qui semꝑ in infimis iacet. Hortor igitur uos o poetę ad superiora cōscendere, & ne uelitis semper in ter pueros cōmorari. Vanissimā idolorū supersti tionē fugite, & ad Christi crucē, ac simplicitatem humilitatemq; cōuolate, & gloriā ab eo percipietis æternā. Qui cū patre & spiritu sancto est deus benedictus in secula seculorum. Amen.

FINIS.

COMPENDIVM LOGICES FRATRIS HIERONYmi Sauonarolæ de Ferraria ordinis prædicatorum, nuper recognitum.



Præfatio fratris Hieronymi Sauonarolæ ordinis prædicatorum in compendium Logicæ.

QVoniam logica est rationalis scientia ad omnium methodorum principia uiã habens, sine qua cæteræ scientię perfecte acquiri non possunt, nonnulli sacrarum literarum amatores eius cognitionem habere desyderant. Verum multi tum propter eius difficultatẽ, tum propter librorum Aristotelis obscuritatem, tum propter magnas sophystarum ac uarias uerborũ inuolutiones, tum etiam propter infinitas quodammodo diuersorum authorum discrepantes opiniones, ab hoc tam necessario studio retrahuntur. Ego igitur eis compatiens, cum confidentia diuini auxilij statui breuiter, distinctæ & faciliter totam dialecticam ex dictis excellentissimorum uirorum more mathematico ita in uunm colligere, ut omnes qui eam perdiscere cupiunt prætermissis obscuritatibus facilem ad eam uiam habeant & planam. Quia igitur logica principaliter intendit tradere notitiam syllogismorum seu argumentationum, & syllogismi ex propositionibus constant, propositiones autem ex simplicibus uocibus componuntur, primo tractandum est de simplicibus uocibus. A diffinitione ergo uocis incipiamus.

COMPENDIVM LOGICAE FRATRIS HIERONYMI DE FERRARIA ORDINIS PRAEDICATORVM.

De principijs syllogismorum Liber primus.

Prima conclusio siue prima regula.

Vox est sonus animalis causatus ab anima ex percußione respirati aeris ad arteriam uocalem cum quadam imaginatione. 2. de anima lect. 18. t. c. 90. & Boe. de interpre. edi. 2. l. 1.

Nam soni inanimatorum corporum & illi qui fiunt absque imaginatione ut est tussis, & qui nō fiunt in arteria uocali ex percussione respirati aeris ut sunt quidam soni, quos quædam animalia aquatica cum branchijs faciunt, non sunt propriè uoces, sicut nec illi qui fiunt in fistulis ab hominibus, ut dicit Aristoteles in secundo de anima.

Vox significatiua est quæ præter sonum auditum aliquid intellectui repræsentat. Pet. hisp. ex primo per hier.

Vt hæc uox homo quæ præter sonum suum repræsentat intellectui rem ipsam quæ est homo.

Vox non significatiua est quæ nihil aliud repræsentat intellectui præter ipsum sonum. 3

Vbi sup. & Tho. 1. perhier. l. 2. & Boe. edi. 2.

Vt hæc uox bu. ba. uel coax. Nihil. n. repæsentatur intellectui ex prolatione harum uocum præter sonum.

Vox significatiua naturaliter est quæ omnibus hominibus præter sonum suum repræsentat idem. 4

Vbi supra

Vt latratus canum, qui significat pręter illum sonum iram canum apud omnes. Et similiter gemitus infirmorũ, significat tristitiam apud oẽs.

Vox significatiua ad placitum est quæ non idem per illum sonum repræsentat apud omnes. 5

Hæc enim est uox quæ imposita est ad significandum ab hominibus secundum beneplacitum uoluntatis eorum. Nam posset & aliud quid & alio modo significare, ut hę uoces. lapis, lignum, aurum, & si quæ sunt huiusmodi, quæ apud græcos uel hebræos, uel nihil significant, uel nõ idem quod significãt apud latinos. Quamuis ergo res & mentis concæptus sint idem apud omnes, non tamen uoces, & literę, quæ easdem res significãt, uel eosdem mentis conceptus. Nam uoces sunt inuentæ ab hominibus ad exprimendum sibi inuicem concæptus mentis. Literę uero ad conseruandum uoces quæ per se conseruari non possunt.

San. Thom. opus. 42. s. de na. ge. c. 12. intẽtio. prima.

Vox primæ intentionis est quæ significat concæptum qui est immediate acceptus a re, & est similitudo eius & in ea immediate fundatur. 6

Vt hæc uox homo, quæ inuẽta est a latinis ad exprimendum concæptum qui habetur de natura hu-

ra humana, qui quidem accipitur ab ipsa naturâ humana & est similitudo siue imago eius, & in ea immediate fundatur, quia natura humana est eius obiectũ immediatum. Intentio. 1.

7 *Vox secundæ intentionis est, quæ significat conceptũ mentis, acceptum immediate, non a re intellecta, sed a mõ intelligendi ipsam rem. Et immediate fundatur in ipsius rei primo conceptu.* *Vbi supra.*

Nam postquam intellectus concepit naturam humanam secundum primam intentionem postea incipit eam comparare singulis hominibus & cum uidet quod omnibus singularibus hominibus conuenit, formati alium concæptum de natura humana, quia primo eam secundum se consyderabat nunc autẽ consyderat eam secundũ q̃ est in multis, uel in omnibus hominibus. Et iste concæptus dicitur secunda intentio, qui acceptus est non a re immediate, q̃ est natura hũana, sed ab illo mõ intelligendi quo eam intellexit omnibus hominibus cõuenire. Et sic uocat eã uniuersalem uel spẽm, uel cõem. Vnde istę uoces genus, spẽs, differentia, propriũ, accidens, indiuiduũ, uniuersale, prædicabile, & si quæ sunt hmõi, sunt uoces secundæ intentionis. *Intentio 2.*

8 *Genus est quod prædicatur de pluribus differẽtibus specie in eo quod quid.* *por. c. d'gen. & hoc ibi.*

Prædicari alterum de altero, est enunciare hoc esse illud. Vt cum dico, homo est animal, animal dicitur prædicatũ, quia de homine enunciatũ, homo ãt quod suscipit nomen & prędicationem

cc

714

Differre spẽ quæ dicãtur

animalis dicitur subiectum. Illa autem dicuntur differre specie, quæ sunt diuersarum naturarum, q̃ quidẽ diuersitas cognoscitur ex diuersitate figuræ, & propriarum operatiõum, ut homo, & leo, & æquus, qui differunt specie, ut patet ex figura & propria operatione uniuscuiusq;. Illa aũt differunt numero solum quæ habent eandẽ naturam specificam, sed tñ sunt diuersę res, ut singuli homines. Dicuntur aũt differre numero, quia in numerando differunt, dũ semp alius & alius accipitur. Illud autẽ dicitur prædicari in quid q̄ responderi potest ad interrogatiõem factam p quid, ut cum dico, quid est hõ, non recte respondetur albus uel rationalis, sed animal. Igitur animal prædicatur in quid de homine. Quicquid igitur prædicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid est genns, ut animal & corpus.

Differre nũo quæ dicãtur

por. c. d' spẽ. boe. ubi. sup.

Species est quod subest generi, et prædicatur de pluribus differẽtibus numero in eo q̄ quid. 9

cur species. ponatur in diff. generis & ecõtra.

Quia enim species & genus ad inuicem referuntur & spẽs est alicuius generis species, & genus alicuius spẽi, uel aliquarũ specierũ genus est, idcirco necesse est speciem in descriptione generis poni, & genus in descriptione spẽi, unum. n. non potest esse nec intelligi sine reliquo. Q̃uis ãt animal & corpus quę sunt gñа prędicentur de pluribus differentibus numero in eo q̄ quid, nõ tamẽ hoc faciunt inquantum genera, sed inquãtum species. Tunc. n. assumunt sibi rõnem speciei. Quicquid. n. subest generi, & prædicatẽ de pluribus differentibus numero in eo quod quid, est species.

Genus

10 *Genus generalißimum est illud quod ita est genus qd' nunquam est species.* *Vbi sup.*

Supra ipsum enim non potest aliud genus uenire. Et sunt decem genera generalissima. Videlicet. Substantia. Quantitas. Ad aliquid. Qualitas. Agere. Pati. Esse in loco. Esse in tempore. Situm esse. & habere. licet enim quædã sint cõmunissima ut sunt res, ens, uerum, unum, bonum & aliquid. & si qua alia sint huiusmodi, non tamen sunt genera, quia non prædicantur de illis decem secundum eãdem rationem uel æqualiter & uniuoce hoc ãt magis patebit inferius.

11 *Species specialißima est quæ ita est species: quod non est genus.* *Vbi sup.*

Infra ipsam enim nulla species inuenitur, ut est hõ, capra, leo, quæ non diuiduntur in diuersas species sed in indiuidua.

12 *Subalterna genera sunt, quæ & genera sunt & species ad aliud quidem & ad aliud relata.* *Vbi sup.*

Vt sunt corpus & animal, q̃ sunt inter generalissimũ ꝙ est substantia, & inter specialissimũ ꝙ est homo. Si. n. referantur ad substãtiam, sunt species. Si aũt ad hominem, sunt genera. Vnde hñt duas habitudines ex quibus diuersa uocabula sortiuntur. Genus aũt generalissimum habet solum unã habitudinẽ. s. ad inferiora, ex qua sortit̃ nomẽ gñis. Si aũt ad superiora referatur, nõ sortitur nomẽ spẽi sed inferioris. Similiter species ex una tãtum habitudine. s. ad superiora sortitur nomẽ speciei. Ex habitudine ãt ad inferiora, nullum aliud nomen sortitur præter nomen speciei.

por. c. d' dif. et hoc ubi su. *Differentia est quod prædicatur de pluribus specie differentibus in eo quod quale.*

differ. per accidens. Quædam enim res differunt aliquando per aliquod accidens sicut Sortes differt a Platone, quia ille albus est, iste uero niger, uel cignus a coruo, Ista ergo accidentia quibus hæ res differunt, siue a re possint separari, siue non, non possunt proprie dici differentiæ rerum simpliciter sed differentiæ accidentales. Illam igitur appellamus proprie hoc in loco differentiam quæ facit differre alterum ab altero secundum substantiam ut est rationale & sensibile. *diffe. ppria. prædicari in quale.* Vnde glosandum est cum dicitur in eo quod quale, scilicet substantialiter non accidentaliter. Prædicari autem in quale illud dicitur quod respondetur per interrogationem factam per quale. Vnde cum dico qualis est homo, recte respondetur rationalis. Igitur rõnale prędicatur in quale. Nota autem quod & si sint quædam differentiæ specierum specialissimarum quæ conuertuntur cum specie, et de sola illa specie prædicentur, tamen data est diffinitio hoc modo quod, scilicet differentia prædicatur de pluribus differentibus specie, quia illæ tales differentiæ a nobis ignorantur. Vnde descripta est differentia pro ijs quæ sunt nobis notæ. Hæ autem sunt quæ prædicantur de pluribus differentibus specie in eo quod quale. Ad complectendum autem omnes differentias posset sic differentia diffiniri, quod scilicet est quod prædicatur de specie, uel de pluribus differentibus specie in quale substantialiter.

14 *Proprium autem est inseparabile accidens quod soli por.c.d'pro alicui subiecto inest, & omni contento sub eo, si est prio & hoc species uel aliud uniuersale. Et semper.* *ibi.*

Accidens.n.dicitur non eo mō quo statim diffinietur, sed eo modo quo quicquid nō est de substantia rei esse accidens rei dicit cum inest ei. Est n.proprietas quæ sequitur substantiā rei quæ à re separari nō potest ut risibile in homine. Solet etiā dici proprium quod omni inest, sed non soli, ut homini esse bipedem sed hoc non est proprie dictum. Et similiter quod soli sed non omni, ut hominem esse medicum. Et quod omni & soli sed non semper, ut canescere homini tantum in senectute accidit. Et hæc duo magis proprie dicuntur. Sed maxime proprium est illud quod dictum est. Vnde dicitur proprium quarto modo.

15 *Accidens est quod adest & abest. uel pōt intelligi adesse uel abesse præter subiecti corruptionem.* *por.c.de ac.*

Est enim natura quæ alteri inest semper, quia per se esse non potest. Et tamen subiectum in quo existit potest esse sine ea & cum ea secūdum rem uel secundum intellectum præter sui corruptionem, ut albedo in homine. Nam homo potest esse sine albedine, & si ei aduenlat non corrumpetur: Et similiter nigredo in coruo. Potest enim intellectus concipere quod coruus sit, & non sit niger, sed albus, uel alio colore coloratus.

1. piher. l. 10 S. tho. opus. d'nã. ge. c. 1. *Vniuersale est quod est in multis, & prædicatur de multis.* 16

Vt sunt ea quæ dicta sunt, scilicet genus, species, differentia &c.

Prædicabile dicitur quicquid est aptum natum prædicari de pluribus. 17

Vt est hõ, animal, et huiusmodi cõmunia. Nã indiuiduum nõ proprie prędicabile dicitur quia de uno solo prædicatur. s. de seipso.

Por. ubi sup. s. t. prima 29. 4. *Indiuiduum est illud q in seipsum est indiuisum & diuisum a quolibet alio a se.* 18

Ea. n. quæ sunt communia dicũtur in seipsa diuisa pro eo quod multis cõicari possunt. Indiuiduum aũt nulli potest cõicari ut est Sortes & Plato, qui cum sint distincti a cæteris rebus de alijs prædicari non possunt.

Prædicamentorum c. 1. s. t. opus. 31. c. 3. Primo post. l. 8. et 4. meth. l. 15. t. c. 28. *Vox uniuoca est quæ pluribus conuenit scd'm eandẽ rationem ab ipsa uoce sumptam.* 19

Quia enim uox mediantibus concæptibus significat, uel etiam ipsos concæptus, qui concæptus sunt quasi rationes rerum, quia ut dicit Aristoteles ratio quam significat nomen est diffinitio, & una uox potest plures res significare, idcirco accidit aliquando quod una uox pluribus rebus conuenit, quæ sub uno concæptu comprehenduntur siue sub una ratione illi uoci correspondente uel accæpta ab illa uoce. Et tunc illa uox dicitur uniuoca seu uniuocatio, & res sub illa uoce comprehensę appellantur uniuoca. Sicut hęc uox homo quæ omnibus hominibus cõuenit. qui oẽs

sub

ſub una ratione & uno conceptu comprehendun tur, ideſt, ſub ratione naturæ humanæ quæ omni bus æqualiter conuenit, qui quidem conceptus il li uoci homo correſpondet, quia nihil aliud ſigni ficat quam ipſam naturam humanam, uel eius concæptum. Hæc igitur uox homo dicitur uox uniuoca, & omnes homines in hac uoce uniuo cantur. Vnde uniuoca dicuntur quorum nomen cōmune eſt et ratio ſubſtãtiæ ab illo nomine ſum pta eſt eadem.

20 *Vox æquiuoca eſt quæ pluribus conuenit ſcd'm diuer ſas rationes ab illa uoce ſumptas.* *Vbi ſup.*

Aliqñ.n. una uox pluribus cõuenit rebus quæ non cõprehendũtur ſub uno cõcęptu illi uoci cor reſpõdente, quia illi uoci plures rõnes correſpon dent. Vt hæc uox canis q̄ conuenit piſci marino, ſideri cœleſti, & cani latrabili, ſed ſub diuerſis ra tionibus illi uoci reſpondentibus. Nam intelle ctus aliam rõnem naturæ caninæ accipit in uno, & aliam in altero, quia alia & alia ratione dr̃ ca nis ſydus cœleſte, & piſcis marinus, & latrabilis canis. Hæ igitur res dicuntur æquiuoca, quia no mẽ eis ſolum cõe eſt, & rõ ſubſtantię ab illo no mine ſumpta eſt diuerſa. Et uox illa quoque dicit̃ æquiuoca, uel melius æquiuocatio.

21 *Analoga uox eſt quæ pluribuus conuenit rebus ſecũ dum rationes partim diuerſas et partim eaſdem ab il la uoce ſumptas.* *s.t.prima 13.5.19. opus.31.c.3.*

Nam aliquando una uox pluribus conuenit rebus quæ habent rationes partim eaſdem &

partim diuersas ab illo nomine sumptas, quia in aliquo conueniunt & in aliquo differunt. Et tunc illa uox analoga uocatur, ut hæc uox sanum quæ conuenit animali inquantum est subiectum sanitatis, & urinæ inquãtum est signum eiusdem sanitatis, & medicinæ inquantum est effectiua eiusdem. Hæ igitur rationes differunt in hoc quod in una ponitur subiectum, in altera signũ, in tertia uero effectiuum. Conueniunt autem omnes in sanitate, & ibi terminantur sicut diuersę lineę ad eundem pũctum. Res ergo istæ dicunt cõuenire in hac uoce sanum secundũ analogiam.

prædi. ubi s. *Vox denominatiua siue denominãs est quæ ab aliqua re sumitur, cuius nomen ab ea differt in fine pronunciationis & conuenit in principio.* 22

Vt hæc uox iustus quæ sumitur a iustitia quæ est in iusto, & differt a nomine iustitię in fine pronunciationis, & conuenit in principio ut per se patet. Studiosus ergo & si a uirtute dicatur, non tamẽ denominatur. Et similiter mulier musica a musica disciplina denominatiue non dicitur.

prædi. c. 2. *Quædam uoces significant ea quæ non sunt in subiecto sicut accidens & prædicantur de subiecto.* 23

Vt homo, animal, & corpus. In subiecto enim illud dicitur esse tanquam accidẽs, quod cũ sit in altero, non tamen est pars eius, nec põt esse sine eo, ut albedo quę in margarita est nõ est pars margaritæ, & sine margarita esse non potest, manus aũt & pes & si in altero sint, non tñ sicut accidẽs, quia ptes sunt corporis, hõ uero ei corpus & similia in altero non dicunt esse nec tanq̃ partes,

nec tan-

nec tanquam accidentia, prædicantur tamen de subiecto, ideſt de inferiore. Aliter.n.capitur ſubiectum cum dicitur quędam eſſe in ſubiecto, & aliter cũ dicitur quædam prædicari de ſubiecto, per ſubiectum enim primo loco nominatum intelligitur ſubſtratum hoc eſt id quod acciděti ſubſternitur, per ſubiectum autem ſecundo loco dictum intelligimus id quod inferius eſt ſecundum prædicationem. Omnes uero ſecunde ſubſtãtię, ideſt ſubſtantię communes non ſunt in ſubiecto & prędicantur de ſubiecto, quæ ſint autem ſecundæ ſubſtantiæ ſtatim dicetur.

Eſſe in ſubiecto.

Predicari de ſubiecto diuerſimode ſubiectum ſumitur.

24 *Quædam ſignificant ea quæ nec ſunt in ſubiecto, nec prædicantur de ſubiecto.* *Vbi ſup.*

Vt Sortes & Plato, & cætera indiuidua ſubſtantiæ. ex eo enim ꝙ ſunt ſubſtantiæ, non ſunt in ſubiecto, quia ſubſtantia nõ eſt in ſubiecto, ex eo uero ꝙ ſunt indiuidua, non dicuntur de ſubiecto.i.de inferiore.

25 *Quædam ſignificant ea, quæ ſunt in ſubiecto & prædicantur de ſubiecto.*

Vt color, albedo & linea, & cętera accidentia communia. Ex eo enim ꝙ ſunt accidẽtia, ſunt in ſubiecto, quia omne accidẽs eſt in ſubiecto. Quia uero ſunt communia, dicuntur de ſubiecto, ideſt de inferiore. *Vbi ſup.*

26 *Quædam ſignificant ea, quæ ſunt in ſubiecto, ſed non dicuntur de ſubiecto.* *Vbi ſup.*

Vt hæc albedo, hæc dulcedo, & quælibet indiuidua accidentiũ. quia enim ſunt accidentia ſunt in ſubiecto, ratione dicta, Quia uero indiuidua,

non dicuntur de ſubiecto, quia carent inferiore.

Prædi. c. 4. *Voces quæ pertinent ad unum genus generaliſsimum ad aliud proprie pertinere non poſſunt, niſi æquiuocæ ſint.* 27

Voces enim & res ſibi inuicem correſpondẽt. Et diuerſorum generum & nõ ſubalternatim poſitorum id eſt quorum unum non eſt ſub altero: diuerſæ ſunt ſpecies & differentiæ. Sunt uerę ſpecies eorum & ueræ differentiæ.

Prædi. ca. de ſubſtantia. *Quædam uoces ſignificant ſubſtantiam.* 28

Subſtantia quid. Subſtãtia. 1. Subſtãtia. 2. Subſtantia autem eſt res per ſe exiſtens: & nulli inhærens ſicut accidens. Vt homo animal & ſortes & alia huiuſmodi. Diuitur autem in primã & ſecundam. Subſtantia autem prima eſt ſubſtãtia indiuidua: quæ propriæ eſt ſubiectum omniũ accidentiũ: ut ſortes & Plato: & hic lapis & hoc lignum. Subſtantiæ autem ſecundæ ſunt genera & ſpecies: quæ de ſubſtantia prima prædicantur: ſine qua in rerum natura eſſe non poſſunt. Vnde corruptis primis ſubſtantijs: nihil remanet in natura quia ſine ipſis nec ſunt ſecũdæ ſubſtantię nec accidentia. Omnis ergo uox huiuſmodi res ſignificans eſt uox ſubſtantiæ.

Prædi. c. de quantitate *Quædam uoces ſignificant quantitatem.* 29

Quantitas quid. Quantitas communis. Quantitas omnis. Eſt autem quantitas menſura ſubſtantiæ qua omnia menſuramus. Et quædam eſt continua ut linea: ſuperficies: corpus, id eſt trina dimẽſio: quæ nihil aliud eſt niſi longitudo: latitudo: & profunditas corporum. Et ſimiliter locus qui eſt ſuperficies locantis: & tempus. Quædam autem eſt diſcreta ut numerus. Et ſecundum hanc quantitatẽ

unum

unum quocꝫ dicitur æquale uel inæquale. Quælibet ergo uox huiuſmodi res ſignificãs eſt uox de prædicamento quantitatis.

30 *Quædam uoces ſignificant ad aliquid ſiue relationes.* *Prædi.c. rela.*

Ad aliquid autem eſt id cuius eſſe eſt ad alterum ut dominus & pater. Dominus enim eſt ſerui dominus: & ſeruus domini ſeruus & pater filij pater: & filius patris filius. Et ſimiliter ſimile ſimili ſimile & magnum ad paruum & paruũ ad magnum refertur. Relatio autẽ eſt id quod inter hæc extrema intelligitur eſſe: ut paternitas uel filiatio quæ intelligitur eſſe inter patrem & filium: & ſic de alijs. Et ſunt relatiua talis naturæ ꝙ unũ non diffinitur: nec intelligitur: nec exiſtit ſine altero. Quælibet ergo uox hęc ſignificans eſt de prædicamento relationis. *Ad aliquid* *Relatio quid*

31 *Quædam uoces ſignificant qualitatem.* *Prædi.c. de quali.*

Qualitas autem eſt accidẽs ſecundũ quod unũ quodcꝫ dicitur quale. Et quędã eſt habitus.i. qualitas de difficili mobilis: ut uirtus & ſcientia quãdo eſt fortiter radicata. Quædam eſt diſpoſitio, id eſt qualitas de facili mobilis: ut cum quis habet ſcientiam alicuius rei quæ faciliter poſſet ab eo remoueri. Quædam eſt naturalis potentia uel impotentia, ut cum quis eſt bene naturaliter diſpoſitus ad currẽdum, illa diſpoſitio dicitur naturalis potẽtia a qua dicitur ille curſor. Vel cũ quis naturaliter eſt facilis ad patiendũ nociua, illa mala diſpoſitio dicitur naturalis impotẽtia. Quędã ẽ paſſio.i. qualitas quę ſubito ex aliqua paſſione innaſcitur: ſicut pallor q naſcitur ex timore: uel rubor *Quali. quid* *Qualitas multiplex*

ex erubescentia: quando scilicet est talis quæ possit aliquo sensu percipi, idest a uisu: auditu: olfatu: gustu: uel tactu. Verum quando non subito nascitur: sed est fixa in subiecto alijs de causis dicitur passibilis qualitas: non quia patiatur: sed quia causat passionem in sensu: idest informat sensum sua similitudine: ut albedo: & quilibet color: & odor: & sonus: & sapor: & caliditas: & frigiditas & si qua sunt similia his. Quædam uero est figura ut circulus: quadratum: & aliæ species figurarum. Quedam est forma: hoc est ipsius figurę qualitas secundum quam dicimus hanc figuram formosam illam uero mediocrē: unde et homines dicimus formosos. Secundum has igitur qualitates dicuntur res similes uel dissimiles. Contrarietas autem maxime est in passibilibus qualitatibus et passionibus. Omnis ergo uox huiusmodi res significans pertinet ad prędicamentum qualitatis.

Predi. c. de agere & pati.

Quædam uoces significant actionem uel agere. 32

Vt calefactio & frigefactio: uel calefacere: & frigefacere.

Vbi sup.

Quædam significant paßionem uel pati. 33

Vt suscæptio: & suscipere uel calefieri: & similia.

Quædam ubi. 34

Vbi autem est esse in loco: ut esse in domo: esse in ciuitate.

Vbi sup. lib. sex princi.

Quædam situm esse 35

Vt sedere: iacere: stare.

Vbi sup.

Quædam quando. 36

Quando autem est esse in tempore: ut esse in die: esse

esse in anno.

37 *Quædam uero habere, uel habitum.* Vbi sup.

Vt esse armatum: esse calciatum.

38 *Quædam uoces sunt sibi inuicem oppositæ.* Predi.c. 12.

Hoc autem nõ est sic intelligendum quasi uox ipsa secundum se sit opposita uoci: sed intelligendum est illas uoces oppositas esse quæ res oppositas significant: sicut uox inhonesta dicitur quæ aliquod turpe significat. Quia ergo multę res sunt sibi inuicem oppositæ: dicimus etiam uoces res oppositas significantes sibi inuicem opponi.

39 *Contradictoriæ uoces sunt illæ quarum una cum negatione, altera uero sine negatione profertur.* Vbi sup.

Vt homo: non homo.

40 *Contrariæ autẽ quæ contrarias qualitates significãt.* Vbi sup.

Sicut hæ uoces. Calidum & frigidum. Album & nigrum. Contraria enim sunt qualitates quæ non possunt simul esse in eodem subiecto: & maxime distant sub eodem genere. Album enim & nigrum sub genere coloris maxime distant. Nulli enim alij colores tantum distant sicut album et nigrum. Et quędam habent medium ut albũ & nigrum quæ habent medios colores: quędam uero minime: ut sanum & ægrum in animali. Aliquando autem medium nominatur per negationem utriusque extremi: ut inter bonum & malũ: quod neq; bonum est neq; malum. Contraria quæ.

41 *Oppositæ uoces secundum habitum & priuationem sunt illæ quarum una aliquam formam significat altera uero illius formæ priuationem.* Vbi sup.

Priuatio Priuatio enim est negatio formæ in subiecto apto nato habere illam formam, ut cæcitas quæ priuat uisionem in oculo apto nato uidere. Cecitas ergo & uisio sunt priuatiue opposita: & uisio quidem habitus est siue forma cæcitas uero priuatio habitus & formæ.

Vbi sup. *Voces autem oppositæ secūdum relationem sunt quæ significant relatiua.* 42

Vt pater & filius de quibus iam dictum est.

Vox primæ impositionis est quæ significat rem non uocis conditionem. 43

Sicut hæc uox lapis, aurum, & lignum.

Vox secundæ impositionis est quæ significat non ipsas res sed uocem ipsam uel uocis conditionem. 44

Vt hæ uoces nomen, et uerbum, participium, oratio, propositio enunciatiua, & si quæ sunt huiusmodi. Primo enim homines imposuerunt uocabula rebus: deinde ipsis uocabulis propter diuersas eorum proprietates. Et quædam uocabula quę per casus flectūtur nomina uocauerūt quędā quę nō flectūtur uerba, quędā uero cōposita orationes. Et sic multa genera uocum constituerunt.

Boe. 1. phi. c. de nomine *Apud logicos duæ sunt tantum partes orationis scilicet nomen, & uerbum.* 45

Omnes enim uoces significatiuas per se uocāt nomiua uel uerba, unde & aduerbia cum nominibus collocātur, participia uero sunt quasi quoddam medium inter nomē & uerbum, nam & flectuntur per casus sicut & nomina & significant cum tempore sicut uerba. Verum quia id quod apud

apud logicos proprie est uerbum cū nomine semper facit orationem uerum uel falsum significantem, quod participium cum alio nomine iunctū facere non potest sine uerbo, melius secundum logicos participium cum nomine quàm cum uerbo collocabitur. Cæteræ uero uoces quæ nihil per se significant sed consignificant, ut hæc uox, omnis, uel nullus quidam, aliquis, & cęterę huiusmodi, cum coniunctionibus & disiunctionibus & cęteris orationum colligationibus, sincategorica idest consignificatiua appellant.

46 *Nomen est uox significatiua ad placitum, sine tempore, cuius nulla pars significat, separata, finita, & in recto.* 1.Phil.c.2.

Significare.n.cum tempore est cum significato principali trahere secum aliquam differentiam temporis. Cum enim dicitur lego, hoc uerbum significat actum legendi, & trahit secū tempus pręsens. Nomen igitur potest significare tempus, ut hoc nomen dies, uel hora, nequaq̄ autē cum tēpore significabit. Partes quoq; eius non significant separatę. Quāuis enim partes huius nominis magister, quę sunt magis & ter separatę significent, non tamē significant inquantū sunt partes huius nominis magister, alioquin significarēt partē magistri, quod nequaq̄ uerum est. Dicitur autē finita, quia nomen cū sit uox significatiua habet determinatā significationē, uox autē infinita ut hęc uox nō homo indeterminatam, unum.n. negát et nihil ponit. Vnde similes uoces cū negatiōe sumptę nomina infinita uocātur, sed nō sunt proprię

Significare cū tempore.

nomina. Similiter casus nominum non sunt propriæ nomina. Nanq; nomina cum uerbo semper faciunt orationem ueram uel falsam, sed si dixero Ciceronis est, nullam feci orationem uerã uel falsam. Nomen ergo in recto sumitur.

Vbi sup. c. 3. *Verbum est uox significatiua ad placitum cum tempore cuius nulla pars significat separata finita, & recta.* 47

Infinitum quippe uerbũ, ut non lego, nõ amo, & similiter obliquum ut currebat cucurrit apud logicum proprie non sunt uerba. Vtitur autem logicus uerbo indicatiui modi præsentis, temporis, præsertim hoc uerbo substantiuo, sum, es est, in præsenti tempore. Et hoc est maxime uerbum apud ipsum in quod reliqua uerba resoluũtur. Cętera patent ex ijs quæ dicta sunt de nomine.

Vbi sup. c. 4 *Oratio est uox significatiua ad placitum, cuius aliqua partium significat separata.* 48

Vt homo est animal. Est autem quædam oratio imperfecta, ut homo albus. Quædam sunt perfectæ, & harum quędam sunt imperatiuę, quædã optatiuæ, quædam deprecatiuæ, quædam indicatiuæ, Logicus autem cæteris prætermissis de sola indicatiua tractat, quã enunciatiuã uocat.

Vbi sup. *Enuntiatiua est oratio significans uerum uel falsum.* 49

Vt deus est immortalis. Et diuiditur in affirmationem & negationem.

Vbi sup. *Affirmatio est enunciatiua aliquid de aliquo enũciãs,* 50

Vt homo est rationalis.

Vbi sup. *Negatio est enuntiatiua aliquid ab altero remouens.* 51

Vt homo non est lapis.

Enunciatiua

52 *Enunciatiua uniuersalis est quæ de uniuersali uniuersaliter enũciat, uel ab eo uniuersaliter aliqd remouet.* 1. perhi.c.5.

Vt omnis homo est animal, uel nullus homo est insensibilis. Vniuersale autẽ dico illud quod de pluribus prædicatur cui cum additur signum uniuersalitatis dicitur tunc aliquid uniuersaliter de eo enunciari si aliquid de eo enunciatur, uel ab eo aliquid uniuersaliter remoueri si aliquid ab eo remouetur, ut patet in exemplis positis. Signum autem uniuersalitatis est quod per se nihil significat, sed cum uniuersali iunctum indicat quod pro omnibus uel pluribus uel nullis accipitur, ut omnis, quilibet, nullus, uterq;, & similia. *Signum uniuersalis.*

53 *Particularis est quæ de uniuersali particulariter enunciat, uel ab eo particulariter remouet aliquid.* *Vbi sup.*

Vt aliquis homo est albus, aliquis homo non est albus. Signũ autem particularitatis est quod indicat uniuersale pro aliquo esse accipiẽdum, ut quidam, aliquis, similia. *Signũ ptic.*

54 *Indefinita est quæ de uniuersali nec uniuersaliter nec particulariter enunciat, uel ab eo aliquid remouet.* *Vbi sup.*

Vt hõ est risibilis, homo non est immortalis.

55 *Singularis est quæ de singulari aliquid enũciat, uel ab eo aliquid remouet.* *Vbi sup.*

Vt Plato est, Plato non est.

Vniuersalis affirmatiua et particularis negatiua, uniuersalis negatiua et particularis affirmatiua sunt cõtradictoriæ. Quarum lex est quod non possunt *Vbi supra.*

eſſe unquam ſimul ueræ, nec ſimul falſæ.

Vt omnis homo eſt iuſtus, aliquis homo non eſt iuſtus. Nullus homo eſt iuſtus, & aliquis homo eſt iuſtus. Hæc enim lex ita uera eſt ut nullus intellectus poſsit concipere contrarium unde & eſt principium & fundamentum primum omnium concluſionum.

ubi.ſ.c. 5.6. *Vniuerſalis affirmatiua & uniuerſalis negatiua ſunt contrariæ. Quarum lex eſt, ut nunquam poſsint eſſe ſimul ueræ, ſed bene ſimul falſæ.* 57

Vt omnis homo eſt albus, nullus homo eſt albus. Si enim eſſent ſimul ueræ etiam duo contradictoria eſſent ſimul uera. Quia ſi uniuerſalis eſt uera, etiam particularis ei correſpondens ſeu ſubalternata illi eſt uera, & ſic iſta etiam eſſet uera aliquis homo non eſt albus ſi iſta eſt uera, nullus homo eſt albus, hæc autem eſt contradictoria primæ poſitæ, id eſt iſti, omnis homo eſt albus, duo ergo contradictoria erunt ſimul uera. Similiter ſi iſta eſt uera, omnis homo homo eſt albus, etiam iſta eſt uera, aliquis homo eſt albus quæ contradicit illi, nullus homo eſt albus, & ſic duo contradictoria erunt ſimul uera, quod eſt incogitabile. Non ergo poſſunt contraria eſſe ſimul uera cum tamen ſint ſimul falſa ut patet in exemplo poſito.

ubi.ſ.c. 5.6. *Particularis affirmatiua et particularis negatiua ſũt ſubcontrariæ. Quarum lex eſt ut non poſsint eſſe ſimul falſæ, ſed bene ſimul ueræ.* 58

Vt

Vt aliquis homo est iustus & aliquis homo non est iustus. Sunt enim simul ueræ ut ex se patet. Si autem essent simul falsæ, earum contradictoria essent uera quæ sunt duo contraria, duo igitur contraria essent simul uera quod iam improbatum est.

59 *Vniuersalis affirmatiua et particularis affirmatiua, & similiter uniuersalis negatiua & particularis negatiua de eisdem terminis sunt subalternæ. Quarum lex est quod si uniuersalis est uera, et particularis, nõ tñ econuerso. Et si particularis est falsa, uniuersalis quoq; est falsa, non tamen econuerso.* bui.s.c.5.6.

Vt omnis homo est animal, aliquis homo est animal & nullus homo est lapis, aliquis homo non est lapis. Si enim uniuersalis esset uera, & particularis falsa, duo contraria essent simul uera, quia tunc contradictoria illius particularis esset uera quæ est uniuersalis, & contraria alteri uniuersali.


60 *Singularis autem affirmatiua semper est contradictoria singulari negatiuæ de eisdem terminis.* ubi.s.c.5.6.

Vt sortes currit, & sortes non currit. Non.n. possunt esse simul ueræ nec simul falsæ.

61 *In singularibus contingentibus de futuro necesse est alterum contradictoriorum esse uerum & alterũ falsũ coniunctim non aũt diuisim.* ubi.s.c.5.5.

Vt necesse est cras esse uel non esse nauale bellum. Non tamẽ necesse ẽ esse cras nauale bellum, nec necesse est ipsum non esse. Coniunctim dico,

quando necessitas cadit super disiunctionem. Diuisim autem: quando cadit super partes eius.



1. perhi. c. 2. l. 8. s. l. *Propositiones modales, quibus utitur cōiter logicus sunt, quæ fiunt cum his modis. Necessarium possibile, impossibile & contingens.* 62

In quibus quidem semper modus est prædicatum & dictum subiectum. Dictum autem uoco orationem quam modus determinat, ut cum dicitur,

dicitur, necesse est Deum esse, dictum est, Deum esse, & est subiectum, de quo necessitas enunciatur.

63 *Istæ propositiones sunt uniuersales particulares indefinitæ, uel singulares, ratione dicti non autem ratione modi.* S.t.opus. 40.co.1.

Nam si dictum uniuersaliter sumitur, propositio dicitur uniuersalis, & similiter particularis, uel indefinita, uel singularis, si particulariter indefinite uel singulariter accipiatur. Ita enim utitur eis Aristoteles.

64 *Poßibile est tanq̃ genus: ad cõtingens & necesse.* s.t.prima 41.4.scd'm

Nam quicquid necesse est esse, & possibile est eẽ sed non econuerso. Et similiter quicquid cõtingit esse, possibile est esse, sed nõ e conuerso. Oportet enim quod oẽ necesse esse et cõtingens esse sit possibile esse uel impossibile. Illud autem quod est necessarium uel contingens nõ potest dici impossibile, igitur possibile erit. Verum est tamen quod contingens quod dicitur de ijs proprie quæ possunt esse & non esse, aliquando improprie extenditur ad necessarium, ut illud dicatur contingere quod necesse est esse, & sic cõtingens, & possibile non differunt. Et hoc modo nunc accipimus contingens quamuis sit improprie dictum. Posterius autem eius significationem propriam prosequemur.

65 *Propositio de necessario, & poßibili æquipollent si modi & dicta dißimiliter se habeant* 2.pih.c.2.l. 10.S.t.

Hoc est secũdum dissimilitudinem affirmationis & negatiõs, ita quod si modus in una sit affir-

matus, in altera sit negatus. Et similiter si in una sit dictum negatum, in altera sit affirmatum. Vt necesse esse, non possibile non esse.

Vbi sup. *Propositio de possibili & contingenti æquipollent si modi & dicta similiter se habeant.* 66

Vt possibile esse, contingit esse.

Vbi sup. *Propositio de possibili æquipollet illi de impossibili, si modi dissimiliter se habeant & dicta similiter.* 67

Vt possibile esse. Non impossibile esse.

Vbi sup. *Propositio uero de necessario, & impossibili æquipollent, si dicta dissimiliter se habeāt & modi similiter.* 68

Vt necesse esse. Impossibile non esse.

2.pih. c.2.l. 8.9.s.t. *Contradictio in his propositionibus fit per affirmationem & negationem modi.* 69

Vt necesse esse. Non necesse esse.

Vbi sup. *Propositio quæ est. Necesse esse cū omnibus alijs quæ sibi æquipollent est contradictoria huic.* Non necesse *esse & omnibus sibi æquipollentibus.* Et *est contraria huic.* Necesse *est non esse, & omnibus sibi æquipollentibus.* Et *subalterna ei, & omnibus æquipollentibus sibi est hæc.* Non *necesse est non esse cum omnibus sibi æquipollentibus.* 70

Vbi sup. *Hæc uero.* Non *necesse est esse cum omnibus sibi æquipollentibus est subcontraria huic.* Non *necesse est nō esse.* Et *subalterna huic.* Necesse *est non esse.* Quæ *cū omnibus sibi æqui pollentibus, est huic cōtradictoria.* Non *necesse est non esse, & omnibus æquipollentibus sibi.* 71

Hæc

Hæc aũt omnia patent faciliter in figura sequẽti, & probantur hæ duæ conclusiones per leges su prapositas & per rationes earũ circa propositiones oppositas esse uel non esse significantes.



De uocabulis itaque simplicibus, & enunciatiatione ex his composita quantum ad syllogismos componendos utile est, copiose dictum puto. Nunc autem cætera breuius absoluamus.

Explicit liber primus.

Postilla in librum primum.

POstilla super hoc opus pro declarando ordine tam librorum quam cōclusionum et primo super primum librū qui est de principijs sylogismi, de quo principaliter intenditur in tota logica, quia per ipsum ad omnium methodorum principia uiam habet, a principijs.n.incipiēdum est. Duo igitur principaliter determinat auctor in hoc libro, secūdum duo genera principiorum syllogismi, nā prius agit de principijs remotis quæ sunt uoces incomplexe, deinde de proximis, quæ sunt uoces cōplexe. Quo ad prima principia, ponit ergo diffinitionem uocis pro fundamento in 1.conclusione, & quia non omnis uox deseruit logico, subintellectis diuisiōibus uocis, declarat mē bra seu spēs eius in 2.3.4.& 5. in qua declarat uocem significatiuam ad placitum, quæ est intenta a logico. Quia uero & hæc diuiditur per uocem primæ intentionis, & secundę declarat utranque, primam; scilicet in 6. & secundam in 7. Secundo agit de uocibus secundæ intentionis, de quibus principaliter intendit logica cum sit de secundis intentionibus, licet adiunctis primis, & quia hæ uoces reducuntur ad quinque prędicata, determinat de illis .s. de genere in 8. de specie in 9. subiungens de generalissimo in 10. de specialissimo in 11.& dę subalternis iu 12. hæc enim omnia spectant ad tractatum de genere, & specie, de differentia āt quæ est tertium p̄dicabile in 13. de proprio in 14.& de accidente in 15. sic.n. ordinantur.

Quia

Quia uero hęc omnia dicuntur & uniuersalia & prędicabilia, subiũgit quid uniuersale, in. 16. quid prędicabile in. 17. & quid indiuiduum quod contra illa diuiditur in. 18. Tertio uolens determinare de uocibus primę intentionis quę dicuntur prędicamẽta, pręmittit diuersitatem talium uocum, & ex parte uocis, declarando quid uox uniuoca in. 19. quid equiuoca in. 20. quid analoga in 21. & quid denominatiua in. 22. sic enim diuersificatur uox primę intentionis ex parte ipsius uocis, & ex parte rei significate, declarando quomodo hę uoces significant diuersas naturas rerum. s. uel substãtias uniuersales in. 23. uel singulares, in. 24. uel accidentia uniuersalia in. 25. uel singularia in. 26. subdens in. 27. regulam pro distinguendis uocibus unius prędicamenti, a uocibus alterius, quibus pręmissis agit de ipsis uocibus primę intentionis secundum ordinem prędicamentorum, a conclusione. 28. usq; ad. 37. prius autem determinat in his, de uoce significante ad aliquid q̃ de uoce significãte qualitatem, licet qualitas sit ens absolutum, quod est prius respectiue quale est ad aliquid siue relatio, quia relatio ut plurimum fundatur in quantitate ideo post quantitatem determinat de illa, & quia uoces primę intentionis habẽt oppositionem ad inuicem, secundum oppositionem rerum significatarum, consequenter agit de oppositione illarum, prius quidem declarando quomodo habẽt oppositionem in. 38. deinde prosequendo, tales oppositiones, secũdum ordinem illarum in. 39. 40. 41. & 42. Quo ad principia uero proxima syllogismi quę sunt enunciationes,

quia fiunt ex nomine & uerbo tanquam ex par-
tibus, primo agit de illis quia prius de partibus
eſt agendum quàm de toto, quia autem, hæc duo
dicuntur uoces ſecundæ impoſitionis, & uniuer-
ſaliter ſunt partes orationis apud logicum, præ-
mittit declarationem uocis primæ impoſitionis
in.43.& ſecundæ in.44. & quomodo ſola hæc
duo ſunt partes orationis in.45.deinde agit de ip
ſo nomine, in.46.& de uerbo in.47.prius autem
agit de nomine q̃ de uerbo, quia nomẽ ſignificat
ſubſtantiam rei, uerbum autem actionem & paſ
ſionem quæ ſequuntur ſubſtantiam, & egrediun
tur ab illa. ſecundo agit de enunciatione quæ dici
tur de ineſſe, declarando genus eius quod eſt ora-
tio in.48.diffiniendo ipſam in.49. declarando
membra eius ſiue ſpecies in quas diuiditur & ſe-
cundum qualitatem in.50.51.in quibus declarat
quid affirmatiua & quid negatiua. hæ enim diui
dunt enunciationem ſecundum qualitatẽ & præ
mittit affirmatiuam negatiue quia eſt prior, & ſe
cundum quãtitatem in.52.53.54.55. incipiens ab
uniuerſali quę eſt prior alijs.ſ.particulari, indefini
ta & ſingulari. in hæc enim diuiditur enunciatio
ſecundum quantitatem, & quia poſſunt habere
oppoſitionem ad inuicem preſertim, diuerſificatæ 29
per affirmationem, & negationem, agit tertio de
tali oppoſitione, incipiens a contradictorijs quæ
plus alijs opponuntur in.56.quas ſequuntur con-
trariæ de quibus in.57.& has ſubcõtrariæ, de qui-
bus in.58. has autem ſubalternæ quæ minus om-
nibus opponũtur, de quibus in.59. & quia de ſin
gularibus eſt ſpecialis difficultas, oſtendit quo-

modo opponuntur in.60.& quomodo se habent ad uerum & falsum quæ sumuntur secundum earum oppositionẽ, specialiter in cõtingentibus in 61. Quarto pro complemento huius libri agit de propositionibus modalibus hoc ordine quia primo declarat quę sint propositiões modales apud logicum in.62. quomodo diuersificantur secundum quantitatem in.63. secundo præmisso quomodo se habet possibile ad necessarium & contingens in.64. agit de æquipolentijs harum propositionum, in.65.66.67.&.68. demum agit de oppositione earundem, ostendens quomodo accipitur in.69.& quæ opponantur in.70.&.71. in quibus completur primus liber.

DE ARTE DIVIDENDI LIBER SECVNDVS.

1 Diuisionum multæ sunt species. Quædam enim sunt per se, ut diuisio generis in species & totius in partes, & uocis in significationes. Quædam uero per accidens, ut diuisio subiecti in accidentia & accidentis in substantia, & accidentis in accidentia. *Boe. li. de diui. circa prin.*

2 *Diuisio generis, in species fieri debet nisi nominibus careant.* *Vbsup.*

Nam genus totum quoddam est respectu specierum, & de ipsis prędicatur, sed comparatũ differentijs se habet ad eas ut materia ad formam.

Vnde non proprie de ipsis prędicatur, nec in eas diuiditur, nisi propter penuriam uocabulorum, qua fit ut pro speciebus differentijs utamur.

Vbi sup. *Differētiæ illæ solæ ad diuisionem generis sunt aptæ quādo per eas diuidimus genus, quæ per se insunt.* 3

Nam hę solę informant speciem, & ad diffiniē dum sunt aptę. Et ideo hę solę loco specierum poni debent.

Vbi sup. *Oportet ea quæ diuidunt genus uel aliud quid a se aliqua oppositione disiungi.* 4

Aliter non differrent adinuicem. Omnis enim differentia est per aliquam oppositionē. Vbi autem inter membra diuidentia nulla est differentia, nulla potest esse diuisio. Non enim diuiditur bene animatum si dicatur, quoddam est animal, & quoddam est homo, quia homo & animal nō opponuntur, immo sunt idem.

Vbi sup. *Et quæ diuiduut genus non debent opponi secundum affirmationem & negationem, nisi propter penuriam uocabulorum.* 5

Quia negatio nō potest esse species, nec etiam differentia, tollit enim & nihil ponit.

Vbi pu. *Si propter penuriam uocabulorum cogimur diuidere genus per affirmationem & negationem, primo loco non est ponenda negatio.* 6

Aliter autem aut nullum aut tardum dabit intellectum, cum negatio sit quasi infinitum quoddam, & id quod prius est posterius diceretur. Nā affirmatio est prior negatione, nec intelligitur negatio sine affirmatione.

Per

7 *Per oppositionem priuationis & habitus non fit diuisio generis, nisi propter penuriam uocabulorum.* Vbi sup.

Quia priuatio nec est species, nec differentia.

8 *Si autem fit diuisio generis per priuationẽ & habitũ prius debet habitus poni, & secundo loco priuatio.* Vbi sup.

Propter eandem rationem quę dicta est de negatione & affirmatione.

9 *Per oppositionem relatiuam diuisio generis fieri non debet.* Vbi sup.

Tum quia relatiua substantialiter non a se discrepant, tũ quia unũ in diffinitione alterius ponit.

10 *Per oppositionem contrariorum maxime est facienda diuisio generis.* Vbi sup.

Quia contraria possunt esse uere species & uere differentię.

11 *Omnis diuisio debet esse bimembris, si uocabula non deficiunt.* Vbi sup.

Quia uni proprie unum est contrarium. Vbi sup.

12 *Potest idem genus multipliciter diuidi.*

Nam continet multas species & differentias, ut animalium quędam sunt rationalia quędam irrationalia. Et animalium quędam habent pedes, & quędam non. Et animalium, quędam sunt uolatilia, quędam gradientia super terram, & quędam natant in aquis, & similia.

13 *Omnis diuisio generis in seipsam conuerti debet.* Vbi sup.

Idest membra diuidentia disiunctiue sumpta debent cum diuiso conuerti. Aliter non esset perfecta, eo ꝙ membra diuidentia uel plus, uel minus continerent quàm diuisum.

Vbi sup. *Totum diuidi debet in suas partes.* 14

Vnde si multiplicem habet compositionem, etiam multiplicem diuisionem habebit. Homo enim diuiditur in materiam & formam, item in manus pedes, & caput, item in carnes & ossa. Et si est totum uniuersale, ut genus hominum, uel populus diuiditur etiam in partes suas. Vt hominum, quidam sunt in Asia, quidã in Africa, quidam uero in Europa. Similiter etiam si est totum potentiale, ut anima humana quæ partim est intellectiua, partim sensitiua, & partim uegetatiua. Qualecunque enim sit totum semper diuiditur in suas partes. Non enim habet aliquid aliud in quod diuidi possit.

Vbi sup. *Vox siue sit simplex æquiuoca siue oratio ambigua, diuiditur uel in suas significationes, uel in diuersos modos significandi, uel in diuersas determinationes.* 15

In significatiões quidem. Vt canum, alius est latrabilis, alius marinus, alius cœlestis. Vel ista uox canis modo significat latrabilem modo marinum modo cœleste sydus. In diuersos modos significandi. Vt cum dico hæc uox infinitum, alio modo significat in magnitudine, alio modo in numeris, alio uero modo in formis. In diuersas uero determinationes, ut cum dico. Da mihi quod dare debes. Possum enim hoc determinare ad codicem & ad uestem, & ad pecuniam & ad alia his similia. Est autem maxime utile cognoscere multiplicitatem uocum, & earum diuisionem, contra sophisticas importunitates.

Vbi spu. *Subiectum diuiditur in accidentia* 16

Vt cum

Vt cum dico. Animaliū quędā sunt alba, quædam nigra, quædā uero medio colore colorata.

17 *Accidens diuiditur in subiecta.* Vbi sup.

Vt alborum, quædam sunt animalia, quædā lapides, quædam ligna, uel aliqua huiusmodi.

18 *Accidens diuiditur in accidentia.* Vbi sup.

Vt cum dico. Alborum quædam sunt dulcia, quędam amara, quædam accida, uel huiusmodi.

19 *Diuisio per se a diuisione per accidens differt.* Vbi sup.

Quia diuisiones per accidens uicissim possunt permutari. Vt si dico. Alborū, quędā sunt dulcia quædā amara. Rursum possum diuidere. Dulciū quædam sunt alba, quædam nigra. Et rursum. Nigrorum, quædam sunt dulcia, quædam amara. Sed hoc nō potest fieri in diuisionibus per se. Nō enim diuiditur species uel differentia in genera, nec significatum uocis, in uoces, nec pars in tota.

20 *Generis etiam diuisio a totius diuisione differt.* Vbi sup.

Quia totum diuiditur in partes quantitatiuas uel integrales & est posterius illis & forma earum. Sed genus diuiditur in partes subiectiuas: & est naturaliter prius eis & se habet ut materia respectu differentiæ.

21 *Generis quoque diuisio a uocis diuisione differt.* Vbi sup.

Tum quia genus non diuiditur in suas significationes: eo quod significat unam materiam tantum: sed in species quas potestate cōtinet: non actu: tum qa est uniuersalis speciebus secundū naturā: tum qa de ipsis prędicatur uniuoce: diuisio autē uocis est in suas significationes: Et illa uox quæ diuiditur est uniuersalior suis significatio-

nibus secundum uocem: non autē secundum naturam, sed magis secundum beneplacitum hominum, nec prędicatur uniuoce de eis. Et similiter non est eadem apud omnes, quia uoces sunt significatiuę ad placitum, genus autē apud omnes eodem modo se habet.

Vbi sup. *Diuisio etiam totius, a uocis diuisione differt.* 22

Partibus enim totum constat, & in partes diuiditur: & sublata una parte totum perit. Sed uox non constat ex his, quę significat, nec in partes diuiditur, sed in significationes, unde sublata una re quam significat, non propter hoc uox perit. Differentię autem diuisionum per accidens sunt per se notę, & ideo nihil de eis ad pręsens dicatur pręter id quod supra dictum est. Atq; hęc quãtum introductiõis breuitas patitur, de diuisione sint dicta.

Postilla in secundum librum qui est de arte diuidendi.

DEclaratis principijs syllogismi, quia ars diffiniendi multum deseruit ad cognitionem syllogismorum, ideo prius agit auctor de illa, & quia diffinitiones uenamur per diuisiones, pręmittit hunc librum de arte diuidendi. In quo pręmissa multiplicitate diuisionum in prima cõclusione primo agit de diuisionibus per se. secundo de diuisionibus per accidens, per se.n. est prius eo quod est per accidens. tertio comparat diuisiones inter se. Quo ad primum incipit a diuisione generis, quę est prima alijs de qua multa docet

ta docet, scilicet in quę debet fieri, scilicet in species si fieri potest in 2. per quas differētias cum per illas facienda est in 3. q̄uo debet fieri per opposita in 4. & quia non omnis oppositio est ad propositum, remouet contradictoriam in 5. subdens q̄uo debet sumi si q̄n quaq; contingat per illam fieri in 6. in 7. uero remouet priuatiuā, & similiter subdit q̄uo debet sumi, q̄n per illam habet fieri in 8. in 9. aūt, remouet relatiuā, et postea ōndit q̄uo h; fieri per oppositionē contrarioꝝ in 10. deducēs & hoc in 11. in quot mēbra debet fieri, scilicet in duo. demum pro cōplemento huius diuisiōis ōndit multiplicitatē eius in 12. & conuersionem cum diuiso in 13. Ex his omnibus manifestatur diuisio generis: postquam agit de diuisione totius in partes q̄ tenet secundū locum inter diuisiones per se in 14. & post hanc de diuisione uocis, in suas significationes in 15. quam tertio loco posuerat inter diuisiones per se. Quo ad secundum autem. s. diuisiones per accidens de tribus agit ordinatē, scilicet de diuisiōe subiecti in accidētia q̄ est prima inter has, in 16. de diuisione accidentis in subiecta quæ est secunda, in 17. & de diuisione accidentis in accidentia q̄ est 3. in 18. Quo ad tertium primo ōstēdit differentiam inter diuisionem per se & diuisionem per accidens in 19. secundo inter diuisionem generis, & diuisionem totius ac uocis. totius quidem in 20. uocis aūt in 21. tertio inter diuisionē totius et uocis in 22. quæ est ultima.

DE ARTE DIFFINIENDI.

LIBER TERTIVS.

Conclo 1. Boe. li. d'diff. Diffinitio multipliciter dicitur. 1

Aliquando. n. accipitur pro quacũque declaratiõe, et hoc mõ quãdoq; dif finimus indiuidua, ut cum dicimus. Plato est qui dã homo puus habẽs capillos crispos filius Ciceronis: habẽs talia & talia accidẽtia. Aliquãdo aũt accipit̃ pro oratione aliquid manifestante, in qua aliquid ponitur loco generis, & aliquid loco differentiæ, q̃uis illud nõ sit uerũ genus, nec uera differentia, ut cũ diffinit̃ aliquãdo genus generalissimum, utputa cum dicimus, substãtia est ens pe se existens. Aliq̃do capit̃ pro oratione aliquid declarãte, in qua ponitur uerũ genus sed nõ uera differentia, sed loco differentiæ ponitur ꝓpriũ ut cũ dico de homine q̃ est animal risibile. Et hæc oratio ꝓprie descriptio uocat̃. Aliquãdo ãt accipit̃ ꝓprie pro oratione in qua ponit̃ uerũ genus, & uera differentia. Et de hac loqui intendimus in præsenti tractatu.

Diffinitionis multiplex acceptio.

Vbi sup. 6. topi. c. 1. Diffinitio est oratio significans essentiam rei. 2

Oratio quippe est, quia nomen unicum diffinire non potest, ut dicit Aristoteles in topicis. Oportet enim diffinitionem constare ex genere & differentia, quæ rei essentiam explicant. Nam genus prædicatur in quid, & differentia in quale substantialiter.

Diffinitio omnis ex duobus terminis tantum fieri debet, nisi penuria uocabulorum aliter fieri cogat. Vbi sup.

Nam cuiuscunq; diffinibilis unum est tantum proximum genus, & una tantum ultima differentia, ex quibus proprie fieri debet diffinitio, quia hæc perfectius notificant diffinitum, & distingūt ab omni alio quod non est ipsum.

4 *Non debet diffinitio ex obscuris nominibus constare.* 6.topi.c.1.2

Quia diffinitio datur ad notificandū diffinitū.

5 *Non debet ex nominibus æquiuocis fieri diffinitio.* Vbi sup. c.2

Quia aliter non constaret ex genere & differentia quæ prædicantur uniuoce.

6 *Non debet quis metaphorice aut extranee loqui diffiniendo, nec uti nisi nominibus consuetis.* Boe. ubi sup. 1.topi.c.2.

Quia ut dictum est diffinitio datur gratia notificandi diffinitum.

7 *Non debet in ea aliquid superflue poni, nec diminute* Vbi sup.

Superfluum.n. impedit intellectū, diminutum uerum nō explicat totam rei essentiam. 1.topi.c.1.2

8 *Non debet pro genere poni in diffinitiōe aliqd' transcendens, nec aliqua differentia quæ cōpetat omnibus contentis sub genere diffiniti.* Vbi su.c.3.

Constat.n. diffinitio ex proprio genere, & ex propria differentia. Aliter.n. non notificaret totum diffinitum.

9 *Non debet idem per idem diffiniri uariato nomine.* 6.topi. c.2.

Quia sic nō manifestaret diffinitum, sed remaneret æque ignotum.

6.topi.c.3. *Diffinitio debet fieri per notiora & priora sedundũ naturam.* 10

Quia datur ad notificandum diffinitum, & exprimendũ eius essentiam. Vnde datur per genus & differentiam quæ sunt priora & notiora secundum naturam eo cuius sunt genus & differentia. Excipiuntur autem relatiua quorum unum sine reliquo diffiniri nõ potest, quia eorum esse est ad alterum, ut dicit Arist. in 6. topi.

Vbi sup. *Supius non debet diffiniri per inferius.* 11

Quia superiora sunt inferioribus notiora, & priora.

6.topi.c.1. *Primum locũ debet obtinere genus in diffinitiõe, et secundum differentia.* 12

Priora enim & communiora debent præcedere in diffinitione, eo quod sunt notiora, & a notioribus inchoandum est.

8.meta.t.c.10 *Diffinitiones sunt sicut numeri.* 13

Sicut.n. spẽs numerorũ uariantur apposita uel remota una unitate, ita & diffinitiones uariãtur, apposita uel remota una differentia.

Boe. ubi sup. *Diffinitio debet conuerti cũ diffinito.* 14

Quia diffinitio & diffinitum idem significãt, & diffinitio non debet diminuta esse nec superflua, ut dictum est.

6.topi.c.1.2 *Diffinitio debet competere omnibus contentis sub diffinito.* 15

Cum.n. diffinitio & diffinitum sint idem, etiã de eisdem prædicantur.

Si diffi-

16 *Si diffinitiue assignata nō statim fit notū cuius ē diffinitio, aut diffinitio cōtrarij non ē bene assignata.* Vbi sup.

Quia ut iam dictum est, diffinitio & diffinitū idem significant & contrariorum eadem est disciplina.

17 *Si p nominibus positis in diffinitiōe eorū diffinitiones ponantur, clarior erit diffinitio.* Vbi su.c.3.5

Quia sic diffinictia erunt magis nota, cū diffinitio semper notificet diffinitum.

18 *Si aliquid est æquiuocū qd' diffiniri debet, prius est distinguendū, in quo sensu accipiatur.* Vbi su.c.2.5

Aliter diffinitio nō notificabit diffinitum, sed cōfusionem generabit.

19 *Deus proprie diffiniri non potest.* S.t. priā 3.5

Tum quia Deus non est sub genere aliquo, sed est super omne genus, tum quia non est compositus ex genere & differentia, nec ex aliquo alio, sed est purus actus.

20 *Transcendentia & generalissima proprie diffiniri non possunt.* 6.topi.c.3.

Quia non habent supra se genus.

12 *Singularia etiam non diffiniuntur.* S. t. prima 29.1. ad primum.

Quia non immediate subsunt generi, & non differunt secundum differentias essentiales, sed solum secundum materiā. Diffinitio autem essentialiter facit differre diffinitum ab omni alio q̄d non est ipsum.

21 *Solæ species diffiniri possunt.* Boe. ubi sup.

Quia hæ solæ habent supra se genus uerum,

& ueram differentiam constitutiuam.

7.meta.t. c.14 *Spēs substantiæ proprijssime diffiniuntur.* 23

Quia hæ habent essentiam nullo modo dependentem ab aliquo extraneo, a substantia. Unde in earum diffinitione non oportet aliquod extraneum ponere, sed solum proximum genus & propriam differentiam.


Species accidentium non hñt ita proprie diffinitiōem sicut species substantiæ. 24

Quia esse earum seu essentia dependet a substātia. Accidentis enim esse est inesse. Unde oportet in eorum diffinitionibus aliquod extraneum ponere, id est subiectum a quo dependent secūdum esse. Ideo dicuntur diffiniri per additamentum.

6.topi.c.1.3. *Diffinitio colligitur per diuisionem.* 25

Cum enim aliquid uolumus diffinire ante omnia oportet sumere genus eius, & ipsum in differentias diuidere. Deinde coniūgere illam differētiam generi, quę ei quod uolumus diffinire potest aptari. Et si genus cum illa differentia est æquale speciei quam diffinimus, tunc est perfecta diffinitio. Si autem est adhuc quid communius, iterum genus cum differentia diuidatur, & eis illa differentia coniungatur quæ speciei quam diffinimus potest conuenire. Et si non adhuc æquatur speciei, iterum diuidatur genus cum illis duabus differentijs & coniungatur eis differentia alia quæ speciei est conueniens, & hoc modo tantum diuidatur & coniungatur usquequo ad æqualitatem speciei perueniatur. Verbi gratia, si uolo diffinire hominem

minẽ, quærẽdum est prius genus a me, quod gratia exempli sit substantia. Deinde diuidatur substantia in differentias .i. in corporeum & in incorporeum. Et quia homo est corpus, coniungatur corporeum cum substantia, & fiet substantia corporea. Sed hæc diffinitio adhuc non est æqualis homini, sed maior. Rursum igitur diuidatur substantia corporea in animatum & inanimatum, quia homo est animatus cõiungatur animatum substantiæ corporeæ, & fiet substantia corporea animata. Sed adhuc hæc diffinitio est maior homine. Igitur rursum diuidatur substantia corporea animata, in sensibile & in insensibile & quia homo est sensibilis fiat tota diffinitio substantia corporea animata sensibilis. Et quia nondũ ęquatur homini rursum hoc totum diuidatur, in rationale & irrationale. Et quia homo est rationalis addatur priori diffinitioni rationale, & fiat perfecta diffinitio hominis, substãtia corporea animata sensibilis rationalis. Non oportet autem rursum diuidere, quia hæc est æqualis homini. Si ergo hoc totum, substantia corporea animata sensibilis accipiatur pro genere, & loco eius ponatur animal quod est hominis genus proximum, tota diffinitio ex duobus terminis constabit secundũ tertiam conclusionem, quæ erit, animal ratiõale. Et hæc breuiter de diffinitione & diffinito, & diffinitionis inuestigatione dicta sufficiant.



Explicit liber tertius.

Poſtilla

Postilla in tertiũ librũ qui eſt de arte diffiniendi.

DEclarata arte diuidẽdi in pręcedẽti libro agit auctor in iſto de arte diffiniẽdi rõne ſuperius dicta, & primo quidẽ agit de ipſa diffinitionę abſolute, ſecũdo de ꝑtibus ex quibus integratur, tertio de ꝓprietatibus eius, quarto oſtẽdit quibs cõpetit & qbus nõ & demũ quo modo inueniẽda ſit. Quo ad primũ declarat duo .ſ. quot modis dicitur in prima cõcluſione, & qd ſit in ſecũda, nã multiplex prius diſtinguitur, & poſtea diffinit. Quo ad ſecundũ primo oſtẽdit ex quot ꝑtibus cõſtat & quibus in tertia, ſecũdo, ex qualibus, remouẽs multa, a quarta uſqꝫ ad nonã, & ſubiungẽs, qualia ſinę ex quibus fit in decima, ex qua deducit in undecima, ſuperius nõ diffiniri per inferius, tertio quo ordine illa debent poni in diffinitione in duodecimą. Quo ad tertiũ declarat plures ꝓprietates eius, ſ. quõ diffinitiones aſſimilãtur numeris in tertiadecima, quõ ſe habet ad diffinitũ in quartadecima, quõ ad cõtẽta ſub diffinito in quintadecima, & ſubiũgit duas regulas ad illã cognoſcendã, alterã negatiuã in ſextadecima, alterã affirmatiuã in decimaſeptima. Quo ad quartũ primo tradit regulã quid agendũ quando id quod debet diffiniri eſt æquiuocũ, in decimaoctaua. ſecũdo remouet tria a diffinitione .ſ. deũ: in decimanona, tranſcẽdentia, in uigeſima, & ſingularia, in uigeſimaprima, tertio aſſignat. 3. qbus cõpetit diffinitio. ſ. ſpeciẽ in cõi in uigeſimaſcđa, ſpeciẽ ſubſtãtię, in. 23. & ſpeciẽ accidẽtis, in. 24. Demũ õñdit modũ inueniẽdi diffinitiones, ut dictum eſt. ſ. per uiã diuiſionis, in uigeſimaquinta.

DE FORMIS SYLLOGISMORVM CATHEGORICORVM ESSE VEL NON ESSE MONSTRANTIVM LIBER QVARTVS.

1.prioru.c.1 *Syllogismus est oratio in qua positis quibusdã aliud quiddam ab his quæ posita sunt ex necessitate accidit eo quod hæc sunt.* 1

Vt cum dicitur, omnis angelus est incorruptibilis, gabriel est angelus, ergo gabriel est incorruptibilis. In hac enim oratione positis illis duabus propositionibus primis, ex necessitate accidit illa tertia, non propter aliam causam, nisi quia illę positæ sunt. Qui enim concedit primas duas, cogitur ex necessitate concedere tertiam.

Vbi sup. *Perfectus syllogismus est qui nullo indiget præter ea quæ assumpta sunt, ut appareat ex necessitate concludere.* 2

Nam sunt quidam syllogismi qui per se a deo sunt manifesti ut probatione non egeant, & hi dicuntur perfecti. Quidam autem indigent probatione, & per manifestos syllogismos probantur.

Vbi sup. *Imperfectus syllogismus est qui aliquo uel aliquibus indiget, ut per eosdem terminos qui prius erant assumpti appareat ex necessitate concludere.* 3

Imperfecti

Imperfecti enim syllogismi, ut dictum est, per alios perfectos demonstrantur. Et hoc fit aliquãdo per conuersionem unius propositionis, aliquãdo per conuersionem duarum. Ideo dicit quòd aliquo uel aliquibus indigent. Hoc autem magis patebit inferius.

Syllogismus primæ figuræ est quando illud quod in una propositione subijcitur, in altera prædicatur. Vbi sup. c. 5, 6.

Vt cum dico. Omne. b. est. a. Omne. c. est. b. Ergo omne. c. est. a. In prima enim. b. erat subiectum, in secunda autem prædicatum.

5 *Syllogismus secundæ figuræ est quando idem est in utraque prædicatum.* Vb sup. c. 8.

Vt nullum. a. est. b. Omne. c. est. b. Ergo nullũ c. est. a. B. enim in utraque prædicatur.

6 *Syllogismus secundæ figuræ est quando idem est subiectum in utraque.* Vbi sup. c. 10

Vt omne. b. est. a. Omne. b. ē. c. Ergo aliquod c. est. a. Nam. b. in utraque subijcitur.

7 *Syllogismus expositorius est quando duo probantur conuenire, quia conueniunt in aliquo tertio.* San. tho. opus. 45.

Vt si uolo probare ꝙ aliquod animal sit homo, sic arguam. Plato est homo. Et Plato ast aliquod animal. Ergo aliquod animal est homo. Et hæc probatio per se manifestissima est. Si enim Plato est aliquod animal, & etiam est homo, nulli potest esse dubium quin aliquod animal sit hõ.

8 *In toto esse uel de omni prædicari est quando nihil est sumere subiecti de quo non dicatur prædicatum.* 1. priorũ c. 5. 6.

Vt omnis homo est animal, Nam animal est in toto homine & de omni homine prædicatur, quia nihil est sumere sub homine de quo non dicatur animal.

Vbi sup. *In nullo esse uel de nullo prædicari est quãdo nihil est sumere subiecti a quo non remoueatur prædicatum.* 9

Vt nullus homo est lapis. Nam lapis in nullo est homine & de nullo homine prædicatur, quia nihil est sumere sub homine, a quo non remoueatur lapis.

1.prio.c.2 *Vniuersalis propositio negatiua in seipsam conuertitur.* 10

Nam si nullum b.est.a. etiam nullum a.est.b Quod si negas, aliquod igitur.a.est.b.quia necesse est alterum contradictoriorum esse uerum. Sit igitur.c.illud.a.quod est.b.igitur cum. c.sit.b.& etiam sit.a.sequitur quod aliquod.b.est.a.per syllogismum expositorium, quo per unum tertium, in quo conueniunt.a.&.b.probamus etiam eadē inter se conuenire.s. ꝙ aliquod.b.est.a. Sed prius assumptum fuit quòd nullum.b.est.a. Duo ergo contradictoria erunt simul quod est impossibile.

Vbi su. *Particularis affirmatiua in seipsam conuertitur.* 11

Si enim aliquod.b.est.a. etiam aliquod.a.est b.Quod si negas dabitur contradictorium eius quod est nullum.a.est.b.Sed hæc in seipsam conuertitur, ut dictum est in præcedenti cõclusione. Ergo nullū.b.est.a.Sed prius positū fuit aliquod b.esse.a. Duo igitur contradictoria erunt simul.

Propositio

12 *Propositio uniuersalis affirmatiua in particularem conuertitur.* *Vbi sup.*

Si enim omne. b. est. a. etiam aliquod. a. est. b. aliter nullum. a. erit. b. Igitur & nullum. b. erit. a. Sed iam positũ est omne. b. esse. a. Igitur duo contraria erunt simul uera, quod fuit improbatum superius in primo libro in principio. 57.

13 *Particularis negatiua non conuertitur.* *Vbi sup.*

Non enim in affirmatiuam conuertitur, quia negatiua non infert affirmatiuam, ut inferius probabitur. Nec in negatiuam uniuersalem, quia nõ sequitur. Si aliquod animal non est homo, quòd nullus homo sit animal. Nec in particularem negatiuã. i. in seipsam quia nec sequitur, si aliquod animal non est homo quòd aliquis homo non sit animal, ergo nullo modo conuertitur.

14 *Prima figura.* C. B. A. *Vbi sup. c. 5. 6*

Quando tres termini ita se habent q̃ postremus est in toto medio: & medius in toto primo necesse quoq; est postremum esse in toto primo.

Terminum uoco in quem resoluitur propositio, ut subiectum & prædicatum, postremum uero, uel maiorem extremitatem dico illum terminum qui de medio prædicatur, primum autẽ uel minorem extremitatem eum de quo prædicatur medium. Voco autem medium illum qui subijcitur & prædicatur. Vnde in hac figura maior propositio est illa in qua est maior extremitas siue postremus terminus, minor uero in qua est primus terminus siue minor extremitas qualitercũq; *Primus modus*

uarietur ordo propoſitionum in prolatione uel in 14
ſcripto. Sint ergo iſti tres termini. C. B. A. Si. a. eſt in toto. b. &. b. in toto. c. neceſſe eſt. a. eſſe in toto c. Si enim. a. eſt in toto. b. nihil erit ſumere ſub. b. de quo non dicatur. a. Cum ergo. c. totum ſumatur ſub. b. neceſſe erit. a. de omni. c. prædicari. Sic enim fuit ſuperius diffinitum, eſſe in toto & prædicari de omni. Formatur autem ſic ſyllogiſmus. Omne. b. eſt. a. Omne. c. eſt. b. Ergo omne. c. ē. a.

Vbi ſup. *Quādo autē poſtremus eſt in nullo medio, & medius in toto priō, neceſſe eſt poſtremū in nullo eſſe primo.* 15

Secundus Nam ſi. a. in nullo eſt. b. nihil eſt ſumere ſub. b. a quo non remoueatur. a. Si igitur. b. ſit in toto. c. nihil eſt ſumere ſub. c. de quo non dicatur. b. Totum ergo. c. eſt ſub. b. Igitur in nullo. c. neceſſe eſt eſſe. a. Et formatur ſic ſyllogiſmus. Nullum. b. eſt a. Omne. c. eſt. b. Ergo nullum. c. eſt. a.

Vbi ſup. *Si autem poſtremus ſit in toto medio, & medius in aliquo primo, neceſſe eſt poſtremū in aliquo priō eſſe.* 16

Tertius. Idem enim eſt in aliquo primo eſſe medium, & de primo medium particulariter prædicari affirmatiue. Et ratio huius ſyllogiſmi eſt eadē quæ fuit ratio primi. Et formatur ſic. Omne. b. eſt. a. Aliquod. c. eſt. b. Ergo aliquod. c. eſt. a.

Vbi ſup. *Si autem poſtremus ſit in nullo medio, & medius in aliquo primo, neceſſe eſt poſtremum ab aliquo primo remoueri.* 17

Quartus. Poſtremum ab aliquo primo remoueri idem dico ꝙ poſtremū particulariter negatiue prædicari de primo. Et ratio quoqꝫ huius ſyllogiſmi ē ea quę fuit ratio ſecundi. Et ſic formatur. Nullum. b. eſt. a.

est.a. Aliquod.c.est.b. Ergo aliquod.c. non est.a.

18 *Isti quatuor syllogismi solum perfecti sunt.* Vbi sup.

Nam per se sunt manifesti, & nulla conuersione propositionum indigent ut eorum necessitas appareat. Et alij per istos probantur. Vnde si aliter propositiones uel termini ordinarentur quàm dictum est, aut nullus, aut minime perfectus fieret syllogismus.

Secunda figura A B C

19 *Quando autem medius terminus de nullo postremo dicitur, & est in toto primo, necesse est postremum esse in nullo primo.* 1.prioru.c.8

primus modus

Postremum autem, uel maiorem extremitatē in secūda figura uoco illum terminum qui primo subijcitur medio, minorem uero uel primum, qui secundo loco eidem subijcitur. Maior ergo propositio hic est illa quæ in primo loco syllogismi collocatur, minor uero q̄ in secūdo. Vñ tā in hac figura q̄ in sequēti multū refert ꝑponere & postponere ꝑpositiones, nō sic autē erat in prima figura, formatur ergo syllogismus sic. Nullum .a. est.b. omne . c . est. b . ergo nullum. c. est. a . Probatur autē per cōuersionē primę quę cōuertitur in seipsam iuxta cōclusionē primā. Qua propositione cōuersa syllogismus erit secundus primæ figuræ. Syllogismus ergo iste est imperfectus, quia probatione indiget. Et similiter sunt imperfecti omnes sequentes. Probantur.n. per primā figuram.

20 *Similiter si medius sit in toto postremo & in nullo* Vbi sup.

primo, necesse est postremum in nullo esse primo.

Secundus Si enim omne.a.est.b.& nullũ.c.est.b. necesse est nullum.c.esse.a. Quia si secunda & tertia quæ est conclusio in seipsas conuertantur, erit syllogismus secundus primę figurę.

Vbi sup. *Si autẽ medius in nullo sit postremo, & in aliquo sit primo, necesse ẽ postremũ ab aliquo primo remoueri.* 21

Tertius Si enim nullũ.a.ẽ b.& aliquod.c.est.b.necesse est aliquod.c.non esse.a. Nam si prima conuertatur, erit syllogismus quartus primæ figuræ.

Vbi sup. *Si autem medius sit in toto postremo, & remoueatur ab aliquo primo, necesse est ab aliquo primo postremum remoueri.* 22

Quartus Si namque omne.a.est.b.& aliquod.c.non est b.necesse est aliquod.c.non esse.a. Nam si hæc cõclusio non est uera existentibus ueris præmissis, eius contradictorium erit uerum, quod est, omne c.est.a. quod si coniungatur cum illa omne. a. est b. sequetur quod omne.c.est.b. in primo primæ figuræ, & sic duo contradictoria erunt simul uera. Nam positum est illam esse ueram, aliquod.c. non est.b. Et ista omne.c.est.b. quæ est eius contradictoria, conclusa fuit ex ueris. Et hæc probatio dicitur per impossibile quia qui non concedit syllogismum esse bonum, deducitur ad concedendum impossibile.

A

Tertia figura. B

C

Si autem postremum sit in toto medio in quo etiam to

to sit

to sit primum necesse est postremmm esse in aliquo primo. 1. prioru c. 10

Si enim omne. b. est. a. & omne.b.est. c. necesse est aliquod.c.esse.a. Quia si secunda conuertatur in particularem fiet tertius syllogismus primæ figuræ. Voco autem secundam propositionem seu minorem in tertia figura, eam quæ secundum tenet locum: & primam uel maiorem quæ primum. Et similiter postremum dico uel maiorem extremitatem illum terminum qui primo de medio prędicatur. Primum uero: uel minorem extremitatem illum terminum qui secundario de medio. *Primus modus.*

24 *Si autem postremum sit in uullo medio in quo toto sit primum necesse est postremum ab aliquo primo remoueri.* *Vbi sup.*

Si .n. nullum.b.est.a. & omne.b.est.c. necesse est aliquod.c. non esse.a. Nam minore conuersa in particularem fit syllogismus quartus primæ figuræ. *Secundus.*

25 *Quando uero postremum est in aliquo medio in quo toto est primum necesse est postremum esse in aliquo primo.* *Vbi sup.*

Si enim aliquod.b.est.a.et omne.b.est.c.necesse est aliquod.c,esse.a. Si enim prima propositio in seipsam cōuertatur: fiet syllogismus tertius primæ figuræ: cōcludēs qꝫ aliquod.a.est.c. Quę quidem conclusio si in seipsam conuertatur, erit ea q̄ fuit conclusio propositi syllogismi: scilicet aliquod.c.est.a. *Tertius.*

Vbi sup. *Si aũt postremũ est in toto medio, et primũ in aliquo, necesse est postremũ esse in aliquo primo.* 26

Quartus Nam si omne.b.est.a.et aliquod.b.est.c. necesse est aliquod.c.esse.a. Conuersa.n. secunda in seipsam: erit syllogismus tertius primæ figuræ.

Vbi sup. *Si uero postremum ab aliquo medio remoueatur, et sit primum in toto eodem medio necesse est postremũ ab aliquo primo remoueri.* 27

Quintus Et probatur eodem modo sicut probatus fuit quartus secundæ figuræ. Si enim aliquod.b.non est.a. & omne.b.est.c. necesse est aliquod.c. non esse.a. Nam si conclusio non est uera: eius contradictorium erit uerum: quod est.omne.c.est.a. q̃d cum secunda propositione iunctum infert omne b.esse.a. Et cum iam positum sit quod aliquod b. non est. a. sequitur quod duo contradictoria sint simul uera.

Vbi sup. *Si aũt postremum in nullo sit medio: et primum sit in eodem aliquo medio necesse est postremum ab aliquo primo remoueri.* 28

Sextus. Si enim nullum.b.sit.a. & aliquod.b.sit.c. necesse est aliquod.c.non esse.a. Nam si secunda in seipsam conuertatur fiet quartus syllogismus primæ figuræ.

Fapesmo. *In omnibus his figuris põt ex affirmatiua et negatiua fieri syllogismus concludens primum de postremo.* 29

Vbi s. c. 12. In prima quidem figura sic: omne.b.est.a. nullum c.est.b.ergo aliquod.a.non est.c. Nam si premissæ conuertantur fiet syllogismus quartus primæ figuræ. Et similiter si dicatur: aliquod.b.est.

a.nullum

a.nullum.c.eſt.b.ergo aliquod.a.non eſt.c. Conuerſis enim premiſsis fiet idem ſyllogiſmus quartus. In ſecunda autem figura ſic: aliquod.a. eſt.b. nullum.c.eſt.b.ergo aliquod.a.non eſt.c. Si enim negatiua cõuertatur fiet ſyllogiſmus quartus primæ figuræ: & ſimiliter ſi dicatur, omne a.eſt.b. nullũ.c.eſt.b.ergo aliquod.a.nõ eſt.c. Nam ſi minor in ſeipſam conuertatur: & maior primo conuertatur in particularem: & deinde illa particularis in ſeipſam: fiet idem ſyllogiſmus quartus primæ figuræ. In tertia uero figura ſic: aliquod.b.eſt a.nullum.b.eſt.c.ergo aliquod.a.non eſt.c. Vel ſic. Omne.b.eſt.a.nullum.b.eſt.c.ergo aliquod a.non eſt.c. Nam ſi affirmatiua conuertatur in utroqȝ fiet ſyllogiſmus quartus primæ figuræ.

Friſeſomorũ

In quocunque ſyllogiſmo concluditur aliqua propoſitio poteſt cõcludi etiam omnis alia propoſitio quæ ſequitur ex illa. 2.priorũ. 1.c

Nam ſi uniuerſalis concluditur: poteſt etiam concludi particularis: quę in ipſa includitur. Et ubicunqȝ concluditur aliqua quę poteſt conuerti in alteram, poteſt etiam concludi ea in quam conuertitur: quia in illa includitur. Sed propter hoc non oportet multiplicare modos ſyllogiſmorũ, quia ſyllogiſmus qui uere unus ẽ immediate ſuã concluſionem infert. Quando aũt aliquis ſyllogiſmus infert illam quæ ex immediata ſua concluſione ſequitur non eſt dicendus unus ſyllogiſmus ſed duo. Non.n.illa concluſio ſequitur ſolum ex uirtute præmiſſarũ, ſed ex uirtute earum primo:

sequitur propria conclusio, & ex illa conclusione per alterum syllogismum sequitur illa quæ consequitur ad eam, unde tacite sunt duo syllogismi. Aliter infiniti pene essent modi syllogismorum.

ubi s.c.13.43 *Omnes syllogismi ad primos duos primæ figuræ resoluuntur.* 31

Nam tertius primæ figuræ per impossibile resoluitur ad secundum secundæ figuræ sic, omne.b. est.a. aliquod.c. est.b. ergo aliquod.c. est.a. Nam si conclusio non est uera, accipiatur eius contradictorium quod est, nullum.c.est.a. quod si iungatur cum prima, fiet syllgoismus prædictus sic, omne.b.est.a. nullum.c.est.a. ergo nullum.c. est b. quod est contradictorium secundę. At quartus primæ resoluitur in primum secundæ figuræ sic, nullum.b.est.a. aliquod.c.est.b. ergo aliquod.c. non est.a. Si enim contradictorium conclusionis coniungatur cum maiore, fiet syllogismus prædictus sic, nullum.b.est.a. omne.c.est.a. ergo nullum.c.est.b. quod est contradictorium minoris. Igitur cum omnes syllogismi in quatuor primæ figuræ resoluantur, & tertius & quartus eiusdem figuræ in primum & secundum secundę resoluãtur, qui tandem ad secundum primæ reducuntur, sequitur quod omnes in primos duos resoluantur finaliter.

Omnes syllogismi a primo primæ figuræ uirtutem habent. 32

Nam cum omnes a primis illis duobus uirtutem habeant & secundus a primo, sequitur tandem

dem quod omnes a primo efficaciam habent. Quod autem secundus a primo habeat uirtutem suam patet, quia primus ex affirmatiuis solum constat. Secundus uero negatiuas habet, negatiua autem non habet efficaciam concludendi nisi ab affirmatiua ut ex superioribus patet. Nam nullus syllogismus est qui non habeat aliquam affirmatiuam, ex negatiuis autem solis nihil sequitur. Et hoc rationi consonat, quia in unoquoque genere est dare unum primũ & maxime tale, quod est causa aliorum ut sint talia.

33 *Præter istos syllogismos qui positi sunt nulli alij de esse uel non esse inueniuntur necessarij.* **Ex locis ubi supra.**

Quia qualitercunq; uarientur termini uel propositiones inuenientur instantię quibus monstrabuntur non ex necessitate concludere. Et hoc diffuse declaratum fuit ab Aristotele in libr. priorũ, quæ omnia pro breuitate reliqui, quia nõ magnã afferunt utilitatem.

34 *Tres igitur sunt figuræ syllogismorũ et nõ plures.* **Vbi sup.**

Quia cum ad probationem, cuiuscunque conclusionis aliquod medium requiratur quod extrema coniungat, & ex una sola propositione nihil sequatur ut dicit Aristoteles, oportet quod saltem bis ante conclusionem illud medium sumatur, id est, in duabus propositionibus. Aut igitur in una prædicabitur, & in altera subijcietur, & sic habes primam figuram. Aut in utraque prædicabitur, & sic habes secundam. Aut in utraque subijcietur, & sic habes tertiam. Alio autem modo non poterit uariari.

Vbi su.c.30. *In omni syllogismo sufficit tres terminos ponere, & 35*
S.t.opus 45. *duas propositiones.*

Si enim plures uel termini uel propositiones addantur quam dictum est, aut nullus fiet syllogismus, aut aliqui termini & aliquæ propositiones erunt superfluæ, & impedient intellectum. Patet autem hoc ex ijs quæ supradiximus. Facti enim sunt superius oēs syllogismi ex tribus terminis tantum, & duabus propositionibus.

In omni syllogismo necesse est alteram duarum pro- 36
Vbi sup. *positionum esse uniuersalem: & similiter alteram affirmatiuam.*

Ex solis enim particularibus, & ex puris negatiuis nihil sequitur. Hoc aūt patet ex syllogismis superius ordinatis, & ex 33. conclusione hic superius posita.

Propositio uniuersalis affirmatiua difficillima est ad 37 construendum.

Quia solum in prima figura, & in primo modo construi potest.

Ex locis ubis. *Propositio particularis negatiua est facillima ad con 38*
S.t.opus 47 *struendum.*

Quia in omnibus figuris, & in multis modis potest construi.

Vbi sup. *Propositio uniuersalis affirmatiua est facillima ad de- 39 struendum.*

Quia destruitur per particularem negatiuam quæ est facillima ad construendum.

Vbi sup. *Vniuersalis negatiua difficilius cōstruitur quam par 40 ticularis affirmatiua.*

Quia

Quia.s.cõstruitur in paucioribus modis q̃ pti cularis. Hęc aũt omnia sũt manifesta ex ijs quę di cta sunt. Vt aũt melius modi istarꝝ figurarũ memorię mandent̃ nominant̃ quibusdã nominibus artificio plenis & ponuntur in his uersibus scd'm ordinem figurarum & syllogismorꝝ uidelicet.

Barbara,celarent, darij,ferio,baralipton,
Celantes dabitis fapesmo frisesomorum. *Ex locis*
Cesare,camestres,festino,baroco,Darapti. *ubis.*
Felapton,disamis,datisi, brocardo.ferison.

In his autem dictionibus quatuor sunt uocales id est,a.e.i.&.o. Quarum a.significat uniuersalem affirmatiuam.e uniuersalem negatiuam.i par ticularem affirmatiuam. o. uero particularem negatiuam. Nota igitur quod sicut ordinãtur uocales in nomine alicuius modi intelligitur quod eo ordine sunt ordinandę propositiones significatæ per illas uocales in illo modo. Sunt quoqꝫ ibi quatuor consonantes in principio nominum, id est,b.c.d.f. Et significat quod quilibet alius modus a primis quatuor primæ figuræ quorum nomina sunt illæ quatuor dictiones primę in primo uersu positæ secundum ordinem syllogismorum superius positum debent probari per illum modum ex illis quatuor qui ei correspondet in prima consonante. Inueniuntur etiam aliæ quatuor consonantes in eis, id est, s. p. c. m. quarum s. significat quod propositio significata per uocalem præcedentem immediate debet conuerti in seipsam seu simpliciter, quãdo illæ modus in quo est illa consonans probatur. P uero q̃ bebet cõuerti per accidens.i. uniuersalis in particularem.

C. uero q̀ probatio illius syllogismi fit per impossibile. M. uero q̀ q̃n fit resolutio syllogismi, ꝓpositiões premisse transponant̃. i. q̀ de maiori fiat minor, & ecõuerso. Sed hoc est de bene eẽ, nõ aũt necessarium quia in prima figura nihil refert præponere uel postponere ꝓpositiones cũ semꝑ illa sit prima uel maior in qua est maior extrẽitas. i. terminus q̃ de medio prædicatur, ut ex sup̃ioribus patet. Primæ ergo quatuor dictiões sunt nomina primoꝝ quatuor primę figurę. Et primę quatuor tertij ỽsus sunt nomina syllogismoꝝ secũdæ figurę. Et sex quarti seq̃ntes sunt nomina syllogismorum tertię figurę. Et dictiões eo mõ ordinant̃ sicut & syllogismi. Duæ uero dictiones ultimæ secũdi ỽsus sunt nomina eorũ qui cõcludũt primũ de postremo, quos posuimus in 20. cõclusiõe. De his uero tribus. s. baraliptõ, celãtes, & dabitis nõ feci mentionẽ, quia qui ponũt illos dicũt q̀ concludũt indirecte. i. primũ de postremo. Et ad eos quibus r̃ndet in prima cõsonante nullã aliam habent differentiã, & ideo nõ cõcludunt nisi ꝓpositionẽ q̃ sequit̃ ex cõclusione immediate sequente ex syllogismis eis r̃ndentibus. i. barbara, celarẽt, & darij. Et ideo unusq̀ꝗ eoꝝ est magis duo syllogismi q̃ꝫ unus. Possent. n. & hoc mõ uariari syllogismi in omnibus figuris ut dictũ est supra in cõclusione uigesima. Nota aũt q̀ in dictione ultima primi ỽsus & similit̃ in ultima secũdi illę duę syllabę ultimę, ton. et orum. nihil sigificãt, sed positę fuerũt ad terminandũ ỽsus. De syllogismis ergo eẽ uel nõ esse mõstrãtibus hęc dicta sufficiãt.

Explicit liber quartus.

Postilla

Poſtilla in quartum librum qui eſt de ſyllogiſmo ſimpliciter.

POſt præmiſſa ſequitur tractatus de ſyllogiſmo, & quia ſimpliciora ſunt priora, prius agit auctor de ſyllogiſmo ſimpliciter in hoc libro, hoc ordine, quia primo agit de ipſo ſyllogiſmo. ſecundo de modis eius in ſpeciali. tertio ſubiungit quædam, quæ conſequuntur ad dicta. Quo ad primum. primo diffinit ſyllogiſmum in communi in. 1. concluſione, ſecundo quia diuiditur per perfectum & imperfectum declarat utrunque perfectum quidem in. 2. imperfectum uero in. 3. tertio quia diuerſificatur per diuerſas figuras declarat hanc diuerſitatem quod eſt declarare figuras eius in. 4. 5. 6. ſecundum ordinem talium figurarum, ſubiungens de ſyllogiſmo expoſitorio quid ſit in. 7. quarto tradit duas regulas quæ ſunt regulatiuæ omnium ſyllogiſmorum. ſ. quid eſt eſſe in toto ſiue dici de omni in. 8. & quid eſt eſſe in nullo ſiue dici de nullo in. 9. Quo ad ſecũdum, quia conuerſio propoſitionum ad notitiam modorum ſyllogiſmi confert, prius agit de illa ſecundum ordinem propoſitionum, oſtẽdens quomodo conuertãtur affirmatiue. ſ. uniuerſalis in. 10. & particularis in. 11. & quomodo negatiue. ſ. uniuerſalis in. 12. & particularis in. 13. deinde agit de modis ſyllogiſmi in ſpeciali, ſecundum ordinem figurarum, de modis quidem primæ in. 14. 15. 16. & 17. prius declarans uniuerſales quàm particulares, & prius affirmatiuos quàm negatiuos, ſic enim exigit ordo, & ſubiungit horum modorum

perfectionem in.18. De modis autem secundæ in 19.20.21.&.22. agẽs prius de uniuersalibus q̃ de particularibus, ut dictum est in prima de modis uero tertiæ, in.23.24.25.26.27.& 28. seruans præ dictum ordinem, nam prius agit de illis qui habent præmissas ambas uniuersales & postea de illis qui constant ex una particulari, & in utroq; ordine prius de affirmatiuis quàm de negatiuis, & quia omnes modi dicti concludunt directe, subiungit duos modos qui concludunt indirecte alterum habentem ambas præmissas uniuersales alterum habentem unam particulam in.29. Quo ad tertium, ostendit primo uirtutem modorum dictorum ad concludendum plura in.30. secundo reductionem omnium aliorum ad primos duos, in.31.& dependentiam a primo in.32. tertio sufficientiam, & modorum dictorum in.33.& figurarum in.34.& terminorum ex quibus fiunt syllogismi in.35. quarto docet regulam de quantitate & qualitate propositionum in.36. & demum quæ sit facilis quæue difficilis ad concludendum in.37.38.&.39. ponens in ultima harum quæ etiã est ultima libri huius propria nomina supradictorum modorum cum declarationibus suis.

DE SYLLOGISMIS MODALIBVS LIBER QVINTVS.

1. prioru͂. c.3
1. perhie. lec.
10. per totum

PRopositio *uniuersalis negatiua in seipsam conuertitur de necessario.* 1

Nam si necesse est nullum. b. esse. a. etiam necesse

necesse ē nullū. a. esse. b. quod si nō est necesse nullū. a. esse. b. possibile est ergo aliquod. a. esse. b. iuxta regulā. 65. primi lib. Sit ergo aliquod. a. b. nā possibili posito inesse nullum sequitur impossibile, possibile enim est quod potest esse. Si igitur aliquod. a. est. b. etiam aliquod. b. erit. a. iuxta undecimam conclusionem præcedentis libri, sed prius positum fuit necesse esse nullū. b. esse. a. ergo duo pugnantia, & opposita erunt simul.

2 *Particularis affirmatiua quoq; in seipsam cōuertitur* *Vbi sup.*

Si enim necesse est aliquod. b. esse. a. etiam necesse est aliquod. a. esse. b. Nam si non est necesse aliquod. a. esse. b. possibile est nullum a. esse. b. per regulam. 65. prædictam. Sit ergo nullum a. b. igitur & nullum b. erit. a. per primam cōclusionem præcedentis libri. Hoc autem contradicit posito. Nam positum fuit necesse esse aliquod. b. esse. a.

3 *Vniuersalis aūt affirmatiua in pticularē conuertitur.* *Vbi sup.*

Si enim necesse est omne. b. esse. a. etiam necesse est aliquod a. esse b. Si enim non necesse est aliquod a. esse. b. possibile erit nullum a. esse b. Ponatur ergo ita esse ꝙ nullum a. sit b. igitur & nullum b. erit a. quod est contra positum. Et est eadem ratio hæc cum præcedenti.

4 *Particularis negatiua non conuertitur.* *Vbi sup.*

Non enim conuertitur in affirmatiuam, quia negatiua & affirmatiua inuicem pugnant. Nec in negatiuā ꝗa ꝗuis sit necessariū aliquā substantiā nō esse hominē nō tamen necesse est nullum hominem esse substantiam uel aliquem nō esse substantiam immo impossibile.

1.prioru.c. 14.san.tho. opus.45.

Si ambæ propositiones sint modales de necessario fiunt syllogismi in omnibus figuris eodem modo sicut in propositionibus de inesse. 5

Habent enim easdem probationes. Nam propositiones de necessario eodem modo conuertuntur sicut & propositiones de inesse. Excipiuntur tamen duo.s. quartus secundæ figuræ,& quintus tertiæ qui in hoc loco non per impossibile demonstrantur sicut prius factum est,sed per syllogismũ expositorium, quod tamen finaliter deducit ad contradictionẽ,& ad impossibile.In baroco quidem sic.necesse est omne.a.esse.b.&necesse est aliquod.c.non esse.b. sequitur ꝙ necesse est aliquod c.non esse.a.Nam ponatur ꝙ illud.c.quod necesse est non esse.b.sit.d.necesse erit igitur.d.non esse b.Si igitur syllogismus non est bonus, concedatur contradictorium consequentis quod est, non necesse est aliquod.c.nõ esse.a.igitur possibile est omne.c.esse.a.iuxta regulam.65. præallegatam. Sed iam positum est.d.esse.c. posuimus enim ꝙ d.esset illud.c.quod necesse est non esse.b. possibile est ergo.d.esse a.Prima autem propositio dicit ꝙ necsse est omne.a.esse.b.igitur possibile erit ꝙ.d.sit.b.cum possit esse. a. Sed positum fuit ꝙ necesse est.d.non esse.b. ergo duo contradictoria erunt simul.Nam si necesse est.d.non esse. b. impossibile est.d.esse.b.per regulam.68.primi libri. Possibile ergo erit.d.esse.b.& impossibile erit ipsum.d.esse.b.quod implicat contradictionem,iuxta regulam.71. & ultimam primi libri. In brocardo autem sic.Necesse est aliquod.b.non esse.a.

Necesse

Necesse est omne.b.esse.c. Ergo necesse est aliquod.c.non esse.a.Sit enim.d.illud.b.quod ex necessitate non est.a.ex necessitate ergo.d.non est a.Si igitur syllogismus non est bonus, accipiatur contradictorium consequentis, quod est, non necesse est aliquod.c.non esse.a. Igitur possibile est omne.c.esse.a.per regulam.65. sæpe dictam. Sed iam dictũ est: necesse est omne.b. esse. c. Si igitur omne.b.ex necessitate est.c.& omne.c. possibile est esse.a.certe possibile erit etiam omne.b.esse.a. Sed iam positum est.d.esse.b. quia posuimus q͏̄ esset illud.b.quod ex necessitate non est.a. possibile igitur est etiam.d.esse.a.quod est contra positum. Nam posuimus, q͏̄ necesse est.d.non esse.a Bonus ergo fuit syllogismus.

6 *Si autem prima propositio sit de necessario & secunda de inesse in prima figura seruatis cæteris conditionibus quæ ad eam requiruntur, fiet semper syllogismus perfectus cõcludens propositionẽ de necessario.* *Vbi sup.c.15.*

Et hoc probatur per dici de omni. & de nullo: ut prius fecimus in prima figura de inesse.

7 *In secunda autem figura si uniuersalis negatiua sit necessaria: altera existente de inesse, erit quoque conclusio necessaria.* *Vbi sup.c.16*

Per conuersiones enim propositionum quę eodem modo fiunt in necessarijs: & in ijs quæ sunt de inesse: resoluentur ad primam figuram tales syllogismi.

8 *In tertia autem figura, si in affirmatiuis uniuersalis affirmatiua quæcunque fuerit illa, & in negatiuis,* *Vbi sup.c.17*

uniuersalis negatiua fuerit necessaria, altera existē te de inesse, syllogismus erit bonus.

Hoc autem fiet manifestum studioso ex cõuersionibus propositionum: ut sæpe dictum est.

Vbi sup. *Si autem aliter ordinentur propositiones & modi q̃ dictum est in istis tribus figuris non sequetur cõclusio necessaria. Sed si qua conclusio sequitur ipsa erit conclusio de esse uel non esse.* 9

Hoc autē erit manifestum discurrenti per singulos modos. Vnde in baroco & brocardo non fit conclusio necessaria: sed tantum de nõ esse. Quod enim necesse est esse uel non esse: est uel non est.

1. prioru͂. c. 4. 2. perih. lec. x. *Propositio uniuersalis affirmatiua de contingenti conuertitur secundum consequentiam in uniuersalem negatiuam, & econuerso.* 10

In hoc loco accipimus contingens proprie pro eo quod potest esse indifferenter & nõ esse. Dico autem eas conuerti secundum consequentiam, q̃a una alteram infert: & ex altera: altera sequitur ex necessitate. Si enim contingit omne. b. esse. a. etiã contingit nullum b. esse. a. Sic enim accipimus contingens quod nec est necessarium nec impossibile: sed potest esse & non esse.

1. priorum Vbi sup. *Propositio quoque particularis affirmatiua de contingenti in particularem negatiuam conuertitur secundum consequentiam, & econuerso.* 11

Si enim contingit aliquod. b. esse a. etiam contingit aliquod. b. non esse. a. & econuerso: propter eandem rationem quæ dicta est.

Vbi sup. *Vniuersalis negatiua de contingenti, non conuertitur* 12

in seipsam

in seipsum sicut nec uniuersalis affirmatiua.

Nam non sequitur si contingit nullum.b. esse a.q contingat etiam nullum a. esse. b. Quod si sequitur, etiam continget omne a. esse b. per præcedentem conclusionem decimam. Cum autem positum sit q contingit nullum.b. esse.a. etiam continget omne b. esse a. per eandem regulam. Igitur oportebit concedere q si conuertitur uniuersalis negatiua: etiam conuertatur in seipsam uniuersalis affirmatiua: quod est falsum. Non enim si contingit omnem hominem esse album: etiam contingit omne album esse hominem.

13 *Propositio particularis affirmatiua in seipsam conuertitur conuersione proprie accepta.* *Vbi sup.*

Si enim contingit aliquod.b. esse.a. etiam contingit aliquod.a. esse.b. Si enim hoc non contingit: sit.c. illud.b. quod contingit esse a. Si igitur c. contingit esse a. dico quod etiam aliquod a. contingit esse.c. Quod si non contingit: erit uel quia necessarium est nullum a. esse c. uel quia necessarium erit omne a. esse c. Sed nullum horum potest stare cum posito: nam si datur primum: etiam necessarium erit c. non esse a. iuxta primam conclusionem superius positam: sed hoc est contra positum. Et similiter si detur secundum etiam necessarium est. c. esse a. per conclusionem tertiam superius positã: quod etiam est contra positum. Positum enim fuit quod.c. contingit esse.a.

14 *Propositio uniuersalis affirmatiua in particularem conuertitur.* *Vbi sup.*

Nam si contingit omne.b. esse.a. etiã contin-

git aliquod,a.esse.b. Si enim hoc non contingit: erit uel quia necesse est omne.a.esse.b. uel quia necesse est nullum.a.esse.b. sed si primum datur etiã necesse erit aliquod.b.esse.a. per cõclusionem tertiam superius positam: quod est contra positum. Nec secundum dari potest: quia etiam necesse esset.nullum.b.esse.a. per primam conclusionem superius positam: quod est etiam contra positum.

Vbi sup. *Particularis uero negatiua in seipsam conuertitur.* 15

Nam si contingit aliquod.b.non esse.a. etiam contingit aliquod.a.non esse.b. Si enim contingit aliquod.b.non esse.a. etiam cõtingit aliquod b.esse.a. per conclusionem.xi.superius positam: ergo contingit etiam aliquod.a.esse.b. per conclusionem præcedentem.xiij.ergo etiam contingit aliquod,a,non esse,b, per eandem conclusionem.xi.ergo conclusio prima fuit bona.

Vbi sup. *Propositio uniuersalis negatiua in particularem conuertitur.* 16

Si enim contingit nullum,b,esse,a, etiam contingit aliquod,b,non esse,a,quia si uniuersalis est uera etiam particularis est uera per regulam. lix. primi libri: ergo etiam contingit aliquod,a,non esse,b,per conclusionem immediate præcedentẽ. Itaque si contingit nullum,b,esse,a,etiam cõtingit aliquod,a,non esse,b.

Prima fig. 2.priorũ.c. 19,20,& 21 *In prima figura: si ambæ propositiones sint de contingenti uel maior sit de contingenti & minor de inesse uel de necessario, seruatis cæteris circunstantijs: erit syllogismus perfectus colligens propositionem de contingenti.* 17

Hoc patet

Hoc patet per dici de omni: & dici de nullo.

18 *Si autem ambæ sint negatiuæ uniuersales de contingenti, uel si minor sit negatiua de contingenti, erit syllogismus.* Vbi sup.

Intellige quod erit syllogismus: non ex ui propositionum: sed ex conuersione earum secundum consequentiam, ut dictum est in x. & xi. cõclusione. Verumtamen si maior esset particularis: nunquam fieret syllogismus.

19 *Si aũt minor sit dẽ contingenti, maiori existente de necessario, uel de inesse, in primo et in tertio mõ primæ figuræ fiet syllogismus imperfectus colligens ꝓpositionem de contingenti, secundum quod contingens accipitur pro possibili.* Vbi sup.

Qualiter contingens quandoque pro possibili accipiatur dictũ fuit in primo lib. in regula. lxiiij. Si em̃ necesse est omne b. esse a. uel si omne b. est a. & contingit omne uel aliquod c. esse b. contingit etiam, id est, est possibile omne uel aliquod c. esse a. Nam si non contingit omne c. esse a. necesse est aliquod c. non esse a. per regulas lxv. et lxvi. in primo positas. At quoq; si contingit omne c. esse b. ponatur ita esse quia possibili posito inesse nullum sequitur impossibile: omne igitur c. est b. Cum igitur necesse sit aliquod c. nõ esse a. uerum est dicere aliquod c. non est a. sed omne c. est b. per positum: ergo aliquod b, non est a. Syllogismus est in quinto tertiæ figuræ, id est, in brocardo. Sed iam fuit positum quod omne b, est a, uel necesse oẽ b, esse a, ergo cõtradictoria sunt simul,

Similiter in particulari ſi non contingit aliquod c. eſſe a. neceſſe eſt nullũ c. eſſe a. per regula. lxv. prædictam: nullum igitur c. eſt a. Poſitum eſt autem aliquod c. eſſe b. Igitur aliquod b. non eſt a. per ſyllogiſmum tertiæ figuræ ſecundum, id eſt, per felapton. Hæc autem concluſio eſt contra poſitum.

Vbi ſup. *In ſecundo aũt & quarto modo primæ figuræ, ſi minor eſt de contingenti & maior de ineſſe uel de neceſſario concluditur propoſitio de contingenti: prout cõtingens accipitur pro non neceſſario.*

Quandoque enim illud quod non eſt neceſſarium contingere dicimus, ut quia non eſt neceſſarium hominem currere, contingere dicimus hominem currere. Concluſio autem ſecundi modi ſi recte intelligatur erit de dicto particulari uel indefinito affirmato, & neceſſario negato, ut puta non eſt neceſſe c. uel aliquod c. eſſe. a. Concluſio autem quarti erit de dicto uniuerſali affirmato, & neceſſario negato, utputa non neceſſe eſt omne c. eſſe a. In ſecundo igitur fiat ſyllogiſmus ſic. Nullum b. eſt a. contingit omne c. eſſe b. ergo contingit nullum c. eſſe a. id eſt, non eſt neceſſe aliquod c. eſſe a. ſic enim nunc accipitur contingens. Quod ſi negatur ſyllogiſmus, igitur ſtantibus præmiſsis neceſſe erit aliquod c. eſſe a. ponatur ergo minor propoſitio ineſſe, ut ſcilicet omne c. ſit b. Maior autem dicebat nullum b. eſt a. Quæ ſi coniungatur cum iſta aliquod c. eſt a. quæ ab aduerſario poſita eſt, eo quod poſitum eſt ab eo, quod neceſſe eſt aliquod c. eſſe a.

ſequitur

sequitur in tertio secundæ figuræ, id est, in festino quod aliquod c. non est b. quod est contra illud quod fuit positum, id est, omne c. est b. Et eadem probatio est, si maior sit de necessario. In quarto autem hoc modo fit syllogismus. Nullum b. est a. contingit aliquod c. esse b. ergo contingit aliquod c. non esse a. id est, non est necesse omne c. esse a. Si enim est necesse omne c. esse a. ponatur minor inesse, id est, quod aliquod c. sit b. Cum igitur prima propositio sit hæc, nullum b. est a. & hæc etiam posita sit a contradicente, omne c. est a. quia dictum fuit ab eo, quod necesse est omne c. esse a. sequitur in primo secundæ figuræ, id est, in cesare quod nullum c. sit b. Quod est contra positum, quod est aliquod c. est b. Et similiter probatur, si ipsa maior sit de necessario.

21 *In prima quoque figura, si minor sit de contingenti negatiua, maiori existente uniuersali de inesse, uel necessario, fit syllogismus.* *Vbi sup.*

Non quidem ex propositionibus assumptis, sed per conuersionem minoris, quæ conuersio quidem est secundum consequentiam, sicut dictum est in decima & undecima conclusione, & sic poterit reduci ad ordinem aliorum syllogismorum. Si tamen minor non est de contingenti, nunquam fieret syllogismus. Et similiter si maior esset particularis uel ambæ particulares, & hoc patet inducendo per omnes terminos.

ubi s.c.22.23 opus.45. Scd'a figura.

In secunda aũt figura ex ambabus de cõtingenti, nullus omnino fit syllogismus. 22

Si enim aliquis fieri posset esset resolubilis ad primam figuram, omne enim imperfectum reducitur ad perfectum a quo sustentatur, sed hoc non potest esse, quia uniuersalis negatiua non conuertitur in seipsam in propositionibus de contingenti, per quam conuersionem maxime figura secunda ad primam resoluitur. Nec possunt per impossibile probari, quia manifestissime dantur, instãtiæ quibus monstratur, omnino nullum syllogismum huiuscemodi in hac figura fieri, quarum una est, quia non sequitur. Contingit nullum animal esse album, & contingit omnem hominem esse album, ergo contingit nullum hominem esse animal. Præmissæ enim sunt ueræ, & consequens falsum. Et similiter fit in alijs.

Vbi s.c.24.

Si autem affirmatiua sit de contingenti, altera existente de inesse uel de necessario uniuersali negatiua fiet syllogismus. 23

Per conuersionem enim negatiuæ in seipsam resoluetur ad syllogismos primę figuræ, qui iam probati sunt. Si tamen negatiua esset de cõtingenti nihil fieret propter causam dictam in prędedenti conclusione.

Vbi sup. Si aũt ambæ sint negatiuæ, fiet syllogismus. 24

Non ex ui ꝓpositionum sed ex cõuersione illius de contingenti in affirmatiuã ut sæpe dictum est. Si ãt negatiua ꝑticularis sit de inesse uel necessario, uel ambę sint ꝑticulares, uel affirmatiuę, nihil fit, q̃a non põt fieri resolutio ad primã figurã.

 In tertia

25 *In tertia aũt figura si ambæ ꝓpositiões fuerint de con tingenti fiet syllogismus per oẽs modos eius.* *Vbi s.c.25. tertia figura*

Quia omnes poterunt ad primam figuram resolui, uel ꝑ conuersiones propositionum, uel per conuersiones secundum consequentiam, ut sæpe diximus.

26 *Si autem ambæ fuerint negatiuæ de contingenti fit syl logismus.* *Vbi sup.*

Non quidem ex uirtute propositionum, sed ex conuersione, ut sæpe dictum est.

27 *Si uero una sit de inesse uel necessario altera existente de cõtingenti quæcunq; fuerit illa, erit syllogismus, et similiter si ambæ sint negatiuæ.* *Vbi s.c.26. Opus. ubi su.*

Hoc autem manifestum erit per conuersiõem propositionum, ex quibus ad primam figuram resoluentur, uel etiam per impossibile. Per primam enim figuram omnes iudicandi sunt. Ego autem breuiter trãseo in his syllogismis, quia nõ sunt multum in usu, & melius in actu disputationis cognoscũtur. Aduertendum est tamen quod in secunda & tertia figura conclusio est de contingenti diuersimode, sicut est in prima figura. Aliquando enim proprie capitur, aliquando pro possibili, & aliquando pro non necessario. Hoc autem cognoscitur ex resolutiõe ad primam, in qua declaratum fuit de quo contingenti conclusio sequatur in quolibet ordine propositionum. Et de syllogismis modaliũ propositionum ista sufficiant.

Explicit liber quintus.

Postilla in librum quintum qui est de syllogismis modalibus.

POst syllogismum de inesse qui est syllogismus simplex, sequitur syllogismus modalis, sicut propositio modalis sequitur propositionem de inesse, prius enim consyderatur natura rei in se, postea modus eius, de tali igitur syllogismo agitur in hoc libro, & quia omnes syllogismi modales reducuntur ad syllogismum de necessario et contingenti, agitur tantum de illis. Primo quidem de syllogismo de necessario, secundo de syllogismo de contingenti, necessarium enim est prius contingenti. Quo ad primum quia conuersio propositionum confert ut diximus supra ad cognitionem syllogismorũ, primo declarat conuersionem in propositionibus de necessario, prius manifestans illas quæ conuertuntur in seipsas, scilicet uniuersalem negatiuam in prima conclusione, & particularem affirmatiuam in secunda, deinde illam quę conuertitur in aliam, scilicet uniuersalem affirmatiuam in tertia, subdens in quarta de particulari negatiua, quod non potest conuerti, seruat hunc ordinem quia uniuersale est prius particulari, & affirmatio negatione. Secundo ostendit quomodo in his propositionibus debet uel potest fieri syllogismus simul in omnibus figuris in quinta, tertio quomodo in singulis sigillatim, & quomodo in prima ostendit, in sexta q̃uo in secunda, in septima, q̃uo in tertia, in octaua subdens, an posit syllogismus alio modo fieri in his

ri in his figuris, in nona. Quo ad secundum seruans ordinem prædictum, primo agit de conuersione propositionem de cõtingenti, incipiens ab illis quę conuertuntur secundum consequentiam & declarat prius uniuersales in decima, deinde particulares in undecima, manifestat postea an conuertantur in seipsas uel in alias, & ostenso quę non possunt conuerti in seipsas, scilicet uniuersales in duodecima, ostendit quæ possunt conuerti, in decimatertia, decimaquarta, decimaquinta, decimasexta, præmittens affirmatiuas negatiuis & quæ conuertuntur in se, illis quæ conuertuntur in alias nt patet in litera. Secundo, ostendit quomodo in his propositionibus potest fieri syllogismus in prima figura, in decimaseptima, decimaoctaua, decimanona, uigesima, uigesimaprima. Multipliciter enim potest fieri, secundum diuersam combinationem & mixtionem propositionum tam de inesse quam modalium. In secunda figura ostenso quomodo non fit syllogismus in uigesimasecunda, declarat quomodo habet fieri, in affirmatiuis quidem, in uigesimatertia, in negatiuis autem, in uigesimaquarta, in tertia demum ostẽdit quomodo tripliciter potest fieri, siue sint ambę prçmissę de contingenti, quod manifestat in uigesimaquinta, quo ad affirmatiuas, & in uigesimasexta, quo ad negatiuas, siue non, quod manifestat in uigesimaseptima, quæ est ultima.

DE POTESTATE FACIENDI SYLLOGISMOS LIBER SEXTVS.

Sanct.tho. opus.47. 1.poste.t. c.38.

SI uis probare uniuersalem affirmatiuam in syllogismo, quære terminum qui uniuersaliter prædicatur de subiecto propositionis probandæ, et de quo eiusdem propositionis prædicatum uniuersaliter prædicetur. 1

Vt si uis probare quod omnis hō est substantia, accipe animal, uel corpus.

Vbi sup. *Si aūt uis probare uniuersalem nagatiuam, quære terminum qui de altero terminorum propositionis probandæ uniuersaliter prædicetur, & ab altero uniuersaliter remoueatur.* 2

Nam si uniuersaliter prędicetur de subiecto poteris eam probare in secundo primæ figuræ, & in primo secundæ. Si autem de prædicato, probabitur in secundo secundæ figuræ.

Vbi sup. *Si uero uis probare ꝓpositiōem particularē affirmatiuam, quære terminū de quo alter terminorū ꝓpositiōis ꝓbandæ uniuersaliter prædicetur, & qui cum altero saltem particulariter conueniat.* 3

Nam si de ipso prædicatum propositionis probandæ uniuersaliter prædicetur, poterit syllogizari in tertio modo primæ figurę, & in primo & quarto tertiæ. Si autem uniuersaliter de ipso prædicatur subiectum, probabitur in tertio tertiæ.

Dico

Dico autem ꝙ cum altero conueniat particulariter.i.ꝙ uel ipse de altero prædicetur particulariter uel alter de ipso. Dixi autem saltem, quia si de ipso non solum particulariter sed etiam uniuersaliter prædicaretur, non minus concluderet syllogismus, ut patet in primo tertiæ.

4 *Si autem uis probare propositionem particularē negatiuam, quære terminū qui cum altero terminorum propositionis conueniat, & ab altero remoueatur.* Vbi sup.

Si enim nullo modo conuenit cum prædicato, & particulariter de ipso prędicetur subiectum, poterit concludi in quarto primæ, & in ultimo tertiæ. Si autem uniuersaliter, concluditur in secundo tertiæ. Si uero de subiecto particulariter ipsæ prædicetur, concludetur in tertio secundæ. Si uero ipse de prædicato uniuersaliter prædicetur, & particulariter remoueatur subiecto, fiet syllogismus in quarto secundæ. Si autem de ipso subiectum uniuersaliter prædicetur, & ab eodem particulariter prædicatum remoueatur, concludetur in quarto tertiæ.

5 *Non sunt sumendi pro medio termini communissimi nec singulares.* Vbi sup.

Quia uel nunquam uel raro ad aliquid probandum efficaciter poterit procedi. De ipsis enim nihil uniuersaliter affirmatiue prædicatur, nec etiā negatiue, nec ipsi quoq; de aliquo negatiue prædicantur. Termini autem singulares de nullo prędicantur, & de ipsis nihil enunciatur uniuersaliter. Non enim dicimus omnis Sortes, uel nullus

Sortes. Oportet autem in omni syllogismo medium terminum cum aliquo copulari uniuersaliter uel affirmatiue uel negatiue.

2.prioru.c. 8.9. *Ex contradictorio consequentis bonæ cõsequentiæ infertur ex necessitate contradictorium antecedentis.* 6

Sit ergo hæc argumentatio bona. B. est. a. ergo b. est. c. Dico ꝙ ex necessitate infertur si. b. non est c. ꝙ. b. non est. a. quod si non sequitur, detur ꝙ. b. non sit. c. & tamen ꝙ. b. sit. a. sed iam posuimus ꝙ si. b. est. a. ꝙ. b. sit. c. Igitur. b. erit. c. & non erit. c. quod contradictionem implicat.

Vbi sup. *Ex contradictorio consequentis cum altera præmissarum, infertur contradictorium alterius præmisse.* 7

Hæc regula patet ex præcedenti. Est enim eadem cum illa in sententia.

2.prioru.c.2. *Ex falsis uerum & falsum potest inferri, sed ex ueris non nisi uerum.* 8

Si enim homo est asinus sequitur quòd homo est animal, quod est uerum, & etiam sequitur ꝙ homo est rudibilis quod est falsum. Sed si antecedens est uerum, necesse est consequens esse uerum aliter consequentia non erit bona. Sit enim ista consequentia. a. est, ergo. b. est. Si existente antecedente uero, consequens sit falsum, contradictoriũ eius erit uerũ, quod est. b. non est. Sed si. b. non est a. non est per regulas immediate præcedentes. Igitur. a. ẽ. & . a. nõ est, quod implicat cõtradictionẽ.

1.prioru.c.30. 2.prioru.c.11. 12,13,14 *Syllogismus ducens ad impossibile utilis est ad probandum omnes propositiones.* 9

Syllogismus enim iste est multum in usu disputantium

putantium. Et fit hoc modo. Sumitur enim propositio falsa quam uolumus reprobare, quæ hypothesis dicitur quia conceditur, & datur ab aduersario, unde ab eo eam supponimus, & coniungitur ei altera propositio manifeste uera, & ex ijs duabus in aliquo syllogismo concluditur aliqua alia propositio manifeste falsa, uel impossibilis ex cuius postea contradictorio uero cum propositione manifeste uera prius assumpta, conclude contradictorium hypothesis iuxta regulas. 6. & 7. & sic reprobamus, & damnamus hypothesim aduersarij ducentes ipsum ad impossibile. Quia si uult hypothesim esse ueram cogitur ēt concedere contradictorium hypothesis esse uerum, quod est omnino impossibile. Vt si quis dicat ꝙ anima intellectiua est mortalis uel corruptibilis, ego accipiam istam propositionem. Nullum mortale est capax beatitudinis, quæ coniuncta illi hypothesi concludit ꝙ anima intellectiua nō est capax beatitudinis, in quarto primæ figuræ. Sed quia consequens est manifeste falsum, ideo postea assumo eius contradictorium, quod est. Omnis anima intellectiua est capax beatitudinis. Quod si cum ea quam prius assumpsi coniungatur, concludit contradictorium hypothesis in primo secundæ figuræ: Et hoc modo hypothesim destruxi, deducendo respondentem ad concedendum duo contradictoria, quia unum sponte concessit, alterum uero ui argumenti. Et hoc modo argumentandi usi fumus superius in probationibus fere omnium conclusionum.

10 *Si aliquid antecedit ad antecedens, illud idem antece-* Alb. 1.

prioru.c.ult. *dit ad consequens, & si aliquid sequitur ad consequēs etiam sequitur ad antecedens.*

Consequens enim includitur in intellectu antecedentis. Et ideo quicquid includittur in intellectu consequentis quod includitur in antecedente, necesse est etiā ipsum includi in intellectu antecedentis. Et similiter omne antecedens includit consequens. Quicquid ergo includit antecedens etiam includit consequens.

Vbi sup. *Si aliquid stat cum antecedente, illud idem stat cum consequente, & si quid repugnat consequenti, illud idem repugnat antecedenti.* 11

Si enim non stat cum consequente, erit contradictorium consequentis. Ergo nec stabit cum antecedente, quia ex contradictorio cōsequentis infertur contradictorium antecedentis ut dictum est supra. Ideo etiam necesse est ꝙ si repugnat aliquid cōsequenti, ꝙ repugnet antecedenti, quia infert contradictoriū eius per regulam eandem.

2.phi.le.11. *Si antecedens est possibile uel necessarium necesse est consequens esse simile.* 12

Possibile enim potest esse uerum, necessarium autem semper est uerū. Si ergo antecedens esset possibile, & consequens non, ex ueris sequeretur falsum contra regulam. 8. Et si antecedens esset necessarium & consequens possibile cum possibile possit esse falsum, etiam ex uero posset sequi falsum contra eandem regulam.

2.topi.c.9. *Ab inferiori ad suum superius affirmatiue absque signo uniuersali, suppositione materiali uel confusa nō* 13

impe

impediente, est bona argumentatio.

Nam superius includitur in intellectu inferioris, ut si homo est, animal est. Sed cum signo non sequitur, ut omnis homo est risibilis, ergo omne animal est risibile. Aut homo est species, ergo substantia est species. Iste enim terminus species impedit consequentiam quia facit subiectum supponere materialiter.

14 *A superiori autem ad inferius distributiue & uniuersaliter est bona consequentia.* *Vbi sup.*

Nam uniuersale includit particulare. Quando tamen arguitur affirmatiue requiritur quædam suppositio. Non enim ualet omne animal currit. ergo omnis homo currit, nisi supponatur ꝙ omnis homo sit animal. Nā nullo homine existente non ualeret argumentū. a superiori autem ad inferius sine distributione tenet negatiue, ut animal non currit, ergo homo nō currit, uel lapis non est animal, ergo nō est homo cum enim inferius cōtineat superius, negato superiori, negatur inferius.

15 *Ab uniuersali ad particularem est bona consequētia, sed non econuerso. Nō tamen ualet ad singularem nisi fiat suppositio, quod in uniuersali includitur.* *sequitur ex dictis.*

Prima pars patet ex regula præcedenti, & ex 59. primi libri. Secunda etiam patet ex præcedenti. Nō enim sequitur, si omnis homo currit ꝙ Sortes currat nisi supponatur quòd sit homo. Vnde dicitur quòd non ualet nisi cum debito medio.

16 *A particulari ad indefinitam suam, & econuerso est bona consequentia.* *1. phi. le. 11.*

Nam particularis & indefinita parum differunt uel nihil quantum pertinet ad consequentiã.

17 *A particulari uel indefinita ad singulares disiunctiue cum debito medio, est bona consequentia.*

Vt aliquis homo currit, & isti sunt omnes homines, ergo uel iste homo currit uel iste currit, & sic de aliis. Si enim nec iste nec iste currit, omnibus enumeratis, certe nullus curreret, quod est cõtradictorium antecedentis.

4. topi. *Ab uno correlatiuorum ad reliquum in propositionibus de secundo adiacente est bona consequentia.* 18

Vt si pater est, filius est, & econuerso. Voco autem propositiones de secundo adiacente illas in quibus non est aliud prædicatum præter uerbum, & maxime hoc uerbum est. De tertio autẽ illas in quibus est aliud prædicatum præter uerbum. Vt homo est animal. Nam in propositionibus de tertio adiacente non fit bona consequentia semper. Non enim si pater est senex, filius est senex. Ratio autem regulæ est, quia relatiua simul sunt.

Ab uno conuertibili ad reliquum in propositionibus de secundo adiacente est bona consequentia. 19

Vt homo est, ergo risibile est. Et ratio est quia cõuertuntur ad inuicem, ponunt ergo se inuicem.

e. top. *Ab uno disperato affirmato ad aliud negatum est bona consequentia sed non econuerso.* 20

Disparata uoco, quę tantum a se diuersa sunt, nulla contrarietate pugnantia. Vt homo est animal, ergo homo non est lapis. Ratio consequentiæ

tiæ est,quia disparata simul esse non possunt. Nõ tamen econuerso quia ex negatiua non sequitur affirmatiua.

21 *A prædicatis diuisis ad coniunctũ si non sint accidẽtalia & unũ alterũ non includat, est bona cõsequentia.* 2.perih.le.6

Quæ enim in uno substantialiter coniunguntur,etiam inter se possunt cõiungi. Si enim homo est animal,& est rationalis,est ergo animal rationale. Sed non potest hoc semper in accidentibus fieri. Vt si homo sit bonus,& sit citharedus,non propter hoc oportet sequi φ sit bonus citharedus Et similiter si unum includat reliquum. Vnde non sequitur,homo est animal,& est substantia, ergo est animal substãtia quia fieret negatio. Sufficit enim dicere,ergo est enimal. Qui enim dicit animal dicit etiam substantiam.

22 *A prædicato coniuncto ad diuisa,quando non est oppositio in adiecto est bona consequentia.* Vbi sup.l.7.

Oppositionem in adiecto uoco, quando terminus qui alteri additur repugnat illi cui additur. Ratio autem regulæ est, quia cum ambo in unũ coniungantur, & unum non destruat reliquum nihil obstat quin separatim de illo in quo conueniunt possint prædicari,ut si homo est animal rationale, est & animal & est rationalis. Vbi autem est oppositio prædicta nihil sequitur. Non enim si adam est homo mortuus sequitur quod adam sit homo.

23 *Ex affirmatiua de prædicato finito,sequitur negatiua de prædicato infinito seu priuatiuo sed nõ econuerso.* 1.perhie.lec. 2.3.

Vt si homo est iustus sequitur φ homo nõ sit 1.prio.c.44

non iustus uel iniustus. Non enim potest esse ꝙ sit iustus, & quòd etiam sit nõ iustus uel iniustus. Ideo ex contradictorio consequentis infertur contradictorium antecedentis, sed non econuerso, quia ex negatiua non sequitur affirmatiua. Licet quidem etiam econuerso concedant cõsequentiã non irrationabiliter, quia dicũt affirmatiuam de prædicato infinito non esse pure affirmatiuam, & negatiuam similiter non esse pure negatiuam. Sed de his alias.

Vbi sup. *Ex affirmatiuis quoque de prædicato infinito seu priuatiuo sequitur negatiua de prædicato finito, sed nõ econuerso.* 24

Ratio autem est eadem cum præcedenti.

1.priorũ.c. 33 *Si hæ reduplicationes, inquantum uel dum est, uel ut sic, applicentur ad maiorem extremitatem supra medium, fiet bonus syllogismus, aliter non fiet.* 25

Vt omnis homo est animal inquantum homo, sed Sortes est homo, ergo Sortes est animal inquantum homo. Nam syllogismus perfectus est. Si autem applicetur maiori extremitati super eam, uel superflua erit; uel nullum dabit intellectum. Vt si dixero. Omnis homo est animal inquantum animal, potest uno modo intelligi ꝙ omnis homo inquantum animal est animal, & sic superflue dicitur inquantum animal, potest etiã intelligi a parte prædicati tantum, & tunc nullũ habet intellectum saltem cõsuetum. Si autem minori extremitati coniungatur, etiam non fit syllogismus. Non enim sequitur, si omne animal est album, & omnis homo inquãtum homo est animal

mal

mal, quod omnis homo inquantum homo sit albus. Similiter non fit si medio addatur supra medium. Vnde non sequitur. Omne animal inquantum currit mouetur, omnis homo est animal, ergo omnis homo mouetur, nisi forte propter naturarum ordinem, utputa in prædicatis essentialiter ordinatis quando reduplicatio additur medio & minori extremitati, ut animal inquantum animal est substantia, sed homo inquantum homo est animal, ergo homo inquantum homo est substantia. Sed in aliis terminis non ualet.

26 *Ab exclusiua ad eius uniuersalem de terminis transpositis est bonum argumentum, & econuerso.* *Vbi sup.*

Exclusiuam uoco propositionem quæ habet terminum cuius officium est excludere omne aliud ab eo cui applicatur. Vt est hic terminus tantum, uel solum, & similes. Vnde hæc dicitur exclusiua, tantum homo est risibilis. Et si tantum homo est risibilis, etiam omne risibile est homo, & econuerso. Hæ enim propositiones idem significant, sed non eodem modo.

27 *Ab inferiori ad suum superius a parte subiecti, dictione exclusiua addita subiecto, est bona consequentia.* *Vbi sup.*

Si enim tantum homo currit, sequitur quod tantum animal currit. Nam si tantum homo currit, ergo omne currens est homo per regulam præcedentem, omne ergo currens est animal, quia de quocunque prædicatur inferius, & superius quo-

que prędicatur. Si autem omne currẽs eſt animal, ſequitur quod tantum animal currat per regulam præcedẽtem. conſequentia ergo fuit bona.

Ab exceptiua negatiua ad excluſiuã affirmatiuã ſibi correſpondentem eſt bonũ argumentũ et ẽconuerſo. 28

Exceptiuam uoco propoſitionem in qua aliquid affirmatur de aliquo, uel negatur ab eo, alterum ab illa affirmatiuæ uel negatiuæ excipiendo, ut omnis homo præter Sortem eſt ſanus, uel nihil præter ſortem currit. Ex ijs enim duabus, ſequitur & quod ſolus Sortes inter homines non eſt ſanus. & quod ſolus Sortes currit. Nam propoſitiones iſte conuertuntur adinuicem propter unitatem ſignificatorum.

Non eſt curandũ aliquid per diuiſionem ꝓbare. 29

Quia ſyllogiſmus per diuiſiõem eſt infirmus. Quod enim debet probare accipit in principio. Si enim uult quis probare omnem hominem eſſe mortalem aſſumendo, quod omnis homo uel eſt mortalis uel immortalis, ſi ex hoc poſtea concludit propoſitũ, certum eſt quod nõ ſequitur ex diſiunctiua altera pars proprie niſi altera interimatur, ut in ſequenti libro patebit. Si autem interimendo alterã partem aſſumat quod nullus homo eſt immortalis, patet quod aſſumit quod debet probare. Cum enim habeat probare omnem hominem eſſe mortalem, nulli dubium eſt quod ex hoc ẽt habet probare ꝙ nullus eſt immortalis. Si quis tamen concederet diſiunctiuam, & deſtructionẽ alterius partis, non eſt dubiũ ꝙ iſti homini argumentum probaret alteram partem.

Cauendum

30 *Cauendum est maxime, ne nota probare conemur per ignota: & æque nota per æque nota, aut idem per idem.* 1.phy.t.c.1 1.post.t.c.5

Hoc enim est ualde uitiosum, quia probatio fieri debet per notiora, aliter probatio dicẽda non est, sed magis confusio. Intellige aũt per notiora nobis. Nã notiora scd'm naturã probamus p ea q̃ sunt minus nota scd'm naturã, sed tñ magis nota secundum nos. Intellectus enim procedit cognoscendo a sibi notioribus ad ea q̃ sunt minus nota.

31 *Vitanda quoque est prolixitas orationum, & multiplicatio nominum.* 2.priorum c.30.

Quia hęc gñrant magnam confusionẽ, pbatio aũt fit, ut illud q͂ probaẽ manifestetur intellectui, & nõ ut confundaẽ intellectus. Procedere.n. hoc mõ pertinet ad importunitates sophystar͂, & ad eos qui non hñt claram sciẽtiã. Syllogismus.n. ex tribus terminis & duabus ppositionibus q̃ breuius fieri põt cõponi debet. Vnde ẽt frequẽter ex una ppositione cõcludiẽ altera, & tertia in mẽte retinetur, hinc est ẽt q͂ qñ termini sunt distãtes et multę cõsequentię anteq̃ ad ultimũ consequẽs ueniaẽ intermediãt, solent disputãtes a primo ad ultimũ medijs relictis pcedere, ut citius negocium expediaẽ, & ne intellectus qui subito discurrit ppter multa ṽba inuoluaẽ. Q; uis hoc sæpe faciãt ad decipiendũ rñdentem q non põt semp omnia media cognoscere. Et hęc de ptãte faciẽdi syllogismos dicta sufficiãt. Inferius ãt de locis topicis tractabimus ex qbus maiorẽ & magis dearticulatã habebimus ptãtem. Explicit liber sextus. San.tho. opus.45.

Poſtilla in librum ſextum, de poteſtate faciendi ſyllogiſmos.

DEclarata forma ſyllogiſtica tam in ſyllogiſmis de ineſſe quam in modalibus, ut poſsimus illos formare ſecundum quod opus fuerit oportet habere notitiam de poteſtate faciendi illos, quod nihil aliud eſt quam ſcire inuenire medium in qualibet materia, & noſſe uim illatiuam, tam terminorum quam propoſitionum, ideo auctor agit in hoc libro de tali poteſtate, hoc ordine, quia primo docet inuenire medium ad probandum omne genus propoſitionum, ſcilicet affirmatiuam uniuerſalem quæ eſt prima, in prima concluſione, uniuerſalem negatiuam, quæ eſt ſecunda in ſecunda, particularem affirmatiuam quæ eſt tertia in tertia, & particularem negatiuam quæ eſt ultima in quarta, ſubiungens in quinta, regulam generalem ad omnes. Secundo contra negantes ſequelam quæ fit in ſyllogiſmis tradit unam regulam generalem probatiuã ſequelæ, ſcilicet ab oppoſito conſequentis & docet illam dupliciter exerceri, uno modo in ſexta, alio modo in ſeptima, & quia in tali probatione aſſumuntur quandoque falſa ſic exigente tali modo probandi et communiter fit per ſyllogiſmum ad impoſsibile, ideo prædictæ regulæ addit quomodo ex falſis ſequitur quandoq; uerum in octaua, & quomodo fiat ſyllogiſmus ad impoſsibile in nona. Tertio tradit regulas generales ad cognoſcen

gnoſcendam uim illatiuam, in decima, undecima, duodecima, quæ ſumuntur tam ex parte conſequentis, quam ex parte antecedentis. Quarto deſcendit ad ſpeciales regulas, tam in terminis quam in propoſitionibus, & primo quidem in propoſitionibus ſimpliciter a tertiadecima, uſque ad uigeſimam, docens uim illatiuam inter ſupius & inferius, in decimatertia, decimaquarta, inter propoſitiones uniuerſales particulares, indefinitas & ſingulares in decimaquinta, decimaſexta, decimaſeptima, inter correlatiua in decimaoctaua, inter conuertibilia in decimanona, & inter diſparata in uigeſima. Secundo uero in propoſitionibus quæ diuerſificantur per aliquid additum, ſiue illud additum tollat unitatem propoſitionis, ſicut cum arguitur a diuiſis prædicatis ad coniunctum, de quo modo arguendi agit in uigeſimaprima, & a coniuncto ad diuiſa de quo in uigeſimaſecunda, ſiue non tollat unitatem, ſicut cum additur dictio infinitans terminum de qua in uigeſimatertia, uigeſimaquarta, uel reduplicatiua, de qua in uigeſimaquinta, ſiue excluſiua de qua in uigeſimaſexta, uigeſima ſeptima, ſiue exceptiua, de qua in uigeſimaoctaua. Demum pro complemento libri tradit tria documenta, docens in illis quæ uitare debemus in probando aliquam concluſionem, uel non curare in uigeſimanona, trigeſima, trigeſima prima.

DE SYLLOGISMIS HYPOTHETICIS LIBER SEPTIMUS.

1.priorum c.30. Boe li.1. de syl.hypo. *Propositio hypothetica est quæ nec esse nec non esse: sed cum quadam conditione uel disiunctione denunciat.* 1

Vt si dies est, lux est. Non enim cum sic dicitur enunciatur quod dies est, aut quod lux est, sed cum conditione quod lux est, si dies est. Et similiter cum dicitur. Aut animal est ægrũ aut sanum non denuncio ipsum esse sanum, nec ipsum esse ægrum, sed aut esse sanum uel ægrum. Ex quo patet qualiter differt hypothetica, a cathegorica, q̃ in prædicatione & enunciatione consistit.

Vbi sup. *Propositiones hypoteticæ multæ sunt secundum speciem.* 2

Quædam.n. sunt disiunctiuæ, ut aut a. est, aut b. est. Quædam uero conditionales. Et harũ quædam sunt simplices, ut si a. est, b. est. Quædam cõpositæ, & harum quædam componuntur ex duabus cõditionalibus ut si a. est, b. est, si b. est, c. est. Quædam ex una conditionali, mediante hac coniunctione cum. Et harum quædam est ex duabus hypotheticis, uel habentibus uim hypotheticarum, ut si cum est a. est b. est c. est d. Quædam uero ex una hypothetica, & altera cathegorica. Vt si cum est a. est b. est c. Vel si est a. cum est b. est c. Verum quia hæ ultimæ quæ fiunt cum hac condition

ditione cum non sunt in usu, & breuitati studeo & utilitati legentium, illis reiectis de cæteris tractabo. Qui uult autē illas etiam uidere legat Boetium in libro hypotheticorum syllogismorum.

3 *Affirmatio & negatio in conditionalibus iudicatur secundum consequens.* Vbi sup.

Nam si consequens est negatiuum, dicitur negatiua. Si uero consequens est affirmatiuum dicitur affirmatiua secundum Boetium. Ratio autem est, quia tota uis earum est in illatione consequentis.

4 *Cōtradictio quā istæ cōditionales destruūtur, non est per negationē alicuius cathegoricæ ex qua cōponantur, sed per negationem consequentiæ.* Vbi sup.

Vis enim istarum propositionum seu ueritas non est in enunciatione ut dictum est, sed in habitudine & consequentia. Vnde destruuntur per negationem illius consequentiæ, ut si uolo destruere hanc conditionalem. Si est a. est b. non dicam non est a. uel non est b. sed potest esse a. dato quod non sit b.

5 *Syllogismus hypotheticus ergo est qui ex propositionibus hypotheticis est constitutus uel ex una saltem hypothetica.* Vbi sup.

Nam aliquando fit ex una tantum hypothetica, ut cum dicitur. Si est a. est b. sed est a. ergo est b. Primo ergo tractemus de syllogismis hypotheticis qui fiunt ex propositionibus simplicibus cō ditionalibus.

Vbi sup. *Cõditionales simplices quatuor sunt et non plures.* 6

Nam cum componantur ex duabus cathegoricis, aut illæ duæ cathegoricę sunt affirmatiuę, aut negatiuæ, aut prima est affirmatiua & secunda negatiua, aut prima negatiua & secunda affirmatiua. Non possunt autem aliter uariari. Vt si a. est b. est. Si a. non est. b. non est. Si. a. est. b. non est. Si a. non est. b. est. Et prima uocatur antecedens, secunda consequens.

Vbi sup. *Si ex positione antecedentis inferatur cõsequens, perfectus erit syllogismus.* 7

Vt si dicatur. Si a. est b. est. sed a. est, ergo b. est. Cum. n. dicat prima propositio ꝙ si a. est ēt b. est & postea ponat a. esse, manifestum est ꝙ oportet ponere b. esse. Vnde syllogismus per se patet & probatione non indiget. Et in alijs quoq; propositionibus eadem probatio est.

Vbi sup. *Si ex destructione cõsequentis inferatur destructio antecedentis, erit syllogismus, sed imperfectus.* 8

Vt si est b. est a. sed non est a. ergo nõ est b. Imperfectus quidē est iste syllogismus, quia eget demõstratione, & sic probatur. Si. n. posito antecedēte toto non sequitur illud cõsequens, detur eius cõtradictoriũ q̃d est, ē b. Sed iã positũ est ꝙ si est b. est a. ergo op; ponere ēt ꝙ sit a. Hoc aũt est cõtradictorium positi. Fuit. n. positum in antecedēte syllogismi non esse a.

Vbi sup. *Ex positione aũt cõsequẽtis, non sequitur positio antecedentis ex propositionum consequentia.* 9

Non enim sequitur, Si homo est, animal est,

sed

sed animal est,ergo homo est. Potest enim esse animal etiam si non sit homo. Dico autem ex propositionum consequentia,quia aliquando sequitur propter rerum naturam. In propositiõe enim quæ habet primam cathegoricam negatiuam,& secundam affirmatiuam:sequitur ex positione cõsequentis positio antecedentis propter rerum naturam uel sicut alij dicunt, consequentia est bona materialiter,non formaliter, quia talis conditionalis nunquam sit uera nisi in contrarijs immediatis. vt si animal non est sanum,est ægrum. Sed animal est ęgrum,ergo nõ est sanum. Necesse est enim si unum ponitur alterum negari,& si unum negatur alterum poni.

10 *A destructione quoque antecedentis ad destructionem consequentis non fit syllogismus nisi forte propter rerum ordinem.* *Vbi sup.*

Nam non sequitur. Si homo est,animal est.sed homo non est,ergo animal non est. Nam potest esse animal nullo homine existente. Verum in cõtrarijs immediatis in quibus solis fit propositio quæ habet primam negatiuam & secundam affirmatiuam fit syllogismus propter rerum ordinem ut prius dictum est. Si enim animal sanum nõ est, est ægrum. Si ergo sanum est,non est ægrum.

11 *Conditionales compositæ sunt octo tantum.* *Vbi sup.*

Quæ sunt istæ. Si est.a.est.b.si est.b. est.c. Si est.a.est.b.si est.b.non est.c. Si est.a. non est.b.si non est.b.est.c.Si est.a.non est.b.si non est.b.non est.c.Si non est.a.est.b.si est.b.est.c. Si non est.a. est.b.si est.b.non est.c. Si non est. a.non est.b.si

non est.b.est.c.Si non est.a.non est.b.si non est.b non est.c. Patet autem quod non possunt alio modo uariari per negationem & affirmationem.

Vbi sup. Prima fig. *Prima figura est in istis, quando praecedentis conditionalis consequens est antecedens sequentis. Et si arguitur a positione primi antecedentis ad positionem ultimi consequentis syllogismus est perfectus.* 12

Si enim fit syllogismus. Si est.a.est.b.si est.b.est.c.Sed est.a.ergo est.c.Cum enim iam dictum sit esse.b.si erat.a.& esse.c.si erat.b. Et iam positum sit esse.a.manifestum est quod oportet ponere.b esse &.c. Syllogismus enim manifestissimus est. Et hunc ponunt sophistae in his terminis. Quando inquiunt multae fiunt consequentiae, a primo antecedente ad ultimũ consequens si non uarientur cõsequentiae mediae, est bona consequentia.

Vbi sup. *A destructione quoque ultimi consequentis ad destructionẽ primi antecedẽtis procedẽdo fit syllogismus.* 13

Nam si est.a.est.b.si est.b.est.c.sed non est.c.ergo non est.a.si enim sit.a.non existente.c.certum est quod erit.b.quia iam positum est quod si est.a.est.b. Et si est.b.positum est etiam quod est.c.Igitur erit.c. & non erit quod implicat contradictionem. Et eadem ratio est in alijs propositionibus.

Vbi sup. *A destructione tamen primi antecedẽtis ad destructionem ultimi consequentis, uel a positione ultimi consequentis ad positionem primi antecedentis non fit syllogismus.* 14

Nam non sequitur. Si est homo, est animal, si est animal est substantia, sed non est homo. ergo non

non est substantia. Potest.n.substãtia esse sine homine. Et similiter non sequitur. Si est substantia, ergo est homo propter eandẽ causam, nisi forte hoc sit propter rerũ naturã. Vt si dico. Si homo est rationale est, si rationale est risibile est, sed homo non est, ergo risibile non est. Vel ita. Si risibile est, ergo homo est. Nõ enim syllogismus ualet ex ui propositionum, sed ex natura rerum.

15 *Secunda figura est, quando antecedens primæ conditionalis est oppositum antecedenti secundæ. Et si arguatur a destructione consequentis primæ ad positionem consequentis secundæ: est bonus syllogismus.* Boe.li.2.de syl.hypo. Secunda.

Et formatur sic. Si est.a.est.b. si non est.a.est.c. sed non est.b. ergo est.c. Vel sic. Ergo si non est.b est.c. Si enim non est.b. oportet etiam ꝙ non sit a. per regulam tertiam superius positã: sed positũ est ꝙ si nõ est.a.est.c. ergo necesse est dicere: quod si nõ est.b.est.c. Et eadem ratio est in cæteris.

16 *A destructione quoque consequentis secundæ conditionalis sequitur positio consequentis primæ.* Vbi sup.

Nam si est.a.est.b. si non est.a.est.c. sed non est.c. ergo est.b. Quia si non est.c. est.a. per regulam tertiam. Sed si est.a.est.b. ergo ex necessitate: si non est.c.est.b.

17 *Ex positione autem consequentis primæ: non sequitur positio consequentis secundæ. nec econuerso.* Vbi sup.

Nam enim sequitur. Si est animal est substantia: si non est animal: non est hõ: sed est substãtia. ergo nõ ẽ hõ. Poterit.n. esse hõ si ẽ substãtia. Vel sic. Sed non est homo; ergo est substantia. Poterit

enim nihil esse: quòd non est homo: nisi forte ualeat propter rerum ordinem ut sępe dictum est. Similiter non ualeret si antecedentia non essent opposita. Nō enim sequitur. Si est homo est animal: si est homo est risibile: sed non est animal: ergo est risibile. Vel ita. Sed non est risibile: ergo est animal. Nullo enim modo fit syllogismus.

Vbi sup. *Tertia figura est: quando consequens primæ conditionalis est oppositum consequenti secundæ, & ex positione antecedentis primæ sequitur contradictorium antecedentis secundæ. Et similiter ex positione antecedentis secundæ, sequitur contradictorium antecedentis primæ.* 18

Et sic formatur syllogismus. Si est.b.est.a. si est.c.non est.a. sed est.b. ergo nō est.c. Si enim est b. etiam est.a. per positum: sed si est.a. nō est.c. per tertiam regulā: ergo ex necessitate sequitur si est b. q non sit.c. Vel sic. Sed est.c. ergo non est.b. quia si est.c. non est.a. per positum: si autem non est.a. non est.b. per tertiam regulam. Ergo necessitate si est.c. non est.b.

Vbi sup. *A destructione autem antecedentis cuiusuis conditionalis compositæ, & similiter a positione consequentis nihil sequitur ex ui propositionum.* 19

Si enim fiat ista propositio. Si homo est, animal est: si lignum est animal nō est: ex destructione illius primi antecedentis non sequitur positio secundi: nec etiam destructio. Nec ex destructione secundi sequitur destructio uel positio primi. Similiter nec in aliqua cōditionali composita ex positione primi consequentis sequitur positio secundi

cundi:nec ex positiõe secundi sequitur positio primi: nisi in alijs terminis fiat propter rerũ ordinẽ.

20 *Disiunctiuæ sunt quatuor & non plures.*

Nam aut ambæ cathegoricæ sunt affirmatiuę. Aut ambæ negatiuæ. Aut prima est affirmatiua: & secunda negatiua. Aut prima negatiua & secũda affirmatiua. Alio autem modo non uariantur. Vt aut est.a.aut est.b. Aut non est.a.aut non est b. Aut est.a.aut non est.b. Aut non est.a. aut ẽ.b.

21 *In ea quæ est tota affirmatiua fit syllogismus a destructione unius partis ad positionem alterius, & a positione unius ad destructionem alterius.* *Primus modus* *Vbi sup.*

Hæc enim solum uera est in his in quibus necesse est alterum esse idest in contrarijs medio carentibus quorum necesse est alterum esse si unum non fuerit:& si unum fuerit necesse est alterũ non esse. Fit ergo syllogismus sic. Aut est.a.aut est.b. sed non est.a.ergo est.b. Vel sed est.a.ergo nõ est b. Vel sed non est.b.ergo est.a. Si enim necesse est a.uel.b.esse,& non possunt simul esse: necesse est posito uno alterum destrui: & destructo uno alterum poni. Hæc enim disiunctiua in alijs terminis non uerificatur. Nam non uere dicitur quòd animal:aut est album: aut nigrum: sed quòd est: uel sanum uel ægrum.

22 *In ea uero quæ est tota negatiua fit syllogismus a destructione unius partis ad positionem alterius, non tamen a positione ad destructionem.* *Vbi sup.*

Hæc enim propositio uerificatur in his quæ simul esse non possunt quamuis non sit necessariũ alterum eorum esse. Vt cum dico. Aut non est

non iuſtus uel iniuſtus. Non enim poteſt eſſe ꝙ ſit iuſtus, & quòd etiam ſit nõ iuſtus uel iniuſtus. Ideo ex contradictorio conſequentis infertur contradictorium antecedentis, ſed non econuerſo, quia ex negatiua non ſequitur affirmatiua. Licet quidem etiam econuerſo concedant cõſequentiã non irrationabiliter, quia dicũt affirmatiuam de prædicato infinito non eſſe pure affirmatiuam, & negatiuam ſimiliter non eſſe pure negatiuam. Sed de his alias.

Vbi ſup. *Ex affirmatiuis quoque de prædicato infinito ſeu priuatiuo ſequitur negatiua de prædicato finito, ſed nõ econuerſo.* 24

Ratio autem eſt eadem cum præcedenti.

1.priorũ.c. 33 *Si hæ reduplicationes, inquantum uel dum eſt, uel ut ſic, applicentur ad maiorem extremitatem ſupra medium, fiet bonus ſyllogiſmus, aliter non fiet.* 25

Vt omnis homo eſt animal inquantum homo, ſed Sortes eſt homo, ergo Sortes eſt animal inquantum homo. Nam ſyllogiſmus perfectus eſt. Si autem applicetur maiori extremitati ſuper eam, uel ſuperflua erit, uel nullum dabit intellectum. Vt ſi dixero: Omnis homo eſt animal inquantum animal, poteſt uno modo intelligi ꝙ omnis homo inquantum animal eſt animal, & ſic ſuperflue dicitur inquantum animal, poteſt etiã intelligi a parte prædicati tantum, & tunc nullũ habet intellectum ſaltem cõſuetum. Si autem minori extremitati coniungatur, etiam non ſit ſyllogiſmus. Non enim ſequitur, ſi omne animal eſt album, & omnis homo inquãtum homo eſt animal

mal, quod omnis homo inquantum homo sit albus. Similiter non fit si medio addatur supra medium. Vnde non sequitur. Omne animal inquantum currit mouetur, omnis homo est animal, ergo omnis homo mouetur, nisi forte propter naturarum ordinem, utputa in prædicatis essentialiter ordinatis quando reduplicatio additur medio & minori extremitati, ut animal inquantum animal est substantia, sed homo inquantum homo est animal, ergo homo inquantum homo est substantia. Sed in alijs terminis non ualet.

26 *Ab exclusiua ad eius uniuersalem de terminis transpositis est bonum argumentum, & econuerso.* Vbi sup.

Exclusiuam uoco propositionem quæ habet terminum cuius officium est excludere omne aliud ab eo cui applicatur. Vt est hic terminus tantum, uel solum, & similes. Vnde hæc dicitur exclusiua, tantum homo est risibilis. Et si tantum homo est risibilis, etiam omne risibile est homo, & econuerso. Hæ enim propositiones idem significant, sed non eodem modo.

27 *Ab inferiori ad suum superius a parte subiecti, dictione exclusiua addita subiecto, est bona consequentia.* Vbi sup.

Si enim tantum homo currit, sequitur quod tantum animal currit. Nam si tantum homo currit, ergo omne currens est homo per regulam præcedentem, omne ergo currens est animal, quia de quocunque prædicatur inferius, & superius quoque

que prędicatur. Si autem omne currẽs est animal, sequitur quod tantum animal currat per regulam præcedẽtem. consequentia ergo fuit bona.

Ab excæptiua negatiua ad exclusiuã affirmatiuã sibi correspondentem est bonũ argumentũ et econuerso. 28

Excæptiuam uoco propositionem in qua aliquid affirmatur de aliquo, uel negatur ab eo, alterum ab illa affrmatiuæ uel negatiuæ excipiendo, ut omnis homo præter Sortem est sanus, uel nihil præter sortem currit. Ex ijs enim duabus, sequitur & quod solus Sortes inter homines non est sanus. & quod solus Sortes currit. Nam propositiones istę conuertuntur adinuicem propter unitatem significatorum.

Non est curandũ aliquid per diuisionem ꝓbare. 29

Quia syllogismus per diuisiõem est infirmus. Quod enim debet probare accipit in principio. Si enim uult quis probare omnem hominem esse mortalem assumendo, quod omnis homo uel est mortalis uel immortalis, si ex hoc postea concludit propositũ, certum est quod nõ sequitur ex disiunctiua altera pars proprie nisi altera interimatur, ut in sequenti libro patebit. Si autem interimendo alterã partem assumat quod nullus homo est immortalis, patet quod assumit quod debet probare. Cum enim habeat probare omnem hominem esse mortalem, nulli dubium est quod ex hoc ẽt habet probare ꝙ nullus est immortalis. Si quis tamen concederet disiunctiuam, & destructionẽ alterius partis, non est dubiũ ꝙ isti homini argumentum probaret alteram partem.

30 *Cauendum est maxime, ne nota probare conemur per ignota: & æque nota per æque nota, aut idem per idem.* 1.phy.t.c.1 1.post.t.c.5

Hoc enim est ualde uitiosum, quia probatio fieri debet per notiora, aliter probatio dicēda non est, sed magis confusio. Intellige aūt per notiora nobis. Nā notiora scdm naturā probamus p ea q̄ sunt minus nota scdm naturā, sed tn̄ magis nota secundum nos. Intellectus enim procedit cognoscendo a sibi notioribus ad ea q̄ sunt minus nota.

31 *Vitanda quoque est prolixitas orationum, & multiplicatio nominum.* 2. priorum c.30.

Quia hęc gn̄rant magnam confusionē, pbatio aūt fit, ut illud q probatē manifestetur intellectui, & nō ut confundatē intellectus. Procedere.n. hoc mō pertinet ad importunitates sophystarū, & ad eos qui non hn̄t claram sciētiā. Syllogismus.n. ex tribus terminis & duabus ppositionibus q̄ breuius fieri pōt cōponi debet. Vnde ēt frequēter ex una ppositione cōcluditē altera, & tertia in mēte retinetur, hinc est ēt q qn̄ termini sunt distātes et multę cōsequentię anteq̄ ad ultimū consequēs ueniatē intermediāt, solent disputātes a primo ad ultimū medijs relictis pcedere, ut citius negocium expediatē, & ne intellectus qui subito discurrit pp̄ter multa ūba inuoluatē. Quis hoc sæpe faciāt ad decipiendū rñdentem q non pōt semp omnia media cognoscere. Et hęc de ptāte faciēdi syllogismos dicta sufficiāt. Inferius āt de locis topicis tractabimus ex q̄bus maiorē & magis dearticulatā habebimus ptātem. Explicit liber sextus. San.tho. opus.45.

Postilla in librum sextum, de potestate faciendi syllogismos.

DEclarata forma syllogistica tam in syllogismis de inesse quam in modalibus, ut possimus illos formare secundum quod opus fuerit oportet habere notitiam de potestate faciendi illos, quod nihil aliud est quam scire inuenire medium in qualibet materia, & nosse uim illatiuam, tam terminorum quam propositionum, ideo auctor agit in hoc libro de tali potestate, hoc ordine, quia primo docet inuenire medium ad probandum omne genus propositionum, scilicet affirmatiuam uniuersalem quæ est prima, in prima conclusione, uniuersalem negatiuam, quæ est secunda in secunda, particularem affirmatiuam quæ est tertia in tertia, & particularem negatiuam quæ est ultima in quarta, subiungens in quinta, regulam generalem ad omnes. Secundo contra negantes sequelam quæ fit in syllogismis tradit unam regulam generalem probatiuã sequelæ, scilicet ab opposito consequentis & docet illam dupliciter exerceri, uno modo in sexta, alio modo in septima, & quia in tali probatione assumuntur quandoque falsa sic exigente tali modo probandi et communiter fit per syllogismum ad impossibile, ideo prædictæ regulæ addit quomodo ex falsis sequitur quandoqꝫ uerum in octaua, & quomodo fiat syllogismus ad impossibile in nona. Tertio tradit regulas generales ad cognoscen

gnoſcendam uim illatiuam, in decima, undecima, duodecima, quæ ſumuntur tam ex parte conſequentis, quam ex parte antecedentis. Quarto deſcendit ad ſpeciales regulas, tam in terminis quam in propoſitionibus, & primo quidem in propoſitionibus ſimpliciter a tertiadecima, uſque ad uigeſimam, docens uim illatiuam inter ſupius & inferius, in decimatertia, decimaquarta, inter propoſitiones uniuerſales particulares, indefinitas & ſingulares in decimaquinta, decimaſexta, decimaſeptima, inter correlatiua in decimaoctaua, inter conuertibilia in decimanona, & inter diſparata in uigeſima. Secundo uero in propoſitionibus quæ diuerſificantur per aliquid additum, ſiue illud additum tollat unitatem propoſitionis, ſicut cum arguitur a diuiſis prædicatis ad coniunctum, de quo modo arguendi agit in uigeſimaprima, & a coniuncto ad diuiſa de quo in uigeſimaſecunda, ſiue non tollat unitatem, ſicut cum additur dictio infinitans terminum de qua in uigeſimatertia, uigeſimaquarta, uel reduplicatiua, de qua in uigeſimaquinta, ſiue excluſiua de qua in uigeſimaſexta, uigeſima ſeptima, ſiue exceptiua, de qua in uigeſimaoctaua. Demum pro complemento libri tradit tria documenta, docens in illis quæ uitare debemus in probando aliquam concluſionem, uel non curare in uigeſimanona, trigeſima, trigeſima prima.

ditione cum non sunt in usu, & breuitati studeo & utilitati legentium, illis reiectis de cæteris tractabo. Qui uult autẽ illas etiam uidere legat Boetium in libro hypotheticorum syllogismorum.

3 *Affirmatio & negatio in conditionalibus iudicatur secundum consequens.* Vbi sup.

Nam si consequens est negatiuum, dicitur negatiua. Si uero consequens est affirmatiuum dicitur affirmatiua secundum Boetium. Ratio autem est, quia tota uis earum est in illatione consequentis.

4 *Cõtradictio qua istæ cõditionales destruũtur, non est per negationẽ alicuius cathegoricæ ex qua cõponantur, sed per negationem consequentiæ.* Vbi sup.

Vis enim istarum propositionum seu ueritas non est in enunciatione ut dictum est, sed in habitudine & consequentia. Vnde destruuntur per negationem illius consequentiæ, ut si uolo destruere hanc conditionalem. Si est a. est b. non dicam non est a. uel non est b. sed potest esse a. dato quod non sit b.

5 *Syllogismus hypotheticus ergo est qui ex propositionibus hypotheticis est constitutus uel ex una saltem hypothetica.* Vbi sup.

Nam aliquando fit ex una tantum hypothetica, ut cum dicitur. Si est a. est b. sed est a. ergo est b. Primo ergo tractemus de syllogismis hypotheticis qui fiunt ex propositionibus simplicibus cõditionalibus.

Vbi sup. *Cōditionales simplices quatuor sunt et non plures.* 6

Nam cum componantur ex duabus cathegoricis, aut illæ duæ cathegoricę sunt affirmatiuę, aut negatiuæ, aut prima est affirmatiua & secunda negatiua, aut prima negatiua & secunda affirmatiua. Non possunt autem aliter uariari. Vt si a. est b. est. Si a. non est. b. non est. Si. a. est. b. non est. Si a. non est. b. est. Et prima uocatur antecedens, secunda consequens.

Vbi sup. *Si ex positione antecedentis inferatur cōsequens, perfectus erit syllogismus.* 7

Vt si dicatur. Si a. est b. est. sed a. est, ergo b. est. Cum. n. dicat prima propositio ꝙ si a. est ēt b. est & postea ponat a. esse, manifestum est ꝙ oportet ponere b. esse. Vnde syllogismus per se patet & probatione non indiget. Et in alijs quoqꝫ propositionibus eadem probatio est.

Vbi sup. *Si ex destructione cōsequentis inferatur destructio antecedentis, erit syllogismus, sed imperfectus.* 8

Vt si est b. est a. sed non est a. ergo nō est b. Imperfectus quidē est iste syllogismus, quia eget demōstratione, & sic probatur. Si. n. posito antecedēte toto non sequitur illud cōsequens, detur eius cōtradictoriū q̃d est, ē b. Sed iā positū est ꝙ si est b. est a. ergo opꝫ ponere ēt ꝙ sit a. Hoc aūt est cōtradictorium positi. Fuit. n. positum in antecedēte syllogismi non esse a.

Vbi sup. *Ex positione aūt cōsequētis, non sequitur positio antecedentis ex propositionum consequentia.* 9

Non enim sequitur, Si homo est, animal est,

sed animal est, ergo homo est. Potest enim esse animal etiam si non sit homo. Dico autem ex propositionum consequentia, quia aliquando sequitur propter rerum naturam. In propositiōe enim quæ habet primam cathegoricam negatiuam, & secundam affirmatiuam: sequitur ex positione cōsequentis positio antecedentis propter rerum naturam uel sicut alij dicunt, consequentia est bona materialiter, non formaliter, quia talis conditionalis nunquam fit uera nisi in contrarijs immediatis. Vt si animal non est sanum, est ægrum. Sed animal est ęgrum, ergo nō est sanum. Necesse est enim si unum ponitur alterum negari, & si unum negatur alterum poni.

10 *A destructione quoque antecedentis ad destructionem consequentis non fit syllogismus nisi forte propter rerum ordinem.* Vbi sup.

Nam non sequitur. Si homo est, animal est. sed homo non est, ergo animal non est. Nam potest esse animal nullo homine existente. Verum in cōtrarijs immediatis in quibus solis fit propositio quæ habet primam negatiuam & secundam affirmatiuam fit syllogismus propter rerum ordinem ut prius dictum est. Si enim animal sanum nō est, est ægrum. Si ergo sanum est, non est ægrum.

11 *Conditionales compositæ sunt octo tantum.* Vbi sup.

Quæ sunt istæ. Si est.a.est.b.si est.b. est.c. Si est.a.est.b.si est.b.non est.c. Si est.a. non est.b.si non est.b.est.c.Si est.a.non est.b.si non est.b.non est.c.Si non est.a.est.b. si est.b.est.c. Si non est.a. est,b.si est,b,non est,c. Si non est. a.non est.b.si

non est.b.est.c. Si non est.a.non est.b.si non est.b non est.c. Patet autem ꝙ non possunt alio modo uariari per negationem & affirmationem.

Vbi sup. *Prima figura est in istis, quando praecedentis condi-* 12
Prima fig. *tionalis consequens est antecedens sequentis. Et si arguitur a positione primi antecedentis ad positionem ultimi consequentis syllogismus est perfectus.*

Si enim sit syllogismus. Si est.a.est.b.si est.b. est.c. Sed est.a.ergo est.c. Cum enim iam dictum sit esse.b.si erat.a. & esse.c. si erat.b. Et iam positum sit esse.a.manifestum est ꝙ oportet ponere.b esse & .c. Syllogismus enim manifestissimus est. Et hunc ponunt sophistae in his terminis. Quando inquiunt multae fiunt consequentiae, a primo antecedente ad ultimũ consequens si non uarientur cõsequentiae mediae, est bona consequentia.

A destructione quoq; ultimi consequentis ad destru- 13
Vbi sup. *ctionẽ primi antecedẽtis procedẽdo fit syllogismus.*

Nam si est.a.est.b.si est.b.est.c.sed non est.c.ergo non est.a.si enim sit.a.non existente.c.certum est ꝙ erit.b.quia iam positum est ꝙ si est.a.est.b. Et si est.b.positum est etiam ꝙ est.c.Igitur erit.c. & non erit quod implicat contradictionem. Et eadem ratio est in aliis propositionibus.

Vbi sup. *A destructione tamen primi antecedẽtis ad destructio* 14
nem ultimi consequentis, uel a positione ultimi consequentis ad positionem primi antecedentis non fit syllogismus.

Nam non sequitur. Si est homo, est animal, si est animal est substantia, sed non est homo. ergo

non

non est substantia. Potest.n.substãtia esse sine homine. Et similiter non sequitur. Si est substantia, ergo est homo propter eandẽ causam, nisi forte hoc sit propter rerũ naturã. Vt si dico. Si homo est rationale est, si rationale est risibile est, sed homo non est, ergo risibile non est. Vel ita. Si risibile est, ergo homo est. Nõ enim syllogismus ualet ex ui propositionum, sed ex natura rerum.

15 *Secunda figura est, quando antecedens primæ conditionalis est oppositum antecedenti secundæ. Et si arguatur a destructione consequentis primæ ad positionem consequentis secundæ: est bonus syllogismus.* Boe.li.2.de syl.hypo. Secunda.

Et formatur sic. Si est.a.est.b. si non est.a.est.c. sed non est.b. ergo est.c. Vel sic. Ergo si non est.b est.c. Si enim non est. b. oportet etiam ꝙ non sit a. per regulam tertiam superius positã: sed positũ est ꝙ si nõ est.a.est.c. ergo necesse est dicere: quod si nõ est.b.est.c. Et eadem ratio est in cæteris.

16 *A destructione quoque consequentis secundæ conditionalis sequitur positio consequentis primæ.* Vbi sup.

Nam si est.a.est.b. si non est.a.est.c. sed non est.c. ergo est.b. Quia si non est.c.est.a. per regulam tertiam. Sed si est.a.est.b. ergo ex necessitate: si non est.c.est.b.

17 *Ex positione autem consequentis primæ: non sequitur positio consequentis secundæ. nec econuerso.* Vbi sup.

Nam enim sequitur. Si est animal est substantia: si non est animal: non est hõ: sed est substãtia. ergo nõ ẽ hõ. Poterit.n.esse hõ si ẽ substãtia. Vel sic. Sed non est homo; ergo est substantia. Poterit

enim nihil eſſe: quòd non eſt homo: niſi forte ualeat propter rerum ordinem ut ſępe dictum eſt. Similiter non ualeret ſi antecedentia non eſſent oppoſita. Nõ enim ſequitur. Si eſt homo eſt animal: ſi eſt homo eſt riſibile: ſed non eſt animal: ergo eſt riſibile. Vel ita. Sed non eſt riſibile: ergo eſt animal. Nullo enim modo fit ſyllogiſmus.

Vbi ſup. *Tertia figura eſt: quando conſequens primæ conditionalis eſt oppoſitum conſequenti ſecundæ, & ex poſitione antecedentis primæ ſequitur contradictorium antecedentis ſecundæ. Et ſimiliter ex poſitione antecedentis ſecundæ, ſequitur contradictorium antecedentis primæ.* 18

Et ſic formatur ſyllogiſmus. Si eſt.b. eſt.a. ſi eſt.c. non eſt.a. ſed eſt.b. ergo nõ eſt.c. Si enim eſt b. etiam eſt.a. per poſitum: ſed ſi eſt.a. nõ eſt.c. per tertiam regulã: ergo ex neceſſitate ſequitur ſi eſt b. ꝙ non ſit.c. Vel ſic. Sed eſt.c. ergo non eſt.b. quia ſi eſt.c. non eſt.a. per poſitum: ſi autem non eſt.a. non eſt.b. per tertiam regulam. Ergo neceſſitate ſi eſt.c. non eſt.b.

Vbi ſup. *A destructione autem antecedentis cuiuſuis conditionalis compoſitæ, & ſimiliter a poſitione conſequentis nihil ſequitur ex ui propoſitionum.* 19

Si enim fiat iſta propoſitio. Si homo eſt, animal eſt: ſi lignum eſt animal nõ eſt: ex deſtructione illius primi antecedentis non ſequitur poſitio ſecundi: nec etiam deſtructio. Nec ex deſtructione ſecundi ſequitur deſtructio uel poſitio primi. Similiter nec in aliqua cõditionali compoſita ex poſitione primi conſequentis ſequitur poſitio ſecundi

cundi: nec ex positiõe secundi sequitur positio primi: nisi in alijs terminis fiat propter rerũ ordinẽ.

20 *Disiunctiuæ sunt quatuor & non plures.*

Nam aut ambæ cathegoricæ sunt affirmatiuæ. Aut ambæ negatiuæ. Aut prima est affirmatiua: & secunda negatiua. Aut prima negatiua & secũda affirmatiua. Alio autem modo non uariantur. Vt aut est.a.aut est.b. Aut non est.a.aut non est b. Aut est.a.aut non est.b. Aut non est.a. aut ẽ.b.

21 *In ea quæ est tota affirmatiua fit syllogismus a destructione unius partis ad positionem alterius, & a positione unius ad destructionem alterius.* *Primus modus* *Vbi sup.*

Hæc enim solum uera est in his in quibus necesse est alterum esse idest in contrarijs medio carentibus quorum necesse est alterum esse si unum non fuerit: & si unum fuerit necesse est alterũ non esse. Fit ergo syllogismus sic. Aut est.a.aut est.b. sed non est.a.ergo est.b. Vel sed est.a.ergo nõ est b. Vel sed non est.b.ergo est.a. Si enim necesse est a.uel.b.esse, & non possunt simul esse: necesse est posito uno alterum destrui: & destructo uno alterum poni. Hæc enim disiunctiua in alijs terminis non uerificatur. Nam non uere dicitur quòd animal: aut est album: aut nigrum: sed quòd est: uel sanum uel ægrum.

22 *In ea uero quæ est tota negatiua fit syllogismus a destructione unius partis ad positionem alterius, non tamen a positione ad destructionem.* *Vbi sup.*

Hæc enim propositio uerificatur in his quæ simul esse non possunt quamuis non sit necessariũ alterum eorum esse. Vt cum dico. Aut non est

albū, aut nō est nigrū. Non. n. uerificaretur inter ea quæ simul esse possunt, non enim ueræ dicitur de aliquo, q aut non est albus, aut non est crispus potest. n. utrunq; esse. Fit ergo hoc modo syllogismus. Aut non est. a. aut nō est. b. sed est. a. ergo nō est. b. Vel sed est. b. ergo nō est. a. Cum. n. simul esse non possint, palam est q posito uno alterum necesse est negari. Non tamen ualet, sed non est. a. ergo est. b. Vel sed non est. b. ergo est. a. Quia & si simul esse non possint, non tamen necesse est alterum semper esse. Nam in ijs dictum est propositionem uerificari. Vnde non sequitur. Aut nō est niger, aut non est albus, sed nō est albus, ergo est niger. Vel sed non est niger, ergo est albus, potest enim esse rubeus nec albus, nec niger.

Vbi sup. *In ea uero quæ tantum habet secundam partem negatiuam fit syllogismus a destructione unius ad positionem alterius, non tamen econuerso.* 23

Tertius. Hæc enim uerificatur, in ijs quæ sibimet adhærent. quorum tamen unum est superius ad alterū, sicut genus, & species, & indiuiduū, & superius affirmatur negato inferiori. Vt cum dico. Aut est animal, aut non est homo. Et sic formatur syllogismus. Aut est. a. aut non est. b. sed non est. a. ergo non est. b. Vel sed est. b. ergo est. a. Negato enim superiori, necesse est & inferius negare, & posito inferiori necesse est ponere superius, ut patet in. 13. &. 14. regula superioris libri. 6. A. autē ponitur esse superius ad. b. Non tamen ualet econuerso. Quia posito superiori non necesse est ponere inferius uel ipsum negare. Et similiter negato

inferiori

inferiori non oportet negare uel ponere superius. Vnde non sequitur. Aut est animal, aut nō est homo, sed est enimal, ergo est uel nō est hō. Vel sed non est homo, ergo est uel non est animal.

24 *In ea etiam quæ habet primam partem negatiuam fit syllogismus eodem modo penitus sicut in præcedenti.* *Vbi sup.*

Hæc enim uerificatur in ijs quæ sibi adhærent, & unum est inferius ad alterum, & negatur inferius in prima parte, & non differt a præcedenti, nisi quia hic præponitur negatio illic uero affirmatio. Sed hoc nihil uariat syllogismum. Nam et hic quoque fit syllogismus a destructione unius partis ad positionem alterius, nō tamen econuerso. Et ratio huius est penitus eadem cum priore. *Quartus*

25 *A copulatiua propositione nullus fit syllogismus hypotheticus.* *Vbi sup.*

Nam non est hæc dicenda hypothetica propositio, cum manifeste denunciet esse uel non esse sicut & cathegoricæ, quod nunquam faciūt hypotheticæ, ut patet in diffinitione earum superius in principio posita. Aliter ridiculus erit syllogismus. Quis enim nesciat ꝙ si Sortes disputat, & Sortes sedet, ꝙ etiā Sortes disputat. Potuit enim breuius dici sine copula. Sortes disputat ergo Sortes disputat. Sed quisquis hoc modo argumentatus fuerit, deridendus erit. Vnde nec Boetius de huiusmodi syllogismis uel propositionibus facit mentionem. Non enim proprie est una propositio, sed multæ congregatæ, cuius signum est, quia nullum alium penitus sensum ha-

bent præter illum quem habent cathegoricæ, con iunctæ. Sed hypotheticæ longe diuersum habent sensum a cathegoricis cum etiam aliquando hypothetica sit uera, cuius tamen cathegoricæ sunt impossibiles, ut cum dicitur si homo est asinus, homo est rudibilis, quia ueritas hypotheticę non est in denunciatione sed in coniunctione uel disiũctione ut dictum est. De syllogismis ergo hypotheticis dicta sufficiant.

Explicit liber septimus.

Postilla in librum septimum qui est de syllogismis hypotheticis.

Sicut fiunt syllogismi ex propositionibus de inesse, & ex propositionibus modalibus, ita etiam ex hypotheticis, ideo auctor post prædictos, interposito libro de potestate faciendi syllogismos, agit de hypotheticis, primo quidem declarando in communi quid sit, secundo in speciali quomodo fiat. Quo ad primum, quia fit ex propositionibus hypotheticis, pręmittit quid sit propositio hypothetica in. 1. conclusione, quotuplex secundum speciem in. 2. quomodo diuersificatur per affirmationem & negationem in. 3. quomodo debent destrui in. 4. subiungens in. 5. quid sit syllogismus hypotheticus. Quo ad secundũ, quia

propositiones

propositiones hypotheticæ ex quibus fit hic syllogismus sunt in duplici differentia, scilicet conditionales & disiunctiuæ, ostendit prius quomodo fit in conditionalibus, & postea in disiunctiuis. Et quia conditionales distinguũtur per simplices & compositas incipit a simplicibus, et pręmisso quod sunt in sexta, ostendit quomodo in illis fiat syllogismus tam ex parte antecedentis in septima, quam ex parte consequentis in octaua, & quomõ non fiat, ex parte consequentis in nona, & ex parte antecedentis in decima, procedens postea ad compositos, & ostenso quot sunt in undecima, declarat quomodo fit syllogismus in illis, & quomodo non fit secundum tres figuras, manifestans primam in duodecima, decimatertia, decimaquarta, secundam in decimaquinta, decimasexta, decimaseptima, tertiam uero, in decimaoctaua, decimanona. Quo ad propositiones autem disiunctiuas præmisso quod sunt in uigesima, ostendit quomodo fiat in illis syllogismus, tam in puris affirmatiuis aut puris negatiuis in uigesimaprima, uigesimasecunda, quam in mixtis ex affirmatione & negatione in uigesimatertia uigesimaquarta. Et ne uideretur diminutus omittens tam propositiones copulatiuas quam syllogismum ex illis, ostendit in uigesimaquinta, quod tales propositiones nõ sunt hypotheticę, quodque ex illis nullus fit syllogismus hypotheticus,

DE SYLLOGISMO DEMONSTRATIVO LIBER OCTAVVS.

1.post.t.c.6 *Scientia est certa cognitio.* 1

Certam autem cognitionem dico illam per quam aliquis habet rei cognitæ claram euidentiam & illi firmiter adhæret. Manifestum est enim quod nō dicitur aliquis scire rē aliq̄ nisi ei clare pateat, & firmiter absq; formidine de falsitate contrarij illi adhæreat, sed magis diceretur opinari, uel sic æstimare, uel suspicari. Scientia igitur certam nominat cognitionem.

Vbi sup. *Scire multipliciter dicitur.* 2

Aliquando dicimur scire ea de quibus certitudinem habemus solum per sensum, ut cum uideo sortem currere, scio sortem currere. Aliquando autem certi sumus de aliquo uel per longam experientiam, quo modo cognoscimus moralia & medicinalia, uel per inductionem & cōsuetudinem, & hęc quoque scire dicimur. Aliquando dicimur scire ea de quibus certitudinem habemus per intellectū, quia per se absq; ulla ratione sunt euidentia intellectui, ita quod non potest intellectus credere contrarium. Et hæc sunt prima scientiarum principia q̄ statim cognitis terminis cognoscuntur. Si quis.n. cognoscit quid sit totū & quid pars non potest dubitare quin omne totum sit maius sua parte. Aliquādo ea de quibus sumus certi per aliquam rationem dicimur scire, & si sunt contingentia

gentia, non poteſt eorum tanta eſſe certitudo & ſtabilitas ueritatis quanta eſt neceſſariorum. Et ideo ꝓprie de neceſſarijs de quibus cognoſcimus cauſam, dicimur habere ſcientiam. De neceſſarijs enim de quibus habemus ſine ratione euidētiam, habemus nobiliorem habitum quam ſcientiæ habitus exiſtat. Nam habitus eorum dicitur intellectus, quia abſque ratiocinatione intellectus ea apprehendit. Scire ergo proprie opinamur cum rei cauſam cognoſcimus, & quoniam illius eſt cā & quod impoſsibile eſt aliter ſe habere, quin poſita illa cauſa ponatur talis effectus. Et de hoc ſcire, & de hac ſcientia intendimus in hoc lib. Nam & ſi cognoſcimus cauſam per effectum iſtud tamen ſcire non eſt ita proprium.

3 *Scire propter quid, differt a ſcire quia.* *San.th.pria ſecunda ſecundæ.*

Quia ſcire propter quid, eſt ſcire per cauſam, et proximam, et immediatam. Scire autem quia eſt ſcire per effectum quia ita eſt, uel per cauſam remotā. Si enim quis interroget propter quid pluit, & quis reſpondeat, quia Deus uult, non proprie dicimus ꝙ iſte ſciat propter quid pluit, quia nondum ſit cauſam proximam. *1.poſt.1. c.30.42.*

4 *Syllogiſmus demonſtratiuus ſeu demonſtratio, eſt ſyllogiſmus faciens ſcire.* *1.poſt.t.c.5*

Hic.n. ſyllogiſmus eſt inſtrumentum ſcientiarum. Vbi aduerte ꝙ in omni propoſitione, ſi prędicatum in quid aut in quale ſubſtantiale prædicat de ſubiecto, ut genus, ſpēs, & differētia de ſuis ſubiectis, talis ꝓpoſitio nō pōt per aliq̄ cām probari, quia nulla poteſt aſsignari cā ueritatis eius.

Verbi gratia de homine quare ſit animal, uel rationale, uel ſimul animal rationale, quia per ſeipſum & per propriam eſſentiam eſt animal rationale. Unde huiuſmodi propoſitiones ſunt per ſe notæ. Si autem prædicatum prædicetur in quale accidentaliter, aut erit accidens commune, & tũc de illa propoſitione non poteſt haberi ſciẽtia proprie propter mobilitatẽ accidentis & incertitudinem cauſarum eius. Aut erit accidens proprium, quod omni & ſoli, & ſemper ineſt, & de hoc poteſt haberi proprie ſcientia per cauſam quæ non eſt aliud quam eſſentia ſubiecti. Nam proprium fluit ab eſſentia rei cuius eſt proprium. De tali ergo propoſitione in qua proprium de ſubiecto prędicatur habetur ſcientia, quam generat ſyllogiſmus demõſtratiuus. Facit enim cognoſcere proprietates rerum per propriam cauſam quæ eſt eſſentia uel diffinitio rei, de qua ſcientia nunc loquimur, quæ ſola proprie dicitur ſcientia, & demonſtratio proprie dicta hanc generat.

Vbi ſ.t.c.1. *Omnis doctrina & omnis diſciplina intellectiua, ex præexiſtenti fit cognitione.* 5

Primum quidem omnis cognitio intellectiua fit p̃exiſtẽti cognitiõe ſenſus. Per ſenſum.n.acquirimus cognitionem in intellectu. Quędam igitur intellectus abſq; diſcurſu, & abſq; doctore mediantibus ſenſibus cognoſcit, ſed doctrinam & diſciplinam acquirens, uel per ſeipſum uel per alterum habere non poteſt ſine prępexiſtenti cognitione intellectiua. Si.n.omnino nihil cognoſceret eſſet in pura potentia ad cognitionem, & ideo ſeipſum

psum non posset in actum cognitionis reducere, nec per alterū reduci posset, cum nec intelligeret uocum significata si nihil omnino sciret. Doctrina ergo & disciplina fit ex præexistenti cognitione primorum principiorum. Doctrinā.n.dicimus scientiā q̃ mediante aliquo discursu acquirimus per magis nota. Et hæc eadē scientia dicitur disciplina, sed doctrina inquantū est ab agente.i. a doctore. disciplina aūt inquantū est in discipulo. Idem.n. motus aliq̄n denominat̃ actio, aliq̄n passio, prout est ab agente & in patiente. Et hæc conclusio ēt manifestat̃ per oēs disciplinas, in quibus semp̄ q̄dam principia magis nota pręponuntur, ut p̄ ea hō ad scientiam rerum deducatur.

6 *De principijs oportet præcognoscere quia uera sunt.* Vbi s.t.c.2.

Sciētia.n. non est falsorū sed uerorꝫ, ueri aūt scientia nō pōt ex falsis gn̄ari, q̄uis ex falsis possit in syllogismo sequi uerū. Oportet.n.illud ex quo scientia generat̃ esse magis cognitū et uerꝫ q̄ illud de quo generatur. A magis.n.notis & ueris procedimus ad minus nota, & minus uera.

7 *Principijs oportet magis credere quam conclusioni.* Vbi su.t.c.5.

Nam propter principia credimus cōclusioni ergo princi pia sunt magis credita, quia propter quodunum quodq; est tale, & illud magis, nam si amamus proximū proprer deum, magis amamus deum. Intellige autem in ijs quæ sunt essentialiter ordinata sicut principia & cōclusio. Nam et si aliquis ignis sit calidus propter alterum, non oportet tamen quod alter sit magis calidus. Intellige quoque in uniuocis. Non enim si terra est

calida propter solem, sol est magis calidus, sed bene sequitur quod uel sit magis calidus, uel habeat uirtutem maiorem caliditate, qua posit calefacere. Et similiter in ijs quæ habent diuersam numero essentiam. Nam si Spiritussanctus procedit a Filio propter Patrem non tamen magis procedit a Patre, quia una est numero uirtus in Patre et Filio, qua spirant Spiritumsanctum.

Vbi.s.t.c.6 *Prima principia non cognoscimus per demonstrationem.*

Oportet enim in infinitum procedere, quia sic & illa principia ex quibus cagnoscerentur per demonstrationem haberentur et sic in infinitum iretur. Quapropter nihil contingeret scire.

2.post.t.c. 27. le.ulti.S.t. *Prima principia cognoscuntur per sensum.* 9

Omnis.n.cognitio nostra incipit a sensu, & ex sensu fit memoria, & ex hac experimentum. Ex multis autem experimentis sumimus regulam uniuersalem, & sic multorum principiorum cognitionem accipimus.

Vbi sup. 4.met.t. c.8. *Principia in unaquaq; scientia sunt illa que demõstrari non poßunt ab illa scientia cuius sunt.* 10

Ideo enim principia scientiæ dicuntur, quia alia probant, & ab alijs probari non possunt in illa scientia. Nam forte in alia scientia possent demonstrari.

Vbi sup. *Scientiæ non tenentur probare sua principia.* 11

Illa enim sunt quæ supponuntur in scientia, ut cætera probent ut dictum est. Sed contra negantem ea non disputabit, nisi forte dialectica, quæ

ad omnia

ad omnia uiam habet per rationem probabilem. Et similiter prima philosophia, quę est communissima scientia.

12 *Propria principia in scientia sunt ea quæ solum probant ea, quæ sunt in illa.* 1.post.t.c. 24.25.

Ideo .n. dicuntur propria isti, uel illi scientiæ, quia alteri applicari nō possunt. Proprium.n.est quod soli conuenit.

13 *Communia principia sunt quæ probare possunt quæ pertinent ad diuersas scientias.* Vbi sup.

Ideo enim dicuntur communia, quia pluribus scientijs aptantur. Verum est tamen, quod scientiæ appropriāt ea sibi. Vt uerbi gratia. Hoc principium, si ab æqualibus æqualia demas, quę remanēt sunt æqualia, geometria utitur in suis terminis hoc modo. Si ab æqualibus magnitudinibus & cætera. Arithmetricus autem hoc modo. Si ab æqualibus numeris & cætera. Et similiter fit in alijs.

14 *Principium primū omniū nulla demōstratio recipit.* 4.me.t.c.9

Primum omnium principium est hoc. Non contingit idem simul affirmare & negare. Si autem hoc in demonstratione reciperetur pro altera pmissarum, aliquid in demonstratione esset superfluum. Nam oporteret ad speciales materias sciētiarū hoc modo ipsum applicari. Verbi gratia. A.est b.& non est non b.Sed patet quod secunda pars est superflua. Qui.n.dicit a.est b.etiam dicit quod a.non est non b. Virtute tamen eius omnia principia uerificantur. 1.post.t. c.26

Vbi s.t.c.26. *Hoc principiũ. Contingit omne uel affirmare uel negare, recipit demonstratio ducens ad impossibile.* 15

Quia ꝓbat aliquid esse uerum quoniam suum contradictorium est falsum ex eo ꝙ ab ipso sequitur falsum. Si. n. a. non potest negari de b. oportet ꝙ affirmetur quia omne cõtingit uel affrmare uel negare. Et similiter si non potest affirmari, necesse est ipsum negari. Si ergo contradictorium est falsum, oportet illud cuius est contradictorium esse uerum. Et hoc est secundum principium inter omnia.

1.poste.t.c.2. *De subiecto oportet præcognoscere quod est.* 16

Nam subiectum scientiæ, est illud de quo uolumus cognoscere proprietates. Quod autem nõ est non habet proprietates, ideo de non ente non est scientia. Quamuis aliquando de ijs quæ non sunt aliqua probemus. Vt de pluuia & grandine & eclypsi & alijs huiusmodi naturalibus nõ semper actu existentibus supponimus enim eorum esse aliqualiter, & proprietates eis attribuimus, non quasi actu illas habeant, sed uel quia habere possunt, &habent in potentia. Vel quia si essent, illas ex necessitate haberent.

Vbi sup. *De subiecto oportet præcognoscere quid est.* 17

Oportet.n. primo cognoscere quid significet nomen. Deinde quid sit secundum substantiam & quiditatem eius. Nam essentia eius est causa proprietatis uel passiõis quam uolumus demonstrare. Oportet autem semper pręcognoscere causam, quia a notis ad ignota procedimus.

De passi-

18 *De passione non præcognoscimus quod est.* *Vbi sup.*
Hoc enim est quod quærimus. Nam quærimus et intēdimus demōstrare ꝙ passio inest subiecto proprio, & hoc est suū esse, quia illi esse est inhęrere.

19 *De passione oportet præcognoscere quid est.* *Vbi sup.*
Nam saltem oportet præcognoscere quid nominis. i. oportet præcognoscere quid nomine passionis significetur. Et quia ratio quam significat nomen est diffinitio, diffinitio autem uel est propria uel impropria ut dictum est tertio libro, oportet de passione saltem præcognoscere quid est improprie, utpote cognoscere quòd est tale uel accidens confuse nondum determinate cognoscendo subiectum. Si tamen cognosceretur proprie eius diffinitio, certior fieret demonstratio. Nā diffinitio passionis est causa immediata ex parte passionis, sed non ex parte subiecti. Vnde per diffinitionē passionis probaretur passio de subiecto, deinde per diffinitionem subiecti demonstraretur diffinitio passionis & cōsequenter ipsa passio de subiecto. Propriissimum enim medium in demonstratione est diffinitio subiecti.

20 *Præcognitis ijs quæ dicta sunt statim habetur sciētia.* *1. post. t. c. 3.*
Si enim perfectæ cognoscimus de subiecto ꝙ est & quid est, cum sua propria quiditas sit causa passionis, iam cognoscimus causam passionis esse, & scimus quòd est causa ex qua ex necessitate sequitur illa passio in ipso subiecto, ergo statim cognoscimus passionem in subiecto esse. Similiter cognoscentes subiectum esse si etiam præcognoscimus quiditatem passionis quę determinat

proprium subiectum, statim cognoscimus illam passionem inhærere subiecto.

Vbi sup. *Prima propositio in demonstratione est prius nota conclusione tempore & natura.* 21

Nam cognita prima propositione adhuc animus pendet expectans secundam antequam deducat cõclusionẽ. Nam uariatio minoris propositiõis, stante etiã maiore, multũ uariat cõclusionẽ.

Vbi sup. *Secũda propositio est simul nota cum cõclusione, tempore non natura.* 22

Statim.n. animus uisis præmissis conclusionẽ in illis tannquam in speculo intuetur. Simul autem uidetur speculum & ea quæ sunt in speculo. Videt enim causam, & quod illius est causa, & quod impossibile est aliter se habere. Nota tamen quòd oportet minorem esse notam dupliciter. s. & ꝙ sit uera indubitanter & ꝙ sit bene cum maiore ordinata in syllogismo. Si enim indigeret probatione uel quantum ad ueritatem, uel quantum ad conuenientiam cum maiore, nõ simul tempore cum conclusione cognosceretur, quia oporteret prius de ipsa minore notitiam tradere. Non est autem simul nota naturaliter, quia causa ẽ semper prius nota secundum naturam quàm effectus.

Vbi sup. t.c.4. *Conclusio antequam ex principijs deducatur simpliciter est ignota, & secundum quid scita.* 23

Est enim nota in principijs, & in causa, non autem actu in seipsa. Sicut illud quod generatur est ens secundum quid, & non ens simpliciter. Est.n. ens in potentia & in suis causis, non autem in seipso actu.

Prima

24 *Prima figura maxime demonstrationi deseruit.* t.c.31.

Nam cũ mediũ demonstrationis sit diffinitio quæ uniuersaliter p̃dicatur de diffinito, et passionem probet qua etiã conuertitur cũ ea & cũ diffinito, patet ꝙ ad hanc demõstrationẽ faciendã nõ potest uenire nisi primus modus primæ figurę. Aliĳ autem modi deseruiunt aliĳs demonstrationibus, quæ non sunt demonstrationes ita proprie.

25 *Ignorantia prauæ dispositionis potest causari ex paralogismo, sicut & scientia ex demonstratione.* t.c.32.

Ignorantiam autem prauæ dispositionis uoco illum habitum quo quis est male dispositus & cõtrariæ ad scientiam. Nã ignorantia simplicis negationis est quãdo quis nescit, sed tamen non est contrario modo dispositus ad scientiã sicut puer. Hæc autem conclusio clare patet per experientiã. Rationes enim sophysticę multos male disposuerũt & pauci docti sunt qui non participent aliquid de hac ignorantia.

26 *Demonstratio est ex ueris.*

Nam uerum solum contingit scire, uerum autẽ ex falsis & si possit concludi in syllogismo, non tamen sciri. Oportet enim ea per quæ scimus esse notiora & ueriora, ut dictum est. t.c.5.

27 *In prædicatis non est procedere in infinitum.* t.c.35.36.

Loquor autẽ de p̃dicatis quę de subiectis uerificãtur ꝓprie maxime in accidẽtibus qñ accidẽs p̃dicatur de subiecto, siue illd' subiectũ sit accidẽs siue substãtia. Nõ aũt intelligo qñ subiectũ p̃dicatur de accidẽte, uel accidẽs de accidẽte, sic.n. in infinitũ p̃dicata uariarẽtur, sed hęc nõ est ꝓpria p̃di

catio. Si ergo loquimur de prædicatis proprie, nõ potest in infinitum procedi, quia prædicamenta & species eorum sunt finita aliter nihil posset diffiniri, uel nulla diffinitio esset nota, quia non possemus uenire in cognitionem primi generis & ultimæ differentiæ.

t.c.5. *Demonstratio est ex immediatis.* 28

Immediata uoco propositiones per se notas, quæ ex alijs demonstrari non possunt. Si.n. esset ex mediatis necesse esset illa probare per alia notiora, quia aliter non essent nobis uere cognita. Sed non contingit procedere in infinitum ut dicit conclusio præcedens, ergo oportet tandẽ ad immediata uenire ex quibus est potissima demonstratio.

Vbi sup. *Demonstratio est ex causis.* 29

Quia est syllogismus faciens scire. Sed scire est rei causam cognoscere, ut dictum est.

Vbi sup. *Demonstratio est ex prioribus & notioribus.* 30

Est enim ex causis, & causæ sunt priores & notiores suis effectibus.

t.c.20. *Demonstratio est ex proprijs principijs.* 31

Nam facit scire & scire proprie est per causam propriam, ut dictum est in secunda & tertia conclusione.

t.c.15. *Demonstratio est ex necessarijs.* 32

Cum enim scientia proprie non sit nisi de necessarijs, si medium uel principium ex quo acquiritur esset contingens, tunc illud per quod scitur esset incertius & uariabilius quàm id quod scitur ex eo. Et sic effectus esset potior sua causa.

t.c.6. *Demonstratio circularis esse non potest.* 33

Circularem

Circularem demonstrationem uoco quãdo id quod probatur per alterum, accipitur pro medio ad probandum illud per quod ipsum fuerat probatum. Si ergo aliquid demonstraretur hoc modo, cum demonstratio sit ex notioribus sequeretur ꝙ idem esset notius & ignotius simpliciter respectu eiusdem, quod est impossibile.

34 *Demonstratio est ex ijs quæ sunt de omni.* t.c.5.39. t.c.8.

Est.n. de necessarijs prędicatis quæ sunt ex necessitate in subiectis. Vnde oportet ꝙ insint subiectis uniuersaliter & semper, ut patet in diffinitiõe de proprio. De omni enim dico quod uniuersaliter prædicatur de altero semper. Hoc enim modo hic de omni accipimus.

35 *Demonstratio est ex ijs quæ sunt per se.* t.c.18.

Per se autem dico: alterum alterum alteri inesse primo modo: quando prædicatum est in diffinitione subiecti: ut si dico: homo est animal: nã animal in diffinitione hominis ponitur. Secũdo modo quando subiectum est in diffinitione prædicati: ut cum dico: homo est risibilis. Homo enim ponitur in diffinitione risibilis. Vel quando inest propter aliquam causam per se: non per accidens. Si enim aliquo ambulante corruscauit: huius corruscationis non est causa ambulatio: sed accidit corruscasse illo ambulante. Si quis autem interijt quia interfectus est: non est per accidens interijsse ipsum propter interfectionem sed per se. Dicitur etiam per se id quod potest esse sine altero ut substantia. Conclusió autem ex dictis superius probatur, quia demonstratio ex propositionibus cõ-

ſtat in quibus diffinitio eſt medium: & paſſio maior extremitas: & ſubiectum minor: diffinitio autem prędicatur de diffinito in primo modo dicendi per ſe: & paſſio de ſubiecto in ſecundo.

l.c.11. *Demonſtratio eſt de prædicato uniuerſali.* 36

Prædicatum uniuerſale uoco illud: quod de omni & per ſe: & primo: hoc eſt ſecundum ꝙ ipſũ prędicatur. Riſibile enim de animali prędicatur, ſed non de omni animali. Prædicatur quoque de Sorte & Platone: ſed non primo & ſecundum ꝙ ipſum. Primo.n. homo eſt riſibilis ꝗ̃ ſortes: & riſibile conuenit homini ſecundũ ꝙ homo & ſorti ſecundũ ꝙ homo: ideo riſibile non eſt prædicatũ animalis nec ſortis uniuerſale: ſed hominis. De homine enim omni dicitur & per ſe & primo. Cum ergo in demõſtratione p̄betur paſſio de ſubiecto, patetꝙ eſt de prędicato uniuerſali: qa paſſio reſpectu ſui p̄prij ſubiecti ē de omni & p̄ ſe & primo.

l.c.20. *Domonſtratio non eſt ex extraneis.* 37

Extranea dico ea, quæ ſunt extra naturam ſubiecti: & non proprie pertinent ad ſubiectum. N̄ā cum demõſtratio ſit ex proprijs: & ex ijs quę ſunt per ſe: & ex uniuerſali prędicato: clarum eſt quòd nullum extraneum continet.

l.c.21. *Demonſtratio non eſt ex corruptibilibus, ſed ſempiternis.* 38

Nam ea quæ ſunt neceſſaria & per ſe: ſunt ſemper. demonſtratio autem eſt ex huiuſmodi, ut dictum eſt. De ijs autem: quæ nõ ſunt ſemper facimus aliquãdo demonſtrationes in uniuerſali, ut de pluuijs, eclypſi: & ſimilibus: ſed eo modo demonſtramus.

mōſtramus in iis,quo ſunt ſemp̄:ſunt aūt ſemper in ſuis cauſis uniuerſalibus. Vñ hoc mō in uniuerſali facimus demōſtratiões de ipſis. Et ſic patet ꝙ de iis,quę ſunt a caſu,& a fortuna nō eſt ſcientia.

39 *Demonſtratio non tranſit de genere in genus.* *t.c.20.*

Quia eſt ex propriis, quæ ſi alteri applicarentur:illi eſſent extranea. Demonſtratio autem non eſt ex extraneis. Verum eſt tamen: ꝙ ſcientiæ ſuperioris principia: probant principia inferioris. quando genus unius ſub genere alterius cōtinetur. Et ideo illa ſcientia cuius principia a nullo probantur:ſed omnia alia probant eſt maxime ſcientia,& hæc eſt methaphyſica.

40 *In unaquaque ſcientia ſunt proprie propoſitiones, interrogationes, reſonſiones, & diſputationes.* *t.c.27.*

Quia ſcietia eſt ex propriis:ut iam dictū eſt. Et ideo nō oportet unūquemq; ſciētē de unoquoq; interrogare. nec ipſum ad unūquodq; reſpōdere.

41 *Demonſtratio uniuerſalis eſt potior particulari.* *t.c.39.*

Quia uniuerſalia ſunt magis ſcibilia:qa minus infinita:&magis p̄ hęc fit reſolutio ad cām primā.

42 *Demonſtratio affirmatiua eſt potior negatiua.* *t.c.40.*

Negatiua.n.propoſitio per affirmatiuam demonſtratur:&ex ſolis affirmatiuis fit demonſtratio non autem ex ſolis negatiuis.

43 *Demonſtratio oſtenſiua eſt potior ea quæ ducit ad impoſsibile.* *t.c.41.*

Nam ducens ad impoſſibile non ſumit omnes ſuas propoſitiões indubitabiles ſimpliciter quia unā ideſt hypotheſim ſumit, nō tanq̄ ſimpliciter indubitabilē,ſed indubitabilē reſpōdenti ſolum.

Oſtenſiua autem ſumit omnes ſuas propoſitiones indubitabiles ſimpliciter.

t.c.42. *Scientia quæ non eſt de materia ſenſibili eſt certior ea, quæ eſt de materia ſenſibili.* 44

Quia eſt formalior. Nam quanto aliquid plus eleuatur a materia, plus de forma, & actu participat, & per conſequens eſt magis notum, & certum, & ſtabile.

Vbi ſup. *Scientia quæ facit ſcire quia, & propter quid, eſt certior ea, quæ ſolum facit ſcire quia.* 45

Quia ſcire eſt rei cauſam cognoſcere.

Scientia, quæ eſt ex appoſitione ad alteram eſt minus certa illa, ad quam apponit. 46

Ex appoſitione dicitur una ſcientia ad alteram ſe habere, quando materiam alterius abſolutam ad aliquid determinat, quod poſitionem habet, ut ſe habet geometria ad arithmetricam. Hæc. n. conſiderat unitatem abſolute, illa uero unitatem ut poſitionem habet in quantitate, aut in puncto & ſimiliter conſyderat cæteras ſpecies numerorum, arithmetrica quidem abſolute, geometria uero applicando ad quantitatem continuã, & ſic magis ad materiam tendit, & per cõſequẽs eſt minus certa.

t.c.43. *Illa ſcientia eſt una quæ eſt unius ſubiecti formaliter.* 47

Scientia. n. in quodam proceſſu conſiſtit, tanquam quidam motus. Motus autem accipit ſpeciem a termino, & unitatem, unde dealbatio ab albedine ſpecificatur, & ſi ad unam albedinem tendit, eſt unus motus. Ideo etiam ſcientia cũ terminetur ad ſubiectum cuius proprietates probat & ſcire

& scire contendit, quæ ad subiectum terminatur, oportet quod illa sit una, quæ circa unum subiectũ uersatur. Dico aũt formaliter quia non oportet omnia respicere, quæ sunt sub subiecto, sed rationem secundum quã consyderatur. Multæ eñ sunt res naturales de quibus cõsyderat physicus, et tamen sciẽtia naturalis est una, quia omnia sub ratione formali cõsyderat, id est inquantum sunt mobilia.

48 *De eodẽ materiali obiecto possunt eẽ diuersæ sciẽtiæ.* *San.tho.*

Sicut astrologia, & physica probant quod terra est rotunda, sed istud obiectum materiale formaliter diuersificat, sub alia.n.ratione consyderatur a physico, & sub alia ab astrologo. Vnde etiã per alia media eandem probant conclusionem. Scientiæ.n. specificantur a formali obiecto, ut iã dictum est, non autem a materiali. *Vbi sup.*

49 *Scientiæ sunt diuersæ, quæ habent diuersa obiecta formalia.* *Vbi sup.*

Cum enim ab obiecto formali specificentur, oportet quod ubi sunt diuersa obiecta formalia ibi sint scientiæ diuersæ formaliter. Verum una est formalitas obiecti, quæ est ex parte obiecti, q̃ est ratio secundum quam cõsyderatur obiectum a scientia; utputa quia physicus consyderat ens sub ratiõe mobilitatis, ideo mobilitas est formalitas obiecti ex parte obiecti scientiȩ naturalis. Est autem alia quæ est ex parte cognoscentis, & hæc est medium ex quo probat passiones de subiecto, quod est ipsa diffinitio rei. Sicut color est formalitas obiecti uisus ex parte obiecti, & lu-

men dicitur formalitas ex parte uidentis, quia est id quo mediante uidet colores. Vna tamen semper alteri correspondet, quia mediũ, & subiectum & passio sunt eiusdem generis.

Vbi sup. *Diuersitas principiorum diuersificat scientias.* 50

Scientię.n. sunt ex proprijs, igitur habent propria principia, quę suis subiectis respondent ad passiones ipsorum probandas. Vnde non licet descendere de genere in genus, ut dictum est.

Vbi sup. *Obiectum scientiæ habet partes, & passiones.* 51

Partes habet, quæ ipsum cōponunt, & ex quibus demonstrantur de eo passiones. Hæ autem sunt partes essentiales, ut genus, & differentia. Partes quoq; habet subiectiuas, cum sit uniuersale, de quo solum est scientia. Passiones quoque habet, quia hæ probantur de ipso.

t.c.44. *Scientia differt ab opinione.* 52

Quia scientia est de uniuersalibus certa cognitio. Opinio autem de contingentibus cum formidine.

t.c.ult. *Qui prompte et faciliter est aptus inuenire media ad unumquodq; ꝓbandum, solers dicitur.* 53

Hanc.n. uocamus solertiam.s. prōptitudinem intellectus ad inueniendum medium in unaquaque rę. Vnde differt a scientia sicut & opinio.

Omnis quæstio est quæstio medij. 54

2.post.t.c.1. Quatuor.n. sunt quęstiones. Prima est quęstio an est, quæ quærit de esse rei. Secunda quid est, q̄ de eius quiditate quęrit. Tertia quia est, quæ quęrit de esse hoc uel illud. Quarta propter quid est, q̄ causam inuestigat quare ita est. Nam qui per aliquod

quod istorum modorum quærit cupit scire, an sit aliquod medium per quod animus eius dubitãs quietetur. Et sic patet quod omnis qui quęrit, me diũ quęrit. Omnis ergo quęstio est q̃stio medij.

85 *Non omnium quorum est demonstratio, est diffinitio, nec econuerso.* t.c.2

Demonstratio.n. est de proprietatibus & passionibus quorꝫ proprie non est diffinitio. At diffinitio proprie est subiecti cuius non est demonstratio, sed de ipso aliquid probamus.

86 *Eiusdem non est demonstratio & diffinitio.* *Vbi sup.*

Idest non idem scitur per demonstrationem et diffinitionem simul. Quia illud quod proprie diffinitur non demonstratur, & illud quod proprie demonstratur nõ diffinitur. Et unius rei, unus est modus cognoscendi inquantum est unum.

Quod quid est demonstrari non potest. t.c.3.4.5

87 Quod quid est autem uoco id, quod per diffinitionem significatur. Nam & si una diffinitio imperfecta possit per pfectiorem demõstrari, ut materialis per formalem, & hęc per efficientem, quę demonstratur per finalem, quæ per aliam non potest demonstrari, diffinitio tamen perfecta nõ potest demonstrari, tum quia quod quid est immemediate pręedicatur de eo cuius est, tum quia medium demõstrationis est ipsa diffinitio, uel quod quid est, unde supponeretur quod probari deberet. Præterea si per aliquod medium probaretur hoc esse hoc, utputa hominem esse animal rationale, non tamen propter hoc habe- 6.7.

retur, ꝙ hoc, est quod quid est huius, nisi forte per diffinitionẽ ipsius q̃d quid est hoc modo. Omne significatum orationis conuertibilis constantis ex genere & differẽtijs est ꝙ quid est. Sed animal rationale est hmõi, ergo &c. Sed hęc ẽt non est demõstratio, nec fortis ꝓbatio, quia non est ex cã, non.n. esse significatũ illius orationis est cã ipsius ꝙ quid est. Prętereã intellectus idem intelligit ꝑ esse ꝙ quid est, & esse significatũ talis orationis, & iõ præsupponitur quod debet probari. Per diuisionem quoq; & si colligatur ut dictũ est in 3. lib. non tñ demonstratur. Quia diuisio est infirmus syllogismus, ut dictũ fuit in 6. lib. cõclusione 29. Igiť ꝙ qd est habet uirtutẽ demonstrandi cętera, ipsũ uero omnino nõ demõstrať. De syllogismo ergo dẽmonstratiuo ꝑ modũ introductionis hæc dixisse sufficiat. Explicit liber octauus.

Postilla in librum octauum.

POstquã determinauit auctor de syllogismo quo ad formam, ostendẽdo qũo debet formari tã in propositionibus de inesse, q̃ꝫ modalibus & etiam hypotheticis, nunc agit de illo per cõparationem ad materiã, & quia primus inter hos est demõstratiuus, prius agit de illo in hoc libro & primo quidem loquitur de illo absolute, scd'o cõparatiue, tertio inuestigat mediũ ex q̃ ꝓcedit. Quo ad primũ, quatuor determinat de illo, s. diffinitionẽ necessitatem, formã, & materiam, per hæc.n. omnia habetur notitia de illo, quãtam necesse est. Circa diffinitionem eius quia sumitur a fine, sicut aliorũ quæ sunt ordinata ad finem, &

finis eius est scientia, primo declaratur quid sit scientia, in 1. cōclusione, ut per eius cognitionē sciamus qd est syllogismus ordinatus ad illā, & quia multipliciter dr̄ declaratur; scd'o eius multiplicitas in 2. et distinguitur scientia de qua est intentio in 3. tertio ex his deducit diffinitionem syllogismi demōstratiui in 4. Circa necessitatē eiusdē, ostendit primo illā in 5. ex hoc fundamēto ꝙ omnis doctrina & disciplina intellectiua, fit ex aliqua praecognitione, ꝙ est fieri in nobis scientiā ꝑ syllogismū, scd'o agit de ipsa praecognitione, tam quo ad precognitionē, q̄ȝ quo ad ordinem eius. Quo ad p̄cognitionē ipsam, quia tria sunt quae oportet praecognoscere. s. principia, ex quibus procedit syllogismus, subiectū de quo aliquid concludit & passionem quae cōcluditur de subiecto, incipit a principijs; & primo ostēdit quō p̄cognoscantur in 6. q̄tum oportet illa precognoscere. s. magis q̄ȝ conclusionē in 7. & per quod prima principia cognoscuntur in 8. & 9. scd'o ne quis erraret in precognitione principiorū ostendit in 10. quae sint principia in unaquaqȝ scientia, & quō scientiae se habēt ad illa in 11. & quia distinguunť ꝑ propria et cōia declarat cōsequenter quae sint propria in 12. & q̄ cōia in 13. tertio specialiter declarat quō se habēt scientiae seu demonstrationes ad principia prima simpliciter, quoꝝ unum est negatiuum. s. nō contingit &c. de quo in 14. alterū affirmatiuū. s. contingit &c. de quo in 15. Post praecognitionē aūt principioꝝ, agit de precognitione subiecti & passionis. subiecti quidē q̄tum ad quia est in 16. & q̄tum ad quid est in 17. passionis uero, quo ad qa

est in 18.ostendẽs id non præcognosci, & quo ad quid est in 19. Quo ad ordinem autem præcognitionis ostendit primo quo ordine sequatur scientia pręcognitionem dictorum in 20.secundo quomodo se habent præmissæ ad conclusionem, maior quidẽ in 21.minor, uero in 22.tertio quõ se habet cõclusio anteꝗ deducat in 23. Circa formam huius syllogismi ostẽdit in qua figura habet fieri in 24.& quia opposita iuxta se posita magis elucescũt, subiungit in 25.de syllogismo ignorantię, qui oppoit syllogismo demõstratiuo. Circa materiã multa docet, primo ex qualibus principijs fit. s. ueris, in 26.immediatis, in 27.præmittens in 28. pro fundamẽto huius nõ dari ꝓcessum in infinitum in ꝑdicatis. Itẽ ex causis in.29.deducẽs ex hoc in 30. ꝙ est ex notioribus & prioribus, & ex hoc nõ dari demonstrationẽ circularẽ, in 31. Item ex proprijs in 32.& necessarijs, in 33. scd'o ex qualibus prędicatis. s. de omni in 34. ꝑ se, in 35. uniuersalibus in 36.non extraneis, in 37. neqꝫ corruptibilibus, in 38.licet hæc duo ultima possint etiam intelligi de principijs. tertio ex dictis deducit duo corrolaria. s. demõstrationẽ non descẽdere de gñe in genus, in 39.& in qualibet sciẽtia esse proprias ꝓpositiones&c. in 40. Quo ad scd'm primo cõparat demõstrationẽ demõstratiõi. s. uniuersalẽ particulari in 41. affirmatiuã negatiue in 42. & ostẽsiuam ei quæ ducit ad impossibile in 43. scd'o cõparat scientiã scientiæ quę est effectus demonstrationis quo ad certitudinem, in 44.45.46.& quo ad unitatem & diuersitatem decla rans, quæ sit una, in 47.& quę diũersę, tam ex parte subiecti,

in 48. 49. q̃ ex pte principiorꝝ in 50. et deducit ex dictis obiectum, habere partes & passiones in 51. tertio cōparat scientiā alijs habitibus distinguēs illā ab opiniōe in 52. & a solertia in 53. Quo ad tertiū primo ostendit omnē quæstionē reduci ad q̃stionem medij, in 54. scđo quia est id ꝙ significat diffinitio declarat qūo se habet diffinitio ad demonstrationē in 55. 56. tertio docet qūo medium ꝙ est ꝙ quid est nobis innotescat, an. s. p demonstrationem in 57. intendens per hoc ꝙ ipsum per diffinionem cognoscimus.

DE SYLLOGISMO DIALECTICO LIBER NONVS.

1 *Pars logicæ, quæ inuentiua dicitur est ualde utilis ad exercitium disputationis.* 1. topi. c. 2.

Quia hæc pars est potens inuenire argumenta ad utranq; partem cōtradictionis, cum non ex necessarijs procedat. Vnde contrarijs opinionibus obuiare est ualde idonea. Et cum sit inquisitiua, ad omnium methodorum principia uiam habet.

2 *Propositio dialectica est interrogatio probabilis.* Vbi s. c. 8

Probabile uocatur illud q̃d omnibus uel pluribus, uel sapientibus omnibus, uel pluribus, uel sapientioribus uidetur, ut, putas ne omnis mater diligit filium.

Vbi s.c.9 *Problema dialecticum est propositio, quæ proponitur sub utraq; parte contradictionis.* 3

Vt cum dicitur. Vtrum anima sit mortalis, uel non. Ita enim proponit, ut respondens eligat quam partem uult tenere. Habet enim uiam dialecticus ad utranq; partem.

Vbi s.c.3 *Disputationes ex problematibus & propositiõibus fiunt, & syllogismis.* 4

Disputatio .n. est actus syllogisticus unius ad alterum ad propositum ostendendũ, quod est uel propositio dialectica uel altera pars contradictio nis quæ est in problemate.

Vbi s.c.3 *Problemata sunt quatuor.* 5

De unaquaq;.n. re quæritur uel genus, uel differentia, uel diffinitio, uel proprium, uel accidens. Species.n. non quæritur, quia quæreretur de indiuiduo, sed de indiuiduis non est ars, cum sint infinita. Verum de ipsa specie q̃ritur semper aliquid eorum quæ dicta sunt. Differentia autem cõputatur cum genere, quia cum per se non sit diffinitio, tñ prędicaĩ substantialiter de specie. Ideo quatuor sunt prędicata quę de specie quęrũtur, scilicet unũ simplex substantiale, et hoc est genus uel differentia, unum compositum substantiale, hoc est diffinitio, tertium accidentale, & si conuertitur cum specie est proprium, si autem non conuertitur est accidens. Itaq; quatuor sunt problemata scilicet. Problema de genere, quo quæritur, utrum hoc sit genus huius, uel utrum hæc duo sint in eodem genere, uel diuerso. Item problema de diffinitione quo q̃ritur utrum hoc sit diffinitio huius, uel non.

Ad quod

Ad quod etiam reducitur problema quo quæritur utrum hoc sit idem huic quia diffinitio & diffinitum idem sunt. Et problema de proprio quo quæritur, utrum hoc sit proprium huius uel non. Et problema de accidente quo quæritur utrum hoc sit accidens huius uel non, uel etiam utrū hoc sit uel non sit. Nam esse non ingreditur essentiam rei. Ad quod etiam reducitur problema comparationis quo quæritur, utrum hoc sit melius uel magis eligendum illo.

6 *Tot sunt propositiones quot problemata.* *Vbi sup. c. 3.*

Nam differunt solum secundum formam non autem secundum materiam. Fiunt enim ex eisdē terminis, & in eadem materia. Hoc autem patet ex secunda & tertia conclusione.

7 *Omnia problemata aliqualiter ad illud de diffinitione reducuntur.* *Vbi sup. c. 5.*

Quia probato ꝙ aliquid non sit genus, uel differentia, uel quòd non insit soli, uel quòd sit accidens, uel quòd nō insit simpliciter per eas probationes per quas alia problemata determinantur, etiam probatum erit quòd non est diffinitio. Nō tamē si probetur quòd aliquid non est diffinitio, uel etiam quod est diffinitio, determinabuntur cætera problemata.

8 *Non omne problema quod non est in terminis substantiæ, est problema de accidente.*

In accidentibus enim sunt genera & diffinitiones, & propria. Et ideo etiam in terminis accidentium fiunt problemata de genere diffinitione & proprio.

Vbi sup.c.9. *Omne problema est aliqualiter dialecticum.* 9

Problema enim dialecticum est illud quod habet rationes probabiles ad utráque partem. Problema igitur quod fit in rebus manifestis quantum ad unam partem, & si ex parte materiæ non sit dialecticum, ex parte tamen formæ idest ex parte modi interrogandi est dialecticum. Quia cum proponit utranque partem uidetur habere uiam ad utranque.

Vbi sup.c.1. *Hæc ars, quæ est pars logicæ inuentiua, omnia problemata determinat.* 10

Cũ.n. ex probabilibus procedat, ad omnia uiã habet, etiam ad prima scientiarum principia.

Vbi sup.c.9. *Non omnem positionem consyderat dialecticus.* 11

Positionem uoco opinionem extraneã alicuius philosophi, esse autem solicitum contra quemlibet, stultum est. Debet enim dialecticus consyderare positiones, quæ aliquam dubitationem afferunt, & quæ sunt probabiles, non autem eas, quæ sunt manifeste falsæ. Hæ enim sunt deridendæ, non improbandæ.

Vbi sup.c.1. *Instrumentum dialectici ad determinandum problemata non est syllogismus falsigraphus.* 12

Sillogismus falsigraphus est, qui procedit ex ijs quę pertinent ad aliquam disciplinam, non cõuenienter sumptis. Vt si quis ex hac propositione, si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanẽt non sunt æqualia, procederet ad aliud probandũ in geometria. Dialecticus enim ex probabilibus procedit ut dictũ est, sed manifestę falsa non sunt probabilia, ut sunt ea quæ sunt contraria princi-

pijs

pijs scientiarum ex quibus procedit syllogismus falsigraphus.

Nec eius instrumentum est litigiosus syllogismus. *Vbi sup.c.1.*

13 Litigiosus syllogismus est illæ qui procedit ex ijs quæ uidentur probabilia, & non sunt, & aliquando habet ueram formam quia est in modo, & in figura, & tunc est syllogismus propter formam, sed litigiosus ex falsitate propositionis. Aliquando autem etiam peccat in forma, & tunc litigiosus syllogismus quidem est, non autem syllogismus. Hic ergo non est instrumentum dialectici, quia non procedit ex probabilibus.

Nec demonstratio est eius instrumentum. *Vbi sup.c.1*

14 Quia demonstratio est ex necessarijs, & propositionibus immediatis, ex quibus dialecticus non procedit. *.post.t.c.34* *2.prio.c.24*

15 *Nec exemplum proprie est eius instrumentum.*

Exemplum enim est syllogismus quo unum probamus per exemplum simile in altero. Vt si uolo probare q̄ a. pugnare contra. b. est malum, adducam similitudinem aliorum duorũ uicinorum & dicã. p. pugnare contra. q. est malũ. Igitur & a. pugnare contra. b. est malũ. Et potest formari syllogismus sic. p. pugnare contra. q. est malum, sed. p. pugnare contra. q. est uicinos pugnare contra uicinos, ergo uicinos pugnare contra uicinos est malum. Est enim syllogismus in tertia figura expositorius. Vlterius sic procedatur. Vicinos pugnare contra uicinos est malum sed. a. pugnare contra. b. est uicinos pugnare contra uicinos, ergo. a. pugnare contra b. est malum. Syllogismus est in prima figura.

Hoc igitur modo fit syllogismus, qui exemplum dicitur, & est proprium instrumentũ poetæ. Procedit enim de uno singulari ad alterum. Dialecticus autem determinat uniuersalia prædicata, unde exemplũ nõ est propriũ instrumentũ dialectici, licet aliqñ utatur eo usurpans eũ sibi a poeta.

ubi sup. c. 27 *Nec entimema est proprium instrumentũ dialectici.* 16

Entimema autem est syllogismus ex icotibus & signis. Icos uero ẽ propositio probabilis, ut in pluribus, ut omnis mater diligit filium. Signum autem est, quod prǽter speciem quam sensibus ingerit facit in cognitionẽ alterius uenire, ut fumus qui est signum præsentiæ ignis. Et formatur syllogismus sic. Omnis mater diligit filium, medea est mater, ergo diligit filium. Omnis mulier habens lac peperit. Sed hæc mulier habet lac, ergo peperit. Frequenter tamen fit iste syllogismus ex duabus propositiõibus, quia proposito signo statim infertur conclusio. Ut berta habet lac, ergo peperit. Unde entimema diffinitur, quod est oratio in qua non omnibus propositionibus antepositis infertur festinata conclusio. Et dicitur quod est syllogismus imperfectus. Hic ergo syllogismus est proprium instrumentũ rhetorici, & caussidici, qui cõmuniter ea quæ uolunt probare a signis probant. Non est ergo proprium dialectici, quãuis aliquãdo usurpet eum sibi a rhetorico.

1. topi. c. 10. *Proprium instrumentum dialectici est inductio.* 17

Inductio enim est syllogismus procedẽs ex singularibus collectis ad uniuersalem. Ut iste homo currit, & iste homo currit & iste, & iste, & sic de singulis

de singulis, ergo omnis homo currit. Et formatur sic syllogismus. Omnes isti currunt, & omnes homines sunt isti. ergo omnes homines currunt. Et ualet iste syllogismus ad probandum propositiones quas nō possumus uel nescimus per medium notius probare. Tunc enim per omnia singula diuisim ostendimus quod dicimus. Vnde proprie pertinet ad dialecticum, qui non assumit propositiones necessarias nec per se notas, nec demonstratiue probat, sed assumit propositiones probabiles quæ frequenter non possunt per aliud notius probari, nec sunt per se notæ. Vnde oportet ꝙ eas inductione probet.

18 *Maxime proprium eius instrumentum est syllogismus ex probabilibus.* 1.topi.c.1. 1.post. t.c.34.

Quæ sint probabilia dictum est in secunda cōclusione. Cum enim dialecticus non procedat nisi ex probabilibus, nullum instrumentum potest esse ei magis proprium ad determinandū problemata, quàm syllogismus ex probabilibus.

19 *Instrumēta ad abundandū syllogismis sunt quatuor.* 1.topi.c.11.

Primum est scientia qua scimus inuenire multas propositiones. Qui autem uult abundare propositionibus accipiat eas quæ uidentur omnibus uel pluribus, uel sapientibus, uel maxime notas, uel contrarias probabilibus, uel similes illis. Item opiniones philosophorum in unaquaque arte. Et habere debet multas diffinitiones uel descriptiones & facere nouas. Secundū est scientia diuidendi, ita ꝙ postquam diuisimus uideamus quot modis dr̄ unū oppositorum diuidentiū, quia tot etiā

modis dicitur & reliquum. Et de hac habes in secundo libro. Tertium est cognoscere differentias rerum, & maxime earum quæ multũ conueniũt. Quartũ est sciẽtia similitudinis rerum. Hoc.n.est ualde utile ad faciendũ inductiuas rationes.

Ex locis Vbi sup. *Non est quærenda una methodus ad determinandum omnia problemata.* 20

Tum quia non esset facile eã inuenire propter diuersitates problematũ. Tũ quia nõ esset utilis, eo ꝙ esset nimis uniuersalis. Oportet.n.regulas inuenire proprias unicuiqꝫ problemati ad determinãdum ipsum proprie & perfecte.

Facilius est destruere quam construere. 21

Nam ad constructionem rei perfectam oportet omnia aduenire, quæ pertinent ad eam, ad destructionem autem sufficit unam partem principalẽ amouere. Erit ergo facilius probare ꝙ aliquid nõ sit genus, uel diffinitio, uel proprium, uel accidẽs, ꝙ̃ ꝙ sit. Oportet igitur tradere artem specialem ad destruendum uel construendum genus, et similiter aliam ad construendum uel destruendũ diffinitionem, & sic de alijs. Hæc autem ars est collectio locorum a quibus trahuntur argumenta.

San. tho. de fal. c. 7. *Locus est sedes argumenti.* 22

Est enim argumentum ratio rei dubię faciens fidem, & proprie est uirtus medij quo extrema coniunguntur. Vis autem hæc accipitur ab aliqua propositione notissima. Et hæc dicitur locus in quo. uidelicet. requiescit argumentum & conseruatur. Vt si arguo. omne animal est substãtia. ergo omnis homo est substantia, animal est argumentum

mentum in ista cōsequentia seu argumentatione id est est medium habens uirtutem inferēdi illam conclusionem, quam uirtutem accipit ab ista nota propositione. Omnis homo est animal. Virtus ergo istius medii dicitur in ea requiescere & conseruari sicut in loco. Locus igitur dicitur argumenti sedes.

23 *Locus maxima, & locus differētia maxime differūt.* *Vbi sup.*

Locus enim qui maxima dicitur, est ipsa propositio notissima a qua sumitur uirtus argumenti. Locus autem qui dicitur differentia maxime, est, id quo una maxima differt ab altera, & est habitudo terminorum qui ponuntur in maxima. Si quis enim dicit, de quocunque prædicatur diffinitio, & diffinitum, maximam dicit. Differentia autem maximę est habitudo diffinitionis & diffiniti, siue diffinitio & diffinitum per que prędicta maxima differt ab ista. de quocunqne prędicatur species & genus, cuius differentiæ maxime sunt isti termini genus, & species. In utroque autem loco sedet argumentum. Ad determinandum ergo problemata prædicta subiungenda sunt loca. & primo ea quæ sunt communia ad omnia problemata, secundo propria ad unumquodque.

24 *Loca cōmunia intrinseca, sunt in duplici differentia.* *2. topi. quasi per totum.*

Quædam enim sunt que pertinent ad substantiam rei, ut cum sumitur argumentum a diffinitione, uel a diffinito, aut a descriptione uel descripto; aut a nominis interpretatione uel interpretato quorum maxime sunt hæ.

Quicquid prædicatur de diffinitione, uel descriptione uel nominis interpraetatione illud idem prędicatur de diffinito, uel descripto, uel interpretato & econuerso. Et omne de quo prædicātur, prima tria, & secunda tria eis correspondentia prædicantur, & econuerso. Et a quocunq; remouentur prima & secunda, & econuerso. Et quicquid remouetur a primis, & a secundis & econuerso. Quædam autem concomitantur substantiam, ut locus a toto. Et primo a toto uniuersali ad partem locus est, quòd remoto toto remouetur pars eius & posita parte ponitur totum. Hoc patet in homine & animali. In toto autem integrali quod ex partibus constat habentibus quantitatem, locus est, quòd posito toto ponitur pars & remota parte remouetur totum. Vt patet in domo & pariete. In toto autem uniuersali quod est uniuersale uniuersaliter sumptum locus est. Quicquid prædicatur uel remouetur a toto, & a qualibet parte. Et quicquid prædicatur uel remouetur ab omnibus partibus simul sumptis, & a toto. Hoc patet comparãdo partes ad totum, & totum ad partes ut hoc totum, omnis homo, ad singulos homines particulares. In toto in modo, quod est uniuersale sine determinatione locus est quòd de quocunq; prædicatur pars in modo, & totum. Et a quocunque remouetur totum, & pars. Hoc patet in hoc uerbo currit & currit ualociter. In toto autem in loco quod est dictio comprehendens omnem locum locus est. Cuicunque conuenit totũ, & pars. Et a quocunq; remouetur pars, & totum. Et hoc patet in ijs terminis, ubique & in aliquo loco. In

toto

toto ē in tpe, qđ eſt dictio cõprehendens oē tpſ, idē eſt, ut patet in ijs terminis ſemp̄ et in aliq̄ tpe. Similit̄ a cā efficienti locus eſt. Poſita cā ponit̄ effectus, & ecõuerſo, ſi tñ̄ effectus dependet ab ea ineſſe, & in fieri, aliter regula tñ̄ eſt ꝓbabilis. A cā aūt materiali ſic. Poſita cā materiali pōt poni eius effectus, & ea remota eius effectus remouet̄, ut patet in pane & farina. Et poſito effectu neceſſe eſt materiā prefuiſſe. In materia tñ̄ q̄ pmanet et non tranſit ut in ferro ſic, poſito effectu ponitur eius cā materialis. A cā formali ſic. Poſita cā ponit̄ effectus, et ea remota remouet̄, & ecõuerſo, ut patet in anima plātę & planta. A cā aūt finali ſic. Cuius finis eſt bonus uel malus et ipſū quoq; eſt bonū uel malū, & econuerſo. A gñatiōe aūt ſic. Cuius gñatio eſt bona uel mala, & ipſū quoq; eſt bonū uel malū, & ecõuerſo. A corruptiōe aūt cuius corruptio eſt bona, ipſū eſt malū. & ecõuerſo. & cuius corruptio eſt mala, ipſū eſt bonū, & ecõuerſo. Ab uſu ſic. Cuius uſus eſt bonus uel malus & ipſū quoq; eſt bonū, uel malū. Ab accidētibus cōibus q̄ ſeſe ſemp̄ conſequūtur, ut penitet ad deliquiſſe ſic. Si poſterius ineſt & primū. Si aūt primū non ineſt, nec ēt poſterius. Quædā igitur hoꝝ ꝑtinēt ad ſubſtantiam, quædam uero ſubſtantiam conſequūtur, uel per ſe, uel per accidens. *Loca quoq; communia extrinſeca multa ſunt.* *Vbi ſup.*

Quędā ſunt ab oppoſitis: In relatiue oppoſitis igitur ſic. Poſito uno: aut remoto uno, ponit̄ uel remouet̄ reliquū, & ecõuerſo. In cõtrarijs mediatis & immediatis poſito uno remouetur & reliquū: In immediatis ſolū remoto uno: ponitur reliquū ſtante ſubiecto. In priuatiue oppoſitis. Po-

sito uno remouet reliquū. Et in subiecto apto na to remoto uno ponit reliquū. A cōtradictorijs, Si unū est uerū: reliquū est falsū, & ecōuerso. A disparatis in abstracto. De quocū q; dr unū ab eodē remouet reliquū, & ecōuerso. Dico āt in abstracto quia in cōcreto stat q hō sit albus et ēt cptus. Quædā āt non ab oppositis sumunt, sed alio mō, utputa a maiori sic. Illud cui aliquid magis uidet inesse si non inest nec inerit q minus ei uidetur in esse uel q magis uidet eē, si non est, nec q minus. Vel de quo magis uidetur esse aliqd, & non est il lud, ergo nec de quo minus. A minori uero sic. Si cui aliqd minus uidetur inesse, et inest, ergo et cui magis. Et sic de alijs affirmatiue. A simili. De similibus idē est iudiciū. A ꝓportiōe. De ꝓportionatis idē est iudiciū, ut si rector nauis est eligendus arte, non sorte, ēt magister scolariū est eligendus arte nō sorte. Quia sicut rector se habet ad nauim, ita magr̄ ad scolas. A trāsumptione. v3. qñ nomē minus notū declaratur p nomen magis notū quodcunq; sit illud sic. Q, alicui cōuenit sub nomine magis noto: eidem conuenit sub nomine minus noto. Ab auctoritate unicuiq; experto in arte sua credendum est.

4. topi. *Loca media sunt maxime tria.* 26

Media ideo dicunt; quia nec omnino extrinseca sūt, nec omnino intrinseca. Et sunt pri° sumpta a coniugatis. Sunt autem cōiugata ea quoꝝ unū ab altero denominatur. Locus sic sumitur. Quod uni coniugatorum inest, & reliquo. Et si unum coniugatorum inest & reliquum. Vt si iustitia est bona, & iustus est bonus. & ecōuerso. Secundo a casibus. Dicitur autem casus id quod a nomi

 ne prin-

ne principali cadit in fine, ut a iustitia cadit iustus & iuste. Unde iuste dicitur casus. Et locus est idẽ cum illo de coniugatis, ut si iustum est bonum, et iuste est bene, & econuerso. Tertio a diuisione. Sed de ijs sufficienter dictum est in secuno libro.

27 *Non oportet in his sumere propositiões in omnibus ueras.*

Dialecticus enim non est demonstrator, sed ex probabilibus procedit. Probabilesq; autem propositiones non sunt semꝑ uere in omnibus. 1.to.c.8. 1.post.t. 34.

28 *Problema de accidente multis regulis specialiter determinari potest.*

Sunt enim regulæ ad cõstruendum quod hoc est accidens huius, et sunt regulæ ad destruẽdum. Sed facilius destruitur ut dictum est. Ad construendum sic. Si potest adesse & abesse præter subiecti corruptioni, si neque est genus, nec species, neque differentia, neq; proprium & inest, si aliquid est & non est substantia, si in altero est, & non est pars eius, & si est, & non per se existit, neque est pars, dico quod hoc tale est accidens. Similiter si est in aliquo prædicamento accidentis. Si genus eius est accidens, si eius contrarium est accidens. Destructiue autẽ sic. Non est accidens si illi non competit diffinitio accidentis, si est pars alterius, si est per se, si nulla species eius est accidens, uel nullum indiuiduum ei subiectum, si genus eius non est accidens, si idem asignatur sibi ipsi accidens mutato nomine, si contrarium inest illi subiecto cui assignatur accidens, si dat esse simpliciter, si subiectum non est susceptibile contrarij, si habet generationem uel corruptionem 2.to.c.2.

per se, si nihil est: si nõ est illud ꝙ ex necessitate sequitur ex eo nec ipsũ est aliquid: si cõiugatũ eius non est, si cõtrarium nõ est in cõtrario: quia sicut oppositũ in opposito, sic et ꝓpositũ in ꝓposito. Si n. iustitia ẽ bona iniustitia est mala. Et sicut simpliciter se hꝫ ad simplr̃: ita & magis ad magis: & maxime ad maxime. Si. n. albũ disgregat uisum: & magis albũ disgregat: maxime albũ maxime.

2. top. c. 3 *Problema scd'm cõparatiões põt ẽt spãlr determiari.* 29

Quærit. n. utrum hoc sit melius altero uel magis eligendũ eo uel non. Opꝫ aũt tradere regulas: nõ in his q̃ nota sunt, sed in ijs quæ hñt difficultatem. Illud igitur est melius uel magis eligendũ altero, ꝙ diuturnius est: ꝙ certius: q̃d magis eligit prudens, uel bonus uir: uel lex recta: uel studiosus circa singula: uel magis sciens in illo gñe: & ꝙ est scd'm melioreꝫ disciplinaꝫ: & ꝙ est ꝓpter se: q̃ꝫ ꝙ est ꝓpter aliud: & magis cã boni per se: & mali cã p accñs: q̃ꝫ cã boni per accidẽs: & cã mali p se: Et quod est simpliciter bonũ: eo ꝙ est scd'm q̃d. Et ꝙ est honorabilibus: & q̃d est finis. Et ꝙ est propinquius fini: & cuius finis est melior: & q̃d est laudabilius: & cuius cõsequens est magis bonũ: & plura bona paucioribus: & ꝙ est magis sine tristitia, & unũquodqꝫ in quo tpe magis ualet: & id magis ꝙ omni tpe ualet q̃ꝫ id q̃d aliquo tm̃: & id cuius corruptio est magis fugienda: & generatio magis desideranda: & ꝙ est ꝓximius optimo, et quod est similius meliori, & ꝙ est facilius obtineri, & cõseruari, et q̃ melius possumus amicis frui, & idẽ cũ bona circũstantia melius est q̃ꝫ sine. Vt bene uiuere q̃ꝫ soluꝫ uiuere, & illud sine q̃ alteruꝫ esse nõ põt q̃ꝫ illud ꝙ non põt esse sine eo, et id ꝙ

ut uideatur nobis inesse: alteruȝ negamus ut stu‑dere multuȝ negamus ut uideamur ingeniosi, est ergo magis eligendū ingeniosuȝ eē. Item id cuius usus est magis eligēdus, uel actus, & ꝙ appositū alteri facit magis bonuȝ, & quo remoto illud re‑manet minus bonuȝ, & ꝙ est ꝑpter se bonuȝ ma‑gis ꝗ̄ qđ est ꝑ ꝑ gloriam, & ꝙ ad plura est utile & ꝙ minus impedit bonuȝ, ꝙ indubitanter eligi pōt quam id quod cū formidine eligitur. Istæ aūt oēs regulæ & similes debent intelligi cuȝ hac con‑ditione. Si cetera sunt paria. Nam disperitas alia‑rum circunstantiaꝝ uariat regulā. Et aduerte ꝙ ex ijs potes habere ēt qđ est eligendū simplr̄ uel nō. Quia si hoc est eligēdū magis, ēt est eligendū.

30 *Problema quoq; de gn̄e multis regulis determinari potest.* 4.to.ꝑ totū

Constructiue sic. Hoc est genus, si predicaē de pluribus differētibus spē, in eo ꝙ qđ, si uniuoce ꝑ‑dicatur in qđ & non est species, specialissima, si diuiditur per se in differentias contrarias, uel spe‑cies, si est relatiuum speciei, si in uera diffinitione ponitur in primo loco. Item si unum coniugatoꝝ est genus alicuius, & reliquum erit genus coniu‑gati illius, si unū oppositum priuatiue est in gn̄e opposito illud ꝙ fuit assignatū pro gn̄e alterius oppositi est uere genus. Et si in contradictorijs a. ē genus b. nō b. erit genus nō a. Destructiue āt sic si nō predicaē de pluribus drn̄tib9 spē, si nō ꝑdica‑tur in qđ, si nō predicaē uniuoce, si predicaē scđm magis & minus, si prædicaē solū de drn̄tibus nu‑mero, si nō diuiditur ꝑ se, si nō diuidiē in differen‑tias uel spēs, si in uera diffinitione non ponitur in

primo loco, si nō est genus alterꝫ coniugatorꝫ, nec alterꝫ erit genus, si pticipat spēm.i. si suscipit rōnem eius qꝫ assignatur ei p spē, si proprie de drījs pdicatur, si non pdicatur in quid de contētis sub spē, si solū unā spēm continet, si non est in eodem prædicamento cum specie, si nec est generalissimum nec subalternum, si potest separari a specie, si non est prius specie, si non potest intelligi non intellecta specie, si per accidens de specie pdicatur si conuertitur cuꝫ specie si ipso destructo remanet species. His & huiusmodi regulis uel locis determinatur problema de genere.

Probleā de differētia ēt multis regulis determinatur. 31

Constructiue sic si pdicat̃ de pluribus drntibus spē, in quale substātialiter, si diuidit p se genus, si conducit spēm ad esse, si coniuncta gn̄i constituit spēm, si facit aliud. si ponitur in uera diffinitione. Destructiue āt sic, si non facit differre, si non prædicatur, si non prædicatur in quale, si non prædicatur substantialiter, si non facit aliud, si non diuidit genus per se, si non conducit ad esse, si non constituit speciem coniuncta generi, si non ponitur in diffinitione, si ea non abundat species à genere si non se habet ut forma determinans genus, si genus de ea predicat̃, si prædicat̃ secūdum magis & minus, si non prędicat̃ scd̄m eādem rationem. Et hoc modo detminatur problema de differentia quod computatur cum genere. 32

5.to. p totū. *Problema de pprio multis regulis determinatur.*

Per proprium āt nunc intelligimus illud, q̄d omni & soli & semp inest, siue p se acceptuꝫ, siue in descriptione, ut proprium dicamus esse descri-
ptionem

ptionem in qua est genus & proprium. Constructiue ergo sic, si omni & soli semper inest, si causa eius immediata est essentia rei cuius est propriũ, si demonstrari potest de subiecto, si per se inest, et conuertibiliter prędicatur & non est substãtia rei si posito subiecto ponitur ipsum, & econuerso, cum non sit substãtia. Destructiue sic, si non conuenit omni, si non soli, si non semper, si non fluit ab essentia rei, si non potest de subiecto demonstrari, si est substãtia rei, si potest separari a subiecto, etiam secundum intellectum. Item si unus casus est proprium alterius casus, & casus ei correspondens erit proprium correspondentis. His igitur & similibus maximis determinatur problema de proprio.

33 *Problema de diffinitione etiam multis regulis determinatur.* 6.to.p totũ

Constructiue sic, si est oratio indicans essentiam rei, si est oratio cõposita ex proprio genere, et propria differentia eius quod diffinitur, si est medium in uera demonstratione. Destructiue autem sic, si non est oratio, si non significat essentiam. Et breuiter si non seruat regulas quas posui mus in tertio libro. Volumus enim nunc pro breuitate illas sufficere ad determinandum problema de diffinitione. Multò enim plures regulæ possent poni ad determinandum hæc problemata, sed istæ quas posui sunt communiores & faciliores.

34 *Problema quoque de eodem & diuerso multipliciter determinatur.* 7.to.p totũ

Idem ãt tripliciter dicitũ. Primo genere, nam ea

sunt idẽ gñe, quæ sunt sub eodẽ genere. Scd'o specie, quia ea sunt idem spẽ q̃ sunt sub eadem specie. Tertio numero, ea.n. sunt idem nũero quorũ res ẽ una. Et hæc etiam tripliciter dicuntur. Primo diffinitione. Nam diffinitio & diffinitum sunt eadẽ numero. Secundo descriptione uel proprio, quia proprium, & id cuius est proprium sunt eadẽ numero. Tertio accidente, ut Socrates, & philosophus sunt idem numero, uel Cicero & orator. Cõstructiue ergo sic. Ea sunt eadẽ genere uel specie, uel numero quę sunt in eodem genere, uel in eadẽ specie, uel quorum unum est diffinitum, uel descriptum, uel subiectum, & alterũ diffinitio, descriptio, uel accñs illius subiecti. Destructiue aũt ꝓbãtur ea esse diuersa quæ hoc mõ non se habent.

6.10.topic. Item si casus est idem casui & correspondens casus correspondenti. Item si duo sunt idem numero, eorum sunt eædem generationes & corruptiones, & si unũ alicui tertio accidit, & alterum, & si unum suscipit magis & minus, & alterũ, & si unũ est in uno ꝑdicamẽto, & alterum, & quod opponitur uni & alteri, & quod aufertur ab uno & ab altero. His & similibus regulis utimur in determinatione problematis de eodem, & diuerso quod ad problema de diffinitione reducitur.

His & similibus locis abundare est ualde utile cuilibet disputanti. 35

8.to. Si.n. tenet locũ opponẽtis sciet inuenire multa argumẽta ad propositũ ostendendũ. Non debet

8.topic. autẽ curare si semꝑ ꝓpositiones nõ sunt in omni sensu uerę cũ sit dialecticus & ex ꝓbabilibus procedat. Et debet conari trahere respondenẽ ad eã

partem

partē ad quā uel contra quā faciliter poteſt argumentari. Si autē tenet locū reſpōdentis erit ꝑ hæc loca idoneus ad diſtinguendū propoſitiones, & ad determinandū eas in ſenſu uero. Et erit cautus ne decipiatur in allegatione falſorū locoꝝ, in quare inde plenius inſtruetur in ſequēti libro. De ſyllogiſmo igitur dialectico, & de locis topicis hæc & tāta breuiť dicta ſint. Explicit liber nonus.

Poſtilla in librum nonum.

POſt ſyllogiſmū demonſtratiuū ſequitur ſyllogiſmus dialecticus, qui.ſ. eſt ꝓbabilis, de quo uolens auctor determinare in hoc libro quatuor facit. primo ꝓmittit quędā de arte dialectica ſeu inuentiua qua uerſatur circa hunc ſyllogiſmū, ſecundo agit de inſtrumento eius, tertio de locis communibus a quibus ſumuntur eius argumenta, quarto deſcēdit ad ſpecialia problemata, oſtēdens qūo debent terminari, quo ad primum, pręmiſſa utilitate huius artis in 1. cōcluſione, primo oſtendit quid propoſitio dialectica in 2. quid problema dialecticum in 3. & quomodo ex illis ſunt diſputationes in 4. hoꝝ eñ cognitio facit ad cognitionem ſyllogiſmi dialectici. ſecundo oſtēdit numeꝝ iſtoꝝ.ſ. problematum in 5. & propoſitionum in 6. ac reductionē ad unum in 7. & ne quis putaret in ſolis ſubſtātijs hęc inueniri, oſtendit in 8. q̄modo repiuntur ēt in accidētibus. tertio oſtendere uolēs cōitatem huius artis, pręmittit cōitatē eius problematis in 9. & deducit cōitatē eius in 10. & ne quis per hoc exiſtimaret eā ad omnē poſitionem ſe extendere, id remouet in 11. Quo ad ſecundum primo remouet inſtrumenta q̄ non fa-

ciunt ad propositum suum, quorum quędā sunt falsa instrumenta ad probādum.f.syllogismū falsigraphum, quem remouet in. 12. & litigiosum quem remouet in. 13. quædam sunt bona instrumenta sed non proprie huic arti.f. demonstratio, exemplum, & entimema, quæ remouet in quartadecima. 15. & 16. secundo assignat propria eius instrumenta. scilicet inductionem in decimaseptima, & syllogismum ex probabilibus in. 18. tertio ut possimus talibus syllogismis abundare tradit quatuor media seu instrumenta ad hoc deseruietia in. 19. & duas regulas, de modo procedendi, doces qua uia uti oportet in. 20. & quæ est facilior in. 21. Quo ad tertium, primo diffinit locū in 22. & in. 23. diuidit, per diffinitionem. n. & diuisionem res facile cognoscuntur, secūdo agit de locis cōmunibus ad omnia problemata, quorꝫ quędam sunt intrinseca de quibus in. 24. quædam extrinseca de quibus in. 25. & quædā media, de quibus in. 26. tertio subiungit regulam commune m ad omnia ista loca. in. 27. Quo ad quartum, iuxta numerum problematum in principio libri positorum.f. conclusione quinta, manifestat loca propria ad unumquodq;.i. ad problema accidentis, quod est communius, tam absolute in uigesimaoctaua, quàm comparatiue in uigesimanona, ad problema generis in trigesima. Differentiæ, in trigesima prima, proprij in trigesimasecunda, & diffinitionis, in trigesimatertia, & quia hæc problemata uariantur per idem & diuersum, ostēdit cōsequenter quomodo problema de eodē, & diuerso habet terminari, in trigesimaquarta, subiungēs in trigesimaquinta, q̄ sit utile abundare his locis,

De

DE SYLLOGISMO SOPHYSTICO LIBER DECIMUS.

1 *Disputatio est actus syllogisticus unius ad alterum, ad propositum ostendendum.* San.tho.de fal.c.2.

Actus syllogisticus dicitur quia disputatio est quidã actus cuius instrumentum est syllogismus. Vnius ad alterum dicitur, quia ad seipsum non est proprie disputatio.

2 *Disputatio doctrinalis est quæ procedit ex ueris, & per se notis, ad scientiam generandam.* Vbi sup.c.2 1.elen.c.2.

Et hæc dicitur etiam disputatio demonstratiua cuius instrumentum est demonstratio. Et uertitur inter addiscentem & docentem cuius finis est scientia.

3 *Disputatio dialectica est quæ procedit ex probabilibus ad opinionem generandam.* Vbi sup.

Instrumentum.n.eius est syllogismus dialecticus cuius finis est opinionem generare.

4 *Disputatio tentatiua est quæ procedit ex ijs quæ uidetur respondenti ad experimentum sumendum de eo.* Vbi sup.

Tentare.n.est experimentũ sumere de doctrina, uel uoluntate, uel potẽtia alterius. Huius igitur disputationis finis est tentatio uel experimentum.

5 *Disputatio sophystica est quæ procedit ex ijs quæ apparent uera uel probabilia & non sunt, ad gloriam acquirendam.* Vbi sup.

Arguit.n.ex falsis uel in uirtute falsarũ propositionũ uel etiã uerarũ in syllogismo sophystico peccãte in forma cuius finis ẽ gloria. Sophista.n. uult sapiens uideri, unde quęrit habere apparentẽ uictoriam

uictoriã ſupra aduerſariũ. Hoc autẽ cõſequitur ſi apparẽter ipſum deducat ad aliquod incõueniens quod uocatur meta ſeu terminus diſputationis. Et ſunt quinque metæ ad quas conatur ſophyſta adducere reſpondentem.

San. tho. de fal. c. 5. 1. elen. c. 3. *Quinque ſunt metæ ſophiſticæ.* 6

Prima eſt redargutio. i. præconceſſi negatio, ſi ue pnegati cõceſſio. Redargutus. n. dicitur, qui ui argumẽtationis negat in eadẽ diſputatione quod prius cõceſſerat uel affirmat quod prius negauerat. Secũda eſt falſum manifeſte, qñ. ſ. ui argumẽtatiõis cogitur manifeſte falſum rñdẽs cõcedere. Tertia eſt inopinabile, qñ. ſ. deducitur ad cõcedẽdum id quod eſt cõtrà cõem opinionẽ pluriũ, etiã ſi nõ ſit falſum, ut ad concedẽdũ aliquã ſtellã eſſe maiorẽ tota terra. Quarta eſt ſolecismus, qui eſt uitium in cõtextu partiũ oratiõis, ut uir alba. Quinta eſt nugatio. i. eiuſdem rei inutilis repetitio. Conatur enim ſophiſta deducere reſpondẽtem etiam ad ſolecismum, uel nugationem.

De fal. c. 7. *Ad locum ſophiſticum duo concurrunt, ſcilicet apparentia, & defectus.* 7

Ideo. n. ſophiſta dicitur, quia apparet & nõ exiſtit. Apparẽtia autẽ dicitur principiũ motiuũ, uel cauſa apparẽtiæ, quia mouet hominẽ ut aſſentiat ſyllogiſmo ſophiſtico. Defectus autẽ dicitur cauſa non exiſtentię, ſiue principiũ defectus, quia. ſ. facit defectũ neceſſitatis in ſyllogiſmo. Vñ etiã ſyllogiſmus ſohiſticus dicitur fallacia, qa eſt cauſa fallendi, ut in hoc ſyllogiſmo. Omnis canis currit, ſydus cœleſte eſt canis, ergo ſydus cœleſte currit. Cauſa apparẽtiæ uel principiũ motiuũ ad aſ-

sentiēdū syllogismo est unitas huius uocis canis. Causa uero nō existētie seu principiū defectus est multiplicitas significationis eius. Ista ergo apparentia aliquādo est ex parte dictiōis aliquādo ex parte rei. Vnde q̄dā dicūtur fallaciæ in dictione quędā extra dictionē. Sed hoc erit manifestū in sequentibus incipiendo ab ijs quæ sunt in dictione quę sunt sex. s. Aequiuocatio. Amphibologia. Accētus. Cōpositio. Diuisio. Et figura dictionis. *Vbi sup. c. 8.*

8 *Fallacia æquiuocationis est deceptio proueniens ex eo quod unum nomen plura significat.* *Elen. c. 3. Vbi sup. c. 6. De fal. c. 9.*

Principium ergo motiuū est unitas dictionis simpliciter. Dico autē simpliciter ad differētiā accentus, quia in eadē uoce facit q̄ illa uox nō sit eadem dictio simpliciter. Principiū autē defectus ē diuersitas rerū significatarū. Et fit tripliciter. Primo q̄n una dictio plura significat principaliter, ut hęc dictio canis. Et sic formatur paralogismus .i. apparēs syllogismus. Omnis canis est latrabilis, sydus cœleste est canis, ergo sydus cœleste est latrabile. Secundo q̄n una dictio unū principaliter significat, & aliud metaphorice uel trāsumptiue, uel per posterius, & formatur sic. Quicquid ridet habet os, pratum ridet, ergo pratū habet os. Vel omne sanū habet uitā, urina ē sana, ergo urina habet uitā. In præpositionibus quoq; inuenitur hæc multiplicitas ut si dicitur. In quocunq; est sanitas ipsum est animal, sed in adæquatione humorꝫ est sanitas, ergo adęquatio humorꝫ est animal. Nā hæc ꝓpositio in, in prima significat habitudinem accidentis ad subiectum, in secūda uero habitudinē effectus ad causam. Tertio q̄n diuersitas significationis ꝓcedit ex accidētibus partium

orationis. Vt secundum tempus, uel secu͂m numerum, uel aliter, ut dicēdo. Quicquid surgebat, stat, sed sedens surgebat, ergo sedens stat. Non sequitur, quia in minore participium sumitur in præterito imperfecto ut intelligatur sedēs idest ille qui erat sedens & in conclusione sumitur in presenti. In omnibus ergo unitas dictionis est causa apparentiæ, & diuersitas significatorum causa non existentiæ.

Vbi sup. *Fallacia amphibologiæ, est decæptio prouenie͂s ex eo* 9
De fal. c. 10. *quòd una oratio penitus eadem plura significat.*

Dicitur autē penitus eadē ad differētiā orōnis q̄ potest esse cōposita & diuisa, q̄ nō est penitus eadē ut statim dicemus post hęc. Vnitas ergo dictionis est principiu͂ motiuu͂. Principiu͂ autē defectus est diuersitas significatorum. Et tripliciter fit. Primo quādo una oratio plura significat principaliter manēte eadā cōstructione, ut quicquid est Aristotelis est possessum ab Aristotele, iste liber est Aristotelis, ergo iste liber est possessus ab Aristotele. Scdo qn̄ plura significat orō propter diuersam cōstructionē partiu͂. s. transitiuā, uel intrā sitiuā. Vt quicunq; sunt episcopi sunt homines, sed isti asini sunt episcopi, ergo isti asini sunt homines. Tertio qn̄ una oratio unu͂ principaliter significat, & alteru͂ trāsumptiue. Vt qn̄cunq; litus aratur terra scinditur, sed qn̄ indocilis docetur litus aratur, ergo qn̄ indocilis docetur terra scinditur. Nullus istorum syllogismoru͂ est bonus propter diuersitatem significatorum.

Vbi sup. c. 11 12, 13, 14. *Fallacia cōpositionis & diuisionis est decæptio prouenie͂s ex multiplicitate potentiali unius orationis.* 10

dictiones

Dicitur autē oratio multiplex potētialiter qñ dictiones quæ sunt in ea possunt componi diuersimode ad inuicem. Vt quicquid uiuit semp erit. Potest hæc dictio semper componi cum hoc uerbo uiuit, & potest ab eo diuidi & componi cum hoc uerbo erit, & per hoc longe diuersam habebit significationem a prima. Causa ergo apparentiæ est unitas orationis potentialis, causa uero non existētię est multiplicitas significationis. Et tunc est fallacia compositionis, quādo oratio illa est falsa in sensu composito, quando autem est falsa in sensu diuiso est fallacia diuisionis, si autem in utroq; sensu est falsa, nulla est fallacia. Et fit etiam tripliciter. Primo quando aliquod dictum potest supponere uerbo ratione sui ipsius & ratione suæ partis. Et fit in ꝑpositionibus modalibus. Vt quemcunq; est possibile esse album possibile est ꝙ sit albus, sed nigrum possibile est esse albū, ergo possibile est quòd niger sit albus. Si enim in minore illud dictum nigrum esse album supponat ei ꝙ est esse possibile ratione subiecti, tunc est modalis de re, & est in sensu diuiso & uera, & sensus est quòd ille qui est niger habet potentiam ut sit albus. Si autem supponat ratione sui idest ratione totius, tunc est modalis de dicto, & composita & falsa, significat enim quòd hoc dictum est possibile nigrū est albū, unde hæc est fallacia cōpositionis. Secūdo qñ ꝑdicatū in quo ꝑ cōiunctionē copulatiuā uel disiunctiuā plura adunātur pōt attribui subiecto coniūctim uel diuisim, qa si cōiunctim attribuitur, tūc est in sensu cōposito, si autē diuisim tūc est in sensu diuiso. Vt q̄cunq; sunt duo & tria, sunt duo; sed quinq; sunt duo &

tria,ergo q̄nq; sunt duo. Tertia q̄n una dictio potest cõiungi diuersis dictionibus in locutione positis. Et q̄n cõiungitur cũ dictione cui magis apparet apta cõiungi, est cõposita, aliter est diuisa. Vt q̄cq̄d uiuit semp erit, sed asinus uiuit, ergo asinus semp erit. Et nota q̄ obliq & aduerbia magis uidẽtur determinare uerbũ q̄ pticipiũ, & magis uerbũ principale q̄ secundarium. Igitur q̄n cõpositio est falsa, ẽ fallacia cõpositiõis. Q̄n uero diuisio ẽ falsa, ẽ fallacia diuisionis sicut dictum est.

Vbi sup.c.15 *Fallacia accẽtus est decæptio proueniẽs ex eo q̄, aliqua dictio diuersimode pronũciata diuersa significat.* 12

Principiũ motiuũ est unitas materialis dictionis principiũ autẽ defectus est diuersitas significatiõis ex diuersa pnũciatiõe pcedẽs. Et fit q̄druppliciter. Primo scd'm diuersos accẽtus, q sunt tres.s. acutus grauis, & circũflexus. Vt quoscunq; iustũ est pẽdere iustũ & pati pœnã. Sed iustũ ẽ bonos uiros pẽdere, ergo iustũ ẽ bonos uiros pati pœnã. Scd'o ex pductiõe uel correptiõe syllabę, ut omnis populus est arbor, aliqua gens est populus, ergo aliqua gens est arbor. Tertio ex lenitate uel asperitate syllabę, ut q̄cquid hamatur hamo capitur sed uinum amatur, ergo uinũ hamo capitur. Quarto ex eo q̄ una dictio põt pnunciari ut una uel plures, ut tu es qui es, sed quies est requies, ergo tu es requies. Denominatur aũt hęc fallacia ab accentu tanq̄ a prima & principali specie eius.

Vbi sup.c.16 *Fallacia figuræ dictionis est decæptio proueniẽs ex eo q̄, aliqua dictio similis alteri dictioni uidetur habere eundem modum significãdi cũ tamen non habeat.* 13

Causa apparentiæ est similitudo unius dictionis cum

nis cum alia. Cã uero nõ existentię est diuersus modus sigñandi. Et triplicit' fit. Pri° ex eo ꝙ aliq̃ dictio q̃ significat masculinu3 sumit' ad significandũ fœminiu3 uel neutrũ, uel cõe, & econuerso, ut q̃cunq; colorantur albedine sunt alba, sed catilina coloratur albedine, ergo catilina est alba. Secundo ex eo ꝙ una dictio q̃ significat per modu3 unius p̃dicamenti uidetur significare p modũ alterius, ut quicqd heri uidisti hodie uides, sed heri uidisti albũ, ergo hodie uides albu3, mutatur. n. quid in quale. Tertio ex eo ꝙ dictio q̃ significat quale qd. i. naturã cõem uidetur significare hoc aliquid propter similitudinẽ q̃ h3 commune cu3 singularibus, ut Sortes est alt' ab homine, sed Sortes est hõ, ergo Sortes est, alter a seipso. Et ad hunc modũ omnis deceptio reducit' q̃ prouẽit ex uaria suppositiõe terminoꝝ. Vt ãt hoc melius cognoscat' aliquid in hoc loco de suppositiõibus dicemus.

13 *Suppositio & significatio differunt.* *3. sen. d. 6. q. 1. ar. 3.*

Significare. n. est aliquid intellectui repræsentare, unaquęq; ãt res seipsa3 rep̃sentat, & ideo unaquæq; uox significatiua aliqualiter duo significat. v3. seipsã & hoc significatum dicitur materiale, & illud ad ꝙ significandũ est imposita, & hoc dr̃ significatu3 formale, ꝙ aliqñ est principale, & aliqñ est secundariũ. Vt hæc uox hõ materialiter seipsa3 rep̃sentat, formaliter ãt significat naturã humana3 scd'm se. i. hominẽ, & hoc est eius significatu3 principale, ex consequenti aũt & secundario significat Sorte3 uel Platonem, quia hõ nõ põt esse nisi in singularibus hominibus. Hoc igitur est significare. Supponere aũt est determinare dictione3 ad aliq̃d istoꝝ significatoꝝ, uel ẽt ad plura, & hoc non fit nisi in ꝑpositione. Vbi grã. hæc uox homo potest determinari ad significatum mate-

riale, ut cu3 dicitur hō est nomen, & tunc stat uel supponit materialiter, uel ad significatū formale principale. i. ad naturā humana3, & si determinať ad ipsa3 prout est in intellectu, ut cu3 dico hō est spēs, tūc supponit pro ipsa natura hūa inq̄tu3 est intellecta q̄ et suppositionē qdam uocāt materialē. Si āt determinatur ad ipsa3 scd'm se, ut cum dico hō est animal rationale, tunc supponit pro natura hūa simplr. Q̄ suppositionē quidā uocant simplicē. Si āt determinatur ad ipsa3 ꝑut est in indiuiduis, ut cum dico hō currit hanc suppositione3 quidā uocant ꝑsonale3. Si aūt determinať ad ipsam prout est in uno determinato solo indiuiduo, tūc supponit pro illo tm̄, ut cū dicitur, iste hō currit. Et dr̄ hæc suppositio discreta. Si aūt determinatur ad ipsam ꝑut est in aliq̄ indiuiduo non determinando q̄ sit illud, tunc supponit pro aliquo particulari, ut aliquis homo est albus, & hanc uocāt qdam suppositione3 determinatam. Si autem determinatur ad ipsam prout est in omnibus indiuiduis negando uel affirmando, tunc supponit pro omnibus, ut omnis homo currit, & suppositio hęc dicitur distributiua. Si autem determinatur ad ipsam, prout est in indiuiduis, nō explicādo an sit in omnibus uel in pluribus, uel in aliq̄ determinate, tunc supponit ꝑ indiuiduis confusæ accæptis, ut cū dico, homines morientur in bello, & dr̄ suppositio cōfusa. Et si possumus ab illa confusione ad aliq̄d determinatu3 suppositum descendere, tunc dr̄ supponere cōfuse & mobiliter, ut in prędicto exemplo. Na3 uel isti morienť in bello, uel illi. Si autem non possumus descendere, tunc supponit immobiliter, ut isti homines sunt duodecim. Non. n. licet descendere ad aliquē ipsoꝝ & dicere uel iste est 12. uel iste. Ecce ergo patet quid est

supponere

ſupponere, & qualiter differunt ſupponere & ſignificare. Nam in omnibus propoſitiõibus deſcriptis homo ſemper idem ſignificat, non. n. uariat ſignificatum terminus cum ponitur in propoſitione, imo ut dicit Ariſtoteles in libro perihermenias, nomina & ṽba transpoſita idem ſignificant. Sed tamen homo non eodem modo ſupponit in omnibus.

4 *Suppoſitio cognoſcitur ex cõi modo loquendi hominum.* 2.topi. c.5.

Loqui enim debemus ut plures loquuntur teſte Ariſtotele in ſecundo topicorum. Sicut ergo uoces ſignificant ad placitum, ita etiam ad placitum ſupponunt in propoſitionibus. Et ideo ſicut conformes debemus eſſe in ſignificato ſi uolumus inuicem nobis exprimere conceptus noſtros, ita debemus eſſe conformes in ſuppoſitione terminorum. Aliter non poterimus inuicẽ diſputare. Regula ergo generalis erit, quod terminus in propoſitiõe ſupponit, & determinatur ad illud ſignificatum, uel ad illum modum ſignificandi quem ſequuntur cõiter homines, uel ſi ſumus in aliqua ſciẽtia, quẽ ſequunẽ cõiter ſapientes in illa. Q; ſi æqualiter duos ſenſus ſequantur, uel plures, propoſitio tunc erit multiplex & diſtinguenda. Verbi gratia, cum dicitur, denarium tibi promitto, quia intentio loquentium non reſpicit aliquem denarium particularem, ſed in confuſo de denario loquuntur, idcirco ille terminus denarium in hac propoſitione ſiue pręponatur uerbo ſiue poſtponatur ſupponit formaliter & confuſe. Si quis ergo hanc regulam tenuerit non obligando ſe ad regulas ſophiſtarum quas ponunt & nunquam probant, euadet multas terminorum inuolutiones, & argumenta eorum ſophiſtica faciliter ſoluet.

De fal. Vbi s. *Ex uaria suppositione terminorũ, frequenter fit fallacia figuræ dictionis.* 15

Vt cum dr̃ homo est spẽs, Sortes est homo, ergo Sortes est species, homo em̃ in prima determinat̃ ad naturam humanã prout est in intellectu, in scd'a ṽo ad natura3 humanã prout est in singulari.i. in sorte. Similiter si dicatur. Mus rodit caseu3, sed mus est syllaba, ergo syllaba rodit caseu3. Hec.n. fallacia fit maxime ex uariatione suppositiõis materialis & p̃sonalis. Solent ẽt sophystæ ex diuersa expositione terminorum multas decæptiones formare, idcirco anteq̃ trãseamus ad fallacias extra dictionem aliquid de probationibus uel expositionibus terminorum subiungendum puto.

2.topi. c.2. *In expositionibus uel declarationibus terminorũ sequendus est usus loquentium.* 16

Non est.n. inconueniẽs imo est necessarium si uolumus cu3 alijs hominibus sociari sequi cõem usum loquendi, uerum debemus sapere ut pauciores. Igitur ꝓpositione quacunq; proposita, si non intelligimus quid significat quærendũ erit a grãmaticis potiusq̃ a logicis quid ipsa significet. Si ãt intelligimus eam non erit aliter exponenda q̃ significet scd'm cõe3 loquendi usum hominum. Si ergo unum significat inuestigandu3 erit si est uera uel falsa. Si autem plura, distinguenda erit in quo sensu accipiatur. Et si fit paralogismus soluendus erit ut dictum est in fallacijs p̃cedentibus. Si quis igitur teneat hunc modũ, nõ indigebit tot regulis quot multi fecerunt, & non probauerũt, nec inuoluet in obscuritate infinitorum terminorum q̃ magis confundit intellectũ q̃ ædificet. Nec cogetur concedere multa inconuenientia, ut non dicã impossibilia

impoſsibilia & abſurda, q̃ quidã adeo uenerant ut putent e cœlo ea deſcendiſſe, ut eſt, ego ſum ſcientior te & Deo, Sortes qui non eſt melior Deo, melior eſt omni ente. Et tu es callidiſsimus omniũ hominũ & frigidiſsimus omniũ hominũ. Et alia multa ſimilia q̃ coguntur concedere propter hoc quod ſe ogligauerunt ad quaſdã regulas expoſitionum abſque ulla ratione, ſequentes uel propriã uoluntatem, uel pueriſã conſuetudinẽ ſophiſtarũ, & importunitatem, qui eos qui hæc non ſequũtur reputant rudes, non intelligẽtes ſeſe eſſe magis incipientes qui ſequũtur doctrinam uanã abſq; nulla ratione inuentã. Item ẽt ſophiſtę ſolent decipere ex obligatione q̃rundã caſuũ, de qua etiã quid ſit ſentiendum dicamus.

17 *Omnis caſus poſsibilis factus in principio diſputationis eſt admittendus.*

Quia non eſt timendum de impoſsibili, eo quod ex poſsibili, ideo ſequitur impoſsibile ut dictum fuit in concluſione duodecima ſexti libri. Cum igitur ad hoc poſſibile fueris obligatus, tunc a te etiam concedendũ erit quodcunq; ſequitur ex illo quia etiam illud quod ſequitur nõ poterit eſſe impoſſibile p̃ regulam dictam. Si aũt non ſequitur, ſed uideatur ſequi p̃ aliquẽ p̃alogiſmũ uel litigioſum ſyllogiſmum, tunc ſoluere debes per regulas quas tradimus de fallacijs. Caue autem ne conceſſo uel admiſſo poſsibili infra tempus obligationis tue aliquod ſibi repugnans iterum cõcedas, etiam ſi ſecundum ſe ſit poſsibile, quia non eſt poſsibile ſtante caſu immo impoſsibile, cũ duo cõtradictoria non poſsint eſſe ſimul. Si ãt proponitur poſt caſum admiſſum aliquod impertinens ad ip̃m rñdendum erit ſecundũ exigentiam imper-

tinentis. Vt si est falsū negandū est, si uerū uel neciuз cōcedendū, si possibile est admittendū. Et breuiť facto casu debes rńdere ac si ita eēt in re sicut casus ponit. Vt si ponať tibi casus ꝙ tu es in coelo beatus, admittať libenť. Deinde si ꝓponať ꝙ tu es immortalis cōcedať stāte casu: quia sequiť ex posito. Si postea ꝓponať: tu nō uides deū uel tu morieris, negetur. Si dř, hoc est uerū, dicēduз est ꝙ stāte casu est falsum, & impossibile. Si āt ponať, rex est in solio, admittať qa est imptinens & possibile, & nō repugnat posito. Hoc igř mō rńdendo in casu, ac si ita se res hērent sicut casus possibilis ponit, nullum impossibile cogeris cōcedere: & solues palogismos sophistarū. Et quia etiā ex insolubilibus qbusdaз ꝓpositionibus multos decipiunt de ipsis quoq; aliquid tractandū est breuiť.

Insolubile ꝓpositum, nec est concedendū nec negādum. 18

Insolubile est ꝓpositio seipsaз destruens. Quia si dř ꝙ est uera, sequiť ꝙ sit falsa: & si dř quod est falsa: sequiť ꝙ est uera. Vt si ponatur, ꝙ soluз sit in mundo ista ꝓpositio. Omnis propositio est falsa. S.n. dř ꝙ est uera, ergo ueruз est ꝙ ipsa ꝓnūciat. Igitur uerū est ꝙ omnis ꝓpositio est falsa: sed non est alia in mūdo nisi ista, ergo ista est falsa, quod est contra positū quia dicebatur quod erat uera. Si auteз dicitur quod est falsa, ergo falsum pronunciat, falsum est ergo quod omnis propositio sit falsa. Igitur aliqua est uera. Sed nulla est in mundo nisi ista: ergo ista est uera ꝙ ē cōtra positū. Hoc igiť dicimus insolubile. Quia ergo destruit seipsaз nō pōt cōcedi nec negari. Silř si fiat hæc ꝓpositio hoc est falsuз, posito ꝙ ꝑ subiectū demōstreť ipsamet propositio. Si ergo ponatur ꝙ est ūa, ergo pronunciat uerū, sed pronūciat ꝙ ipa est falsa, igitur ipsa est falsa, ꝙ est cōtra positū. Si āt ponať

quod

quod est falsa, igitur pronũciat falsũ; sed ipsa pronũciat seipsam esse falsã, nõ est igitur uerũ q ipsa sit falsa, est ergo ũa, quod est contra positũ. Itaq; non põt concedi q sit uera nec q sit falsa. His igitur & hmõi propositionibus: si uolumus faciliter euadere importunitates sophisticarũ rñdendu; est cum proponunt quod nec sunt uerae nec sunt falsae. Et si dr̃ omnis propositio est uera uel falsa, dicendu; est quod non sunt ꝓpositiones. Nã diffinitio ꝓpositiõis q̃ est oratio uera uel falsa, non cõpetit eis in ueritate. Hñt tñ figuram propositionũ. Sicut hõ mortuus hẽt figura; & similitudinẽ hominis, nõ tñ est hõ. Ita ergo & hæ dicunt propositiones destruentes seipsas, uel insolubiles, non tñ propositiones simplicit', sicut nec hõ mortuus est hõ. Cum proponitur igitur casus q illa sit sola in mundo. Omnis propositio est falsa. Vel quod subiectum illius, hoc est falsum, demonstret ipsamet propositionem uel aliquid huiusmodi, admittatur. Sed cum postea quæritur, an sit uera uel falsa respondeatur quod nec est uera nec falsa, nec propositio, sed est ꝓpositio insolubilis. Et puto q nihil amplius poterunt efficacit' argumẽtari, & sic facilit' claudent linguę importunę. Et de fallacijs in dictiõe tanta sint dicta. Nunc igitur ꝓcedamus ad determinandũ de fallacijs extra dictionẽ, in qbus cã appentię est ex eo q aliquæ res aliquo modo conuenientes & aliquo mõ drñtes accipiũtur ut eædem simpliciter, uel diuersę, ut patebit in processu. Sunt autẽ septem quas ponemus per ordinem.

19 *Fallacia accidẽtis est deceptio ꝓueniens ex eo q aliquid significatur similiter inesse subiecto et accidẽti, uel similiter utriq; eorũ quæ aliqualiter sunt per accidens unum.* 1. elen. c. 4.

De fal.

Quędam.n. ſunt unum ꝑ ſe:& nullo mō ꝑ accn̄s: ut ueſtis & indumentū: q̄da; aūt per accn̄s & nullo mō ꝑ ſe:ut albū & hō:q̄da; ṽo medio modo ſe hn̄t: quia unū eſt in ratione alterius,ſed tn̄ non ſunt omnino eade;,ut ſupius & inferius,ſicut eſt homo & animal:& ſimiliter ſpecies & ꝓpriu;.Fallacia ergo accidentis contingit in ĳs q̄ ſunt ꝑ accn̄s ſiue omnino, ſiue aliqualiter.Cā aūt apparentię eſt unitas uel identitas q̄da; eoꝝ quę ꝑ accn̄s coniunguñt.Cā aūt non exiſtentiæ eſt diuerſitas eorunde;,quia attribuit̄ uni aliquid ſcd'm ꝙ eſt diuerſum ab altero,& non ſcd'm quod eſt ide; illi. Et tripliciter fit.Primo ex eo quod proceditur ab accidente ad ſubiectum, uel econuerſo. Vt cognoſco corriſcum & corriſcus eſt ueniens, ergo cognoſco uenientem. Non.n.corriſcus ſubiacet cognitioni ſecundum ꝙ eſt ide; uenienti.Similiter ſi dicatur.Hic canis eſt pater,& eſt tuus,ergo eſt pater tuus. Secundo ex eo ꝙ illud quod conuenit ſuperiori concluditur etiam de inferiori uel econuerſo. Vt homo eſt animal et animal eſt gēus, ergo hō eſt genus. Quod.n. uerificat̄ de inferiori uel de ſupiori ſcd'm ꝙ unu; eſt idem alteri,neceſſe eſt de altero ēt ṽificari, non aūt ſi uerificetur ſcd'm ꝙ ſunt diuerſa. Tertio qn̄ proceditur a ſpē ad proprium,& econuerſo. Vt riſibile eſt proprium,riſibile aūt eſt hō,ergo hō eſt propriū. De riſibili.n. ṽificatur ꝓpriū ſcd'm ꝙ riſibile differt ab hōine. Non eſt āt inconueniēs ſi iſti ꝑalogi ſmi peccant ꝑ fallacia; figuræ dictionis, quia ꝑ eam peccant ſcd'm ꝙ decæptio prouenit a ſimilitudine dictionis,ſcd'm ṽo ꝙ peccant ex cōuenientia reꝝ ſunt in hac fallacia. In propoſitionibus quoq; hypotheticis fiunt paralogiſmi ſi mediu; diuerſimode capiat̄. Vt ſi nullum tempus eſt, dies non eſt,& ſi dies non

est nox est, ꝑ locū a cōtrarijs immediatis. Si aūt nox est, aliquod tp̄s est. Ergo a primo ad ultimū, si nullū tp̄s est, aliquod tp̄s est. Nō sequitur, qa mediū diuersimode capitur. Hæc.n. ꝓpositio nox est, supposito ꝙ nullū tp̄s sit nō sequitur ex hac, dies nō est, sed solum seq̄tur ex ea supposito ꝙ aliquod tēpus sit. Hæc ergo ꝓpositio dies nō est prout est cōsequēs primæ cōsequentiæ, nullā habet habitudinē ad istā, nox est nec infert eā. Si autē ex ipsa uis illā inferre, ut fit in secunda cōseq̄uētia, iam oportet supponere aliquod tēpus eē. Et sic nō erit eadē in añcedēte secūdę cōditionalis quæ fuit in consequente primæ. Oportet igitur subtiliter intueri diuersitatē reꝝ qa hæc fallacia decipit, etiam sapientes & exercitatos in dialectica.

Fallacia secundum quid & simpliciter est deceptio proueniens ex eo q̄ dictum secundum quid sumitur ac si esset dictum simpliciter. 2.elen.ca.5. de fal.c.21.

Simpliciter hic sumitur qđ nullo addito dicitur, ut cū dr̄, Sortes est albus. Secundū q̄d uero quod aliquo addito dr̄, ut Sortes est albus dente. Verū ad faciendum fallaciā req̄ritur ꝙ hoc additū diminuat de rōne eius cui additur. Nā nulla est fallacia si dr̄, Sortes currit bene ergo currit. Cā apparētiæ est cōueniētia dicti scđm q̄d ad dictū simpliciter. Cā uero non existētię est diuersitas eorundē. Et fit quinq; modis. Primo q̄n determinatio addita habet oppositionem ad id cui additur, ut Sortes est hō mortuus, ergo est hō. Scđo q̄n determinatio ꝑtinet ad aliquē actū animæ, ut Cæsar est in memoria hominū, ergo est. Tertio q̄n significat aliq̄d esse in potētia, ut ouū est animal in potentia, ergo est animal. Quarto q̄n significat ꝑtem. Vt æthiops est albus dēte, ergo est albus,

nisi forte illa pars denominaret totum, ut crispitudo in capillis. Quinto quando cogit terminum stare materialiter cui additur, ut sapiens uult permittere malum, ergo uult malum.

Vbi sup. De fal. c. 23. *Fallacia secundum ignorantiam elenchi, est deceptio proueniens ex eo quod non obseruantur ea quae sunt necessaria ad diffinitionem elenchi & praecipue in partibus contradictionis.* 21

Elenchus. n. est syllogismus cōtradictionis, quia concludit contradictorium propositionis primo datae, uel primo propositae. Ad contradictionē autem requiritur quod sit oppositio, unius & eiusdem, ad idem secundum idem similiter, & in eodē tempore. Causa igitur apparentiae est similitudo diffinitionis deficiētis datae de cōtradictione ad diffinitionē eius pfectā. Principiū uero defectus est diuersitas eorundem. Et intendit ducere ad contradictionē, siue per uerū, siue per falsum syllogismū, & siue ad uerā siue ad apparentē cōtradictionē. Et fit quadrupliciter. Primo cōtra hanc pticulā ad idē sic. Duo sunt duplū ad unū, & nō sunt duplū ad tria, ergo sunt duplum & nō duplum. Secūdo cōtra hāc. Secundū idē sic. Hoc est duplum secundū longitudinē ad id, & nō est duplū ad id secundū latitudinē, ergo est duplū, & non duplū. Tertio cōtra hanc similiter sic. Coelū mouetur circulariter, & nō mouetur sursum & deorsum, ergo mouetur, & nō mouetur. Quarto cōtra hanc. In eodem tpe sic. Domus est clausa in aliquo tpe, & in alio nō est clausa, ergo est clausa & nō clausa. Differt aūt fallacia hęc a fallacia scdm qd & simpliciter, qa determinatio ibi diminuit, nō autē hic ex necessitate.

Vbi sup. *Fallacia petionis principij est deceptio proueniens ex* 22 eo quod

eo quod idem sumitur ad probationem sui ipsius sub alio uocabulo. *de fal. 25.*

Principium hic dicitur principale propositũ qđ ẽ probandũ. Et tũc aliqs petit principiũ: qñ petit sibi cõcedi principale ꝓpositũ qđ debet probare: Principiũ motiuũ est diuersitas cõclusionis a p̃missis q̃ ẽ ex ꝑte nominũ tantũ. Principiũ uero defectus est cõuenictia eorũdẽ. & fit qnq; modis. Primo qñ diffinitio petitur ad probationẽ diffiniti: uel econuerso: qñ utrunq; similiter dubitatur: uel utrũq; ẽ similiter notum. Vt animal rõnale currit ergo hõ currit. In demonstrationibus autẽ q̃uis pro medio sumatur diffinitio: nõ tñ petitur principiũ, qa nõ similiter dubitãtur p̃missæ & cõclusio: nec ꝓpositiones sunt similiter notę. Secũdo qñ uniuersale petitur ad ꝓbationẽ ꝑticularis, Tertio qñ omnia singularia petuntur ad ꝓbationẽ uniuersalis. Quarto qñ diuisim petitur qđ debet probari cõiunctim. Vt medicina est sciẽtia sani: & est scientia ægri: ergo est scientia sani, & ægri. Quinto qñ unũ relatiuũ sumitur ad ꝓbandũ alterũ. Ergo hęc fallacia nõ est cõtra illationẽ: sed quia idẽ petitur ad sui ipsius probationẽ fit fallacia.

23 *Fallacia consequentis est deceptio proueniens ex eo q̃ consequens æstimatur omnino idem antecedenti.* *Vbi sup. de fal. c. 26.*

Principiũ motiuũ est cõueniẽtia antecedẽtis cum consequente. Principiũ autem defectus est diuersitas eorundem. Et dupliciter fit. Primo ex consecutione magis cõmunis ad minus cõmune: ut si arguatur. Si aliqs est asinus ille est animal: sed tu es animal: ergo tu es asinus. Secũdo quãdo proceditur a consequentia unius oppositi: ad cõsequentiam similem in alio opposito: ut si quid est generatũ habet principium:

sed anima non est generata quia est creata: ergo anima nõ habet principiũ. Hæc.n. argumentatio cõmuniter uocatur cõsequẽtia in ipso. Dico autẽ consequẽtiã in ipso qñ ab opposito antecedẽtis proceditur ad oppositũ cõsequẽtis, q̃ quidem cõsequẽtia nihil ualet in cõtradictorijs.i. qñ sumitur cõtradictoriũ tam antecedẽtis q̃ cõsequentis: & proceditur ab opposito antecedẽtis ad oppositũ cõsequentis. Cõsequẽtia autem in cõtrario dr: qñ pceditur ab opposito consequẽtis ad oppositũ antecedentis & hæc tenet. Si aũt hi paralogismi fierent in ppositionibus cathegoricis esset fallacia accidẽtis. Vt si dicatur. Asinus est animal: tu es animal: ergo tu es asinus. Vel omne generatũ habet principiũ, sed anima nõ ẽ gñata: ergo anima nõ hẽt principiũ. Et hoc patet p. 19. conclusionẽ quia est fallacia in secũdo modo fallaciæ accidentis.

Vbi sup. *Fallacia secundũ non causam ut causam est deceptio pro* 24
De fal. 28. *ueniẽs ex eo q̃ in præmissis ex quibus cõclusio sequitur ponitur aliqua propositio quæ nihil ad cõclusionẽ opatur.*

Causa hic dicitur id quod est cã in inferendo, sicut pręmissæ sunt cã conclusionis. Et nõ fit hæc fallacia nisi in syllogismis ducẽtibus ad impossibile ex eo.s. q̃ in præmissis assumitur aliqua ppositio q̃ non est causa cõclusionis deductæ. & postea a falsitate conclusionis cõuersio fit ad illã propositionẽ imptinentem, & cõcluditur q̃ est falsa quia cõclusio est falsa. Sed hoc nõ sequitur si ex illa ppositione nõ sequebatur conclusio. In syllogismis.n. ostensiuis ex impertinentibus propositionibus cũ præmissis accæptis non deducitur ad incõueniens rñdens, si cõclusio ex præmissis sequatur, nisi fiat illa reflexio q̃ dicta est. Et formatur uno modo solum sic paralogismus. Putas ne

tas ne anima & uita sint idem? Quo dato sic proceditur. Vita & mors sunt contraria, sed generatio & corruptio sunt contraria, & mors est corruptio, ergo uita est generatio, ergo uiuere ē generari. Sed hoc est impossibile quia q̄ uiuūt non gn̄antur, sed generata sunt. ergo primū est impossibile quod est. Anima & uita sunt idē.. Sed hoc non sequitur, quia ex illa prima non fuit deducta conclusio. Nā ea etiam remota sequeretur cōclusio, sed debuerat dicere. Ergo ista est falsa, mors & uita sunt contraria, ex qua sequuta est. Non enim sunt cōtraria, sed priuatiue opposita. Causa ergo apparentiæ est conueniētia ꝓpositionis quę non est causa conclusionis cum illis quæ sunt causa. Causa autem non existentiæ est defectus habitudinis debitę inter propositionē inferentem & illatam.

25 *Fallacia secundum plures interrogationes ut unam, est deceptio proueniens ex eo q; ad interrogationem quæ est plures, quia sub uno modo interrogandi proponitur, datur una responsio.* *Vbi sup. fal. c. 29.*

Interrogatio. n. & enunciatio, & propositio, & conclusio, solum differunt ratione. Igitur enunciatio plures est illa in qua unum de pluribus uel plura de uno enunciātur ex quibus pluribus non fit unum ꝑ se. Et hoc modo etiam dr̄ interrogatio plures. Principium motiuū est unitas ex parte modi interrogādi. Principium defectus est pluralitas interrogationis. Et fit dupliciter. Primo in singulari numero sic. Putas ne homo & asinus est animal rationale, si dicitur est, postea subinfertur. Ergo asinus est animal rationale. Si dicitur non, subiungitur. Ergo homo non est animal rationale. Secūdo in plurali sic. Putas ne mel & fel sunt dulcia, Si dicitur sunt, subinfertur. Ergo fel est dulce.

est dulce. Si dicitur non, subiungitur. Ergo mel non est dulce. Non ergo istis interrogationibus est danda una responsio. De syllogismis ergo tam cathegoricis q̃ hypotheticis & sophysticis, & de principijs, eorũ q̃tũ ptinet ad introductionẽ incipiẽtiũ satis dictum puto. Regi sæculorũ immortali inuisibili soli Deo honor & gloria in secula seculorum. Amen.

Explicit liber decimus & ultimus.

Postilla in decimum librum, qui est de syllogismo sophistico.

QVia non sufficit scire modũ arguẽdi pro ueritate inquirenda; qui fit per syllogismũ demonstratiuum, & sophisticum, nisi, & sophistarum fallacias uitare sciamus, conuenienter agit auctor de syllogismo sophistico post demonstratiuũ & dialecticum, hoc ordine. Quia primo præmittit quædam quasi præambula, secundo agit de fallacijs in dictione, quæ sunt primæ fallaciæ, tertio agit de fallacijs extra dictionem, ad has.n. omnes fallaciæ reducuntur. Quo ad primũ, ostendit primo quid sit disputatio in cõmuni in.1.cõclusione. secundo supposita eius diuisione declarat singulas eius species usq; ad sophisticã de qua intẽdit, in.2.3.4.&.5. & quia disputatio sophistica intendit ducere respondentẽ ad aliquã metã ondit tertio quot sunt hmõi metæ in.6. subiungens in.7. quæ requiruntur ad locũ sophisticũ, a quo sumit argumẽta. Quo ad secundũ agit primo de fallacijs in dictione quæ sunt quinq;, ab octaua usque ad 12. quæ patent in litera. secundo quia ad ultimã dictarũ reducuntur fallaciæ ex uaria suppositione per-

uenientes, agit breuiter de ſuppoſitione, declarando quid ſit per comparationẽ ad ſignificationem, in. 13. quomodo cognoſcitur in. 14. & q̄ fallacia fit ex uaria ſuppoſitione in. 15. tertio ſubiũgit tres regulas circa declarationẽ terminorũ ex quorũ uaria expoſitione ſolene ſophiſtæ multas decæptiones formare, prima eſt quomodo exponẽdi ſunt termini in. 16. ſecunda de caſu poſſibili in. 17. tertia de inſolubili in. 18. Quo ad tertium agit de fallacijs extra dictionẽ quæ ſunt ſeptem, a. 19. uſque ad finem libri. nec refert quo modo ordinentur.

REGISTRVM.

a b c D e f g h i k l m n o p q r ſ t u x y & z. A B C D E F G H I K L M N O P Q R S. aa bb cc dd ee ff gg hh ii kk ll mm nn oo.

Omnes ſunt quaterni præter P qui eſt duernus.

Venetijs expenſis hæredum Lucæ Antonij Iuntæ Menſe Nouembr.

M. D. XLII.

